RESERVADO
418.
B. N. L.



51

Suppoz-se ser este o primeiro livro impresso em Macáo.

(V. Brunet s. v. Sande.)

Os bibliographos portuguêses citam outro titulo em português: Itinerario de quatro principes japonezes, mandados á Sanctidade de Gregorio XIII ... etc.

Veja-se: Innocencio F. da Silva, Diccionario bibliographico portuguez. Tomo II. p. 216.

DE MISSIONE LEGATORVM IAPONENSIVM ad Romanam curiam, rebusq; in Europa, ac toto itinere animaduersis DIALOGVS.

EX EPHEMERIDE IPSORVM LEGATORVM LECTVS, & IN SERMONEM LATINVM VERSVS ab Eduardo de Sande Sacerdote Societatis IESV.



In Macaensi portu Sinici regni in domo Societatis IESV cum facultate Ordinarij, & Superiorum.

Anno 1590.

✠

Ego D. Leonardus de Saà Episcopus Sinensis, & Iaponensi & in ... si apostolicus inquisitor, committo reuerendo patri ... gnano Visitatori Societatis IESV, & alijs ab ipsius ... libri compositi à patre Eduardo de Sande eiusdem ... sione legatorum Iaponensium ad Romanam curiã, r... ac toto itinere animaduersis: & concedo facultatem ... patrum approbationem ab ijsdem subscriptam, typis ... Dat. in Vrbe Macaënsi nonis Septẽbris anni. 1589.

Episcopus Leonardus.

Ego Alexander Valignanus Visitator Societatis IESV in prouin... cia Orientali cum patribus Iacobo Antunez, & Nicolao de A... eiusdem Societatis, ex commissione reuerendissimi D. Leonardi Saà Episcopi Sinensis &c. perlegi, & examinaui librum de missione legatorum Iaponensium, rebusq; in Europa, ac toto itinere animaduersis, compositum a patre Eduardo de Sande nostræ item Societatis, nihilq; inuenimus, quod Christianæ religioni, bonisq; moribus aduersa retur: imò valde vtile, ac necessariũ Iaponensi ecclesiæ iudicauimus: & ad id testificandum subscripsimus. Quarto nonas Octobris Anni. 1589.

Alexander Valignanus.

Iacobus Antunez. Nicolaus de Auila.

ALEXANDER VALIGNA nus Societatis IESV, alumnis Semi nariorum Iaponenſium. S. D.



ERTIVM ecce vobis, adoleſcentes optimi, mei amo ris erga vos teſtimonium, dialogus hic de Iaponenſiũ legatorum miſsione, rebuſque in itinere animaduerſis in lucem editur. Primò namque, quantum potui, curaui, vt catecheſi compoſita, & poſteà in Europa latino ſermone excuſa, veſtri animi cognitis religionis noſtræ firmamentis in fide Chriſtiana corroborarentur: nec ſpes me fefellit, cùm hactenus tam præclarum eius toto pectore amplectendę ſpecimen præbueritis. Poſt iactũ hoc fundamentum contendi vlterius; vt liber aliquis excuderetur, quo virtutum earum, quæ ad mores pertinent, doctrina præceptis illuſtrata, & exemplis confirmata imbueremini; idque libro de honeſta puerorũ inſtitutione à Ioanne Bonifacio presbytero ſocietatis IESV hîc excuſo, me aſſequutum eſſe mihi perſuadeo. Supererat vt de Europeis rebus tantopere cum Chriſtiana pietate coniunctis, & magna ex parte ab ipſius fonte hauſtis liber vos aliquis edoceret. Hic ergo feliciter in lucem prodit, cuius res omnes à veſtræ patriæ legatis ad Romanam curiam miſsis diligenter ſunt notatæ, & Eduardo de Sande noſtræ Societatis Sacerdoti in Sinico regno nunc degenti, olim ſtudijs humanitatis dedito, ſemper veſtrarum rerum ſtudioſo ſummopere à me commendatæ: vt eas ex ipſorum legatorum ſcriptis collectas, & diſpoſitas latinis literis traderet, & cauſa perſpicuitatis dialogum inter [illegible] ſocios, & conſanguineos habitum ad veſtram vtilitatem compo[illegible]os igitur nequaquam peregrinum hominem, ſed veſtros ipſos in[illegible]loquentes audire vobis perſuadete, qui quoniam cum omnibus co[illegible] non poterant, & eos de Europeis rebus admonere, dialogo hoc cum tota natione Iaponenſi, quæcunque toto hoc itinere acceperunt, libenter communicant. Quod verò ad me attinet, munera hæc non [illegible]is aut ludicra, imò valde vtilia, ac frugifera, ne, quæſo, ſpernite, ſed [illegible] animis excipite, paterna viſcera agnoſcite, & ſperatos ex his ſeminibus fructus magno cum cumulo omnium cultori Deo reddite.

VENERANDO ADMODVM IN CHRISTO PATRI CLAVDIO AQVAVIVÆ PRÆPOSITO Generali Societatis IESV Eduardus de Sande S. D.

NON sine magna spe fructus in dies vberiores ex Iaponensi agro colligendi reuerende ad modũ in Christo pater, scimus institutam esse ex Iaponia legationem illam, quæ, vt accepimus, tum summorum Pontificum Gregorij Xiij. & Xisti .V. (quem Deus seruet incolumem) tum cæterorum Christianorum principũ applausu, & gratulatione tantopere fuit celebrata. Atque vt alias vtilitates hoc loco prudens omittam, illa non exigua sperari poterat, vt adolescentes hi ingenuè educati, intelligentia nequaquam hebeti, nostrarum denique rerum inprimis studiosi, primos Iaponensis noualis fœtus in Europam, & in Romanam curiam inferentes, Europearum, & Christianarum rerum non satis adhuc in Iaponia explicatam notionem longo hoc itinere auctam, & vsũ comprobatam, cum suæ nationis hominibus communicandam in patriam reportarent. Quotus enim quisque est in Iaponicis rebus, vel mediocriter versatus? qui non intelligat, quàm difficile hactenus fuerit patribus nostræ Societatis assidua consuetudine Iaponensium animis inculcare, quanta sit summi Pontificis maiestas, qualis Cardinalium, aliorumque præsulum autoritas, quæ Christianorum regum potestas, & amplitudo, quo discrimine sacra iuris dictio profana secernatur, & hæc illi tanquam maiori subsit, ad quem finem vtraque, quibus ve medijs tendat, quæ sit regnorum, & rerum publicarum iusta, & cum lumine naturæ congruens administratio, quàm longè, latèque per varias orbis terrarum prouincias Christiana religio sit propagata, quantopere differant cultu, & disciplina religiosi homines ab his, qui profanas, & caducas res sectantur, quanta virorũ, ac mulierum multitudo sit in Christiana republica, quæ spretis vitæ vo-

voluptatib⁹ ſempiternâ bonâ intuens, Euangelicorũ conſiliorũ compendiariam in cœlum ſibi viam munit: quæ ſit cauſa, quare ijdem religioſi viri grauiſſima pericula adeuntes, tam multas terras obeant, totque maria tranſmittant, Chriſti nomen varijs gentibus, nationibusque ignotum auidè, atque alacriter nuntiantes. Hæc namque omnia, & ſimilia cum Chriſtiana lege patres Iaponenſibus tradentes, vix aſſequi poterant, vt ea animis penitus imprimerent, falſâque opiniones, de proprijs, ac noſtris rebus conceptas, illas quidem à maioribus traditas, has verò inani quodam rumore collectas, omnino euellerent. Quo fit, vt inter non mediocres huius legationis vtilitates, plenam noſtrarum rerum notitiam ab his ingenuis adoleſcentibus in patriam referendam, ſuæque nationis hominibus impertiendam, noſtri patres ſemper numerauerint, eoſque diligenter admonuerint, vt nihil in hac tam longa peregrinatione non animaduerſum, notatum, literisque traditum prætermitterent. Illi (quæ eſt eorum egregia natura, & erga Patres obedientia) quæcunque illuſtria, & memoria digna viſa ſunt, ſtrenuè in aduerſaria ſua retulerunt, nullâque admirationis ſpeciem, iuxta Iaponenſium morem, præ ſe ferentes, illa tamen omnia tanquam admiratione dignißima ſenſibus, atque animis penitus infixerunt. Ne tamen facilè hic eorum labor deperiret, & poſt paucos annos, tum huius itineris, tum etiam tam multarum rerum animaduerſionis memoria deleretur; ſed potiùs rebus his cum tota Iaponenſi natione communicatis, pueris que ab ineunte ætate earum notitia quaſi primo colore tinctis, & imbutis, vtilis hæc recordatio conſeruaretur; ſtatuit reuerendus Pater Alexander Valignanus totius Orientalis regionis Viſitator, vt hæc omnia à nobilibus his adoleſcentibus curſim mandata literis, maturiùs diſpoſita latino ſermone conſcriberentur, vt Iaponenſes latinæ linguæ ſtudioſi librum de hac legatione compoſitum aſſiduè volutarent; qui poſt eâ in Iaponicum idioma verſus à latinæ linguæ imperiti ſtudioſè legeretur: & vterque tam latinus, quàm Iaponicus typis excuſus rerum tam neceſſariarum, atque vtilium eſſet, veluti quidam perpetuus theſaurus, iucundumque promptuarium. Cùm ergo opus hoc conficiendum ſuſciperetur, placuit eidem patri, vt non continuatæ hiſtoriæ, quæ faſtidium aliquod gignere poſſet, ſed dialogi formam obtineret, quibus quidem introducerentur Mancius, & Michaël legati, Martinus, & Iuli-

anus

anus ſocij, prætereà Leo, & Linus: Leo quidem Arimenſis regis frater, Linus verò Omurenſis principis germanus, & vterque Michaëlis legati frater patruelis: tres namq; fratres Leonem, Linum, & Michaëlem genuerunt. Ex his ergo Leo, & Linus tanquam è Iaponia non egreſsi, & noſtrarum rerum adhuc ignari, cęteros tam multarum rerum cognitionem aſſecutos, de multis interrogant; illi verò copiosè ſatis faciunt. Vnum eſt tamen, quod lectorem fortaſſe poſsit offendere, tam minutè videlicet, & particulatim propoſita rerum explicatio: ſed meminerit, librum hunc non tam gratia Europeorum, qui in rebus tam præclarè ſunt verſati, quàm Iaponenſium tironum adhuc, & noſtrarum rerum rudium, ex reuerendi patris Viſitatoris præſcripto eſſe compoſitum. Res igitur ab adoleſcentibus his ingenuis optimè notatas, & poſteà in ordinem digeſtas, in linguam latinam vertendas, eodem reuerendo patre præcipiente, ſuſcepi, non immemor, quàm multi anni interceſſerint, cùm humaniorum literarum omiſſo ſtudio ſeueriores muſas cœpi colere, nunc ad Sinicas literas perdiſcendas, ſanctæ obedientiæ inſtituto totus intentus. Sed eiuſdem obedientiæ ea eſt vis, vt facilè potuerit antiquo me includere ludo, & cum humanioribus literis in gratiam reſtituere: quę tamen gratia ſi (vt ille ait) malè ſarta reperietur, & ſermo noſter Sinicum potiùs, quàm latinum videbitur ſonare, facilè patiar, me obedientis potiùs, quàm eloquentis nomen aſſequi. Hunc igitur laborem, qualis qualis ille ſit, Iaponenſibus quidem vtilem, Europeis non omnino ingratum, Deo inprimis omnium contentionum mearum ſcopo, deinde Paternitati tuæ, & patri Viſitatori, quos ego Dei loco recognoſco, libens offero, & committo: ſperoque fore, vt aliquando eius me non pœniteat, Iaponenſi agro huius libri doctrina, quaſi quadam opportuna irrigatione iucundiores fructus indies Chriſtianæ reipublicæ cum ſumma iucunditate omnium ferente.

INDEX COLLOQVIORVM DIALOGI HVIVS.

De causis Iaponensis legationis Colloquium. 1.
Agitur de itinere è Iaponia facto, vsque ad Macaënsem portum Sinici regni, & inde vsque ad fretum Sincapurense. Colloq. 2.
De accessu ad vrbem Malacam aureæ chersonesi, & inde ad vrbem Cocinum Indiæ citerioris. Colloq. 3.
De aduentu Lusitanorum in Indiam, & Lusitani imperij propagatione. Colloq. 4.
De genere hominum Indicorum, & domibus à Societate Iesu in India extructis. Colloq. 5.
De nauigatione facta ab India vsque ad Lusitaniam. Colloq. 6.
Agitur generatim de rebus Europeis, & in primis de monarchia sacra, siue ecclesiastica, & dignitatibus alijs inferioribus. Colloq. 7.
De monarchia profana, & varijs dignitatibus ad eã pertinẽtib⁹. Col. 8.
De magnifico ornatu, quo reges, & dynastæ Europei vtuntur in ijs, quæ ad cultum corporis, victũ, & habitationem pertinent, deque magnis sumptibus, atque expensis. Colloq. 9.
De famulorum multitudine, & apparatu, quo Europei principes vtũtur domi, foriſque. Colloq. 10.
De iucundis, atque honestis exercitationibus, quibus Europei nobiles vtuntur, deque ingenua filiorum educatione. Colloq. 11.
De ordine, vsuque Europeorum hominum in regnorum, rerumque publicarum administratione. Colloq. 12.
De bellis in Europa geri solitis, & ordine exercitus cõponendi, prælijsque terrestribus. Colloq. 13.
De naualibus certaminibus in Europa committi solitis. Colloq. 14.
De magnitudine vrbium, templorumque ornatu, aliorumq; ædificiorum magnificentia. Colloq. 15.
Reditur ad processum itineris, & describitur Olysippo caput regni. Colloq. 16.
Proponuntur adhuc ea, quæ Olysippone, deinde Eboræ, & Villauiciosæ acta sunt: & accedituir ad regnum Castellæ, Toletum, & Mantuam Carpetanam, siue Matritum. Colloq. 17.
De potentia Philippi, Hispaniæ regis, & solenni iureiurando, quo regni magnates eius filio tanquam successori fidem dederunt, & adi-

& aditu legatorum ad vtrumq;. Colloq. 18.
De variis operibus à Philippo rege extructis, præsertim Escurialensi, & accessu ad vrbem Alonem, siue Alicantum. Colloq. 19.
De nauigatione ab Hispania in Italiam, & aditu ad magnum Hetruriæ ducem, rebusq; Pisis, & Florentiæ notatis. Colloq. 20.
De amœnitate, ac delicijs Pratolinæ villæ ducis Hetruriæ: & de his, quæ Senis, Viterbij, & reliqua parte itineris Romam vsque sunt obseruata. Colloq. 21.
De celebri vrbis Romæ ingressu, aditusq; ad summũ Pont. Gregorium xiij: ac de sacro Palatio, & augustissimo Templo. D. Petri Col. 22.
Prosequitur ea, quæ in Summi Pontificis solennibus sacris, alijsque in locis sunt notata. Colloq. 23.
De rebus ab hinc Romæ actis, vsque ad excessum è vita Pontificis Maximi Gregorij. xiij. Colloq. 24.
Quomodo summo Pontifici iusta soluantur, quæq; alterius deligendi sit ratio: quantoque omnium applausu Xistus V. fuerit Pontifex Maximus renunciatus. Colloq. 25.
Quo equitatu summus Pont. templum. D. Ioannis Lateranẽsis adierit: & legati insignibus equitum donati, Vrbe sint profecti: deq; nobilissima vrbe Neapoli, & templo. B. Virginis Lauretanæ. Col. 26.
De transitu aliarum vrbium præsertim Anconæ, Bononiæ, Ferrariæ, Venetiarumq;, & rebus ibi conspectis. Colloq. 27.
Explicantur insignes res Venetijs animaduersæ: & quo honore senatus ille grauissimus legatos Iaponẽses fuerit prosecutus. Col. 28.
Agitur adhuc de rebus Venetis, & accessu ad alias vrbes, præcipuè Patauium, Veronam, Mantuam, Cremonam, Mediolanum: & qua gratulatione in illis legati fuerint excepti. Colloq. 29.
De his adhuc, quæ Mediolani, ac Papiæ sunt notata, & ingressu ad vrbem Genuam, nauigationeq; vsque in Hispaniam. Col. 30.
De vrbe Conimbrica, & celebri in ea Societatis collegio, quæq; liberalitate iussu Philippi regis ad Indicam expeditionem Olyssippone legati sint habiti, & de Europearum diuitiarum causis. Collo. 31.
De nauigatione è Lusitania in Indiam, & ab India in Sinarum regnũ. Colloq. 32.
Agitur de Sinico regno, eiusq; moribus, & administratione. Col. 33.
Explicatur summatim totius orbis descriptio: declaratur, qui huius præcipua, & nobilissima pars. Colloq. 34.

DE MISSIONE LEGATORVM IAPONEN sium ad Romanam curiam, rebusq; in Europa, ac toto itine- re animaduersis.

DIALOGVS.

DE CAVSIS IAPONENSIS LEGATIONIS COLLOQVIVM PRIMVM.

LEO.

MICHAEL. NON possum facile verbis explicare, charissime frater Michael, quanta fuerit animorum nostrorum lætitia, cùm te, Mancium, Martinum, & Iulianum tanto omnium applausu, & alacritate Arin eniem hanc arcem ingredientes aspeximus. MICHAEL. Satis mihi compertum est, iucundissime Leo, nulla tua ad id requisita testificatione, quo gaudio nostrum in patriam reditum tu, Linusq; amantissimus frater, acceperitis: cùm id & tã propinqua sanguinis communio, & antiquus amor postularet, præsertim nobis etiã valetudine vestra prospera, & ætatis maturitate conspecta, sum opere gaudentib⁹, & mutua vobis pro tãta iucunditate gratiã referentib⁹. LINVS. Vltra lætitiæ causam à Leone assignatã, illa etiã accedit, quòd vehementi quadam auiditate teneremur, ea ex vobis cognoscendi, quæ in tam longo itinere varia, & multiplicia contigerunt. MANCIVS. Ista sanè cauta mihi perplace quibus enim non imperitus rerum æstimator, vt tã multorum cognitionem allequeretur, nobiscum octo annos cum dimidio, quos in hac nauigatione consumpsimus, rectè se collocasse crederet. LINVS. Deus bone! octo anni cum dimidio sunt elapsi a vestra hinc profectione? MANCIVS. Tot sunt sanè, si pauços dies excipias: viginti

mo namque calendas Martij anni salutis humanæ millesimi quingentesimi octogesimi secundi, Nangasaquio soluimus: mense autem Iulio huius anni 1590 nauem tandem ad hunc portum appulimus. LINVS. Tam longum equidem fuit istius temporis spatium, vt credibile sit, ea saltem, quæ initio nauigationis euenerunt, ex animis vestris obliuione esse deleta: nec dubito, si Martinus, Iulianusque interrogentur, facilè mihi esse assensuros. MARTINVS. Credibile quidem est, si temporis diuturnitas spectetur, quæ præteritas res in obliuionem plerumque solet adducere: rerum tamen magnitudo talis fuit, vt in mentibus nostris quasi recens impressæ, & infixæ permaneant. IVLIANVS. Rectè sentit Martinus noster: quæ enim tenuia, & exigua sunt, facilè in obliuionem veniunt: nostrarum autem rerum decursus, vt pote magnarum, & grauium, intimis nostris sensibus veluti insculptus diutissimè retinebitur. LEO. Nihil dicere poteratis, quod nostris votis esset accommodatius: vterq; enim Linus & ego incredibili ardemus studio audiendi ex vobis ea, quæ vel in itinere faciendo contigerunt, vel quibus per tam varias regiones oculos pascere, & animos saturare potuistis: imò hanc vnicam ob causam hodiernum colloquium magnopere expetiuimus, & nostræ huic non iniustæ voluntati à vobis satis fieri postulamus. MICHAEL. Satis faciendi voluntati vestræ studium in nobis est ardentissimum; temporis tamen angustiæ impedimento sunt: quis enim sibi persuadeat ea, quæ octo annorum spatio transacta sunt, tam breui temporis momento posse à nobis referri? MANCIVS. Idem sentio cum Michaële nostro; quæ enim vidimus, & experti sumus, vel alia ratione ad nostram notitiam peruenerunt, tanta sunt, tam grauia, & apud nostros inaudita: vt necessariò longum tempus requiratur, si velimus ea vestris animis inculcare. LINVS. In hoc sanè nostrum iudicium à vestro non dissentit: nec nobis vnquam ea fuit mens, vt vos in vnius diei angustias redigeremus. Sed quoniam otium suppetit, in plures dies huius modi congressionibus destinatos, narratio hæc iucundissima produci poterit. LEO. Aptissimè certè dictum: ingenui namque viri hoc inter cætera differunt ab ijs, qui manu, & arte sibi victum parant, quòd illis semper sit quærenda occupatio, qua otium conterant: hac autem nulla potest esse iucundior. MICHAEL. Quod attinet ad tempus, rectè à vobis statutum est: nunc narratoris

perſonam Mancio noſtro imponamus: nos autem ſi quid ei exciderit, facilè ſubijcere poterimus. MANCIVS. Perſonam iſtam nequaquam ſuſcipio: tua enim eſt Michaël, præſertim in hac arce Arimen ſi coram fratribus charisimis, qui à teid tantopere contendunt, & iucundiùs ex tuo ore quidquid dictum erit excipient: meum autem munus ad Bungenſe regnum reſeruabitur; vbi ſimiliter non deerunt, qui hanc à me narrationem efflagitent. MARTINVS. Sequor Mancij ſententiam; cùm enim ad Bungi fines pernenerit, nec auditores illi, nec preces ad narrationem eliciendam deficient. IVLIANVS. Mihi etiã ſententia, & ratio Mancij maximè placet, quæ enim à cognatis ſanguine, & amoris vinculo coniunctis dicuntur, multò ſuauiùs in aures, & in mentẽ influunt. LEO. Tantùdẽ ſanè refert (quod ad nos attinet) ſiue Michaël, ſiue Mancius narrandi partes ſuſcipiat: quia tamen omnes vnico cõſenſu Michaëli munus hoc committitis, gratum etiam nobis erit, præſertim cùm in tam multorum congreſſu neceſſariò modò hunc, modò illum narrantis perſonam agere, ſit neceſſe. LINVS. Optima definitio. Ne tamen officiorum certamine totum tempus conſumatur: age iam incipe Michaël, & inprimis ex illis cauſis, quibus à vobis tam longum iter factum eſt, dicendi exordium ſume; præ tenera enim ætate, cùm hinc profecti eſſis, non fuit nobis integrum eas mente aſſequi: & modò repetitæ egregium narrationis fundamentum iacient. MICHAEL. Libenter id, quod omnes mihi mandatis, bona Mancij noſtri venia, ſumendum arbitror, precorque illum, & cæteros ſocios, vt me veſtris precibus impulſum ad narrandum accedentem, & oratione interdum à ſcopo aberrãtem dirigant: ea autem re maximè fretus incipiam, quòd eos auditores, & teſtes omnium, quæ dicturus ſum, præſentes habeam. Qui enim de magnis, & nouis rebus loquitur ſine præſenti teſtimonio, facilè aliquando in quibuſdam vel exaggerandis vltra veritatis terminum prouehi dicendo poteſt, vel in alijs deprimendis citra illum conſiſtere. Qui verò teſtes præſentes habet, qui eum mendacij, ſi fortè in illud lapſus fuerit, coarguant, natura ipſa cautiùs loquitur, nec ſe audacem in loquendo præbet, ſed veritatem, quaſi certum fidus nauigationis ſuæ, ſibi ſpectandam proponit: quod ipſum ego hodierno die facere inſtituo. LEO. Quorſum Michaël charisime, iſta teſtium cõmemoratio? etiã & perſonæ cuæ dignitas, & rerum, de quibus acturus es, qualitas omnem prorſus

sus falsitatis suspicionem tollant: nec enim sanguinis nobilitate prædicti virtmendacij notam suo non imi solent inurere, nec res istæ, cum peregrinæ sint, præsui amore, ac studio te ad falsitatem inclinare possunt. Exordire igitur iuxta Cini sentum ab illis causis, quibus hæc longa expeditio vestra instituta est, nec diutius nos expectatione suspensos habe. MICHAEL. Causas quæritis fratres charissimi expeditionis nostræ: multæ sane fuerunt illæ, atque graues, eaque multò melius cognouimus, cum ad Europam peruenimus, sed ex multis aliquas breuiter attingam. Atque inprimis ea fuit, quòd cùm Pater Alexander Valignanus Societatis IESV Visitator ex Europa profectus ad Iaponiam vsque nauigasset, & experimento intellexisset, primum Iaponicos mores ab Europeis longè, multumque differre: deinde propter longissimum locorum interuallum, prouinciarum, regnorumque Europæorum amplitudinem, & magnificentiam, principum virorum maiestatem, & potentiam, aliaque multa admirabilia vix ad Iaponicas insulas esse quodam longinquo rumore perlata: præterea à patribus Societatis, qui de his cum nostris agebant, non omnino fidem haberi, et inde multa incommoda cum animorum detrimento, optatissimique fructus minori saltem prouentu subsequi: matureè habito consilio iudicauit, expedire maxime, vt ex hac nostra regione aliqui principes, & patritij viri in Europam nauigarent: vt illius regionis statum, resque omnes, de quibus per aduenas tantum homines fama ad nos vsque peruenerat, oculis intuerentur, manibusque quodammodo contrectarent: deque ijs, in patriam redeuntes coram tot gentis hominibus certissimum testimonium ferrent, & omni mendacij suspicione sublata multæ falsæ opiniones de Europeis rebus à nostris conceptæ omnino ex animis tollerentur. LEO. Egregia sanè ratio: eam tamen vt meliùs intelligamus, explica quæso, quænam regio Europæ nomine significetur. MICHAEL. Peropportuna interrogatio, & ad res sequentes cognoscendas accommodata. Cùm enim nos Iaponenses in his insulis, ab illo alio, vt ita dicam, orbe remotissimis habitemus, & exiguum nobis cum illis gentibus sit commercium, rerumque contractio: hactenus tantùm nostræ Iaponiæ, & Sinici, Siamijque regnorum propinquorum notitia apud nos certa, & explorata erat, præter obscuram quandam, vt dixi, famam de Nanibangui,

ideſt Auſtralium hominum regno, quod nos Namban, Sinæ Nanſan ideſt, partem Auſtralem vocant: vnde mercatores, & patres Societatis ad nos aduentare audiebamus. Nunc autem nos, qui eò vſque peruenimus, velut apertis oculis, & quaſi quadã caligine exiſtis diſcuſſa, cognoſcimus, plura alia eſſe regna, pluresque prouincias per orbem terrarũ ſparſas magnitudine celebres, numero propè infinitas, adeò vt hæ tres regiones Iaponica, Sinica, & Siamia cùm illis omnibus collatæ inſtar exiguæ cuiuſdam orbis particulæ videantur. Atq; vt breui ei vobis præcipuas orbis partes proponam: ſcitote, ex ſtudioſiſſimorum hominum ſcientia in quinque præcipuas portiones vniuerſam terram diuidi, nimirũ Europam, Africam, Aſiam Americam, terram denique eam, quæ ab ſcriptoribus incognita dicitur. Quamuis enim nautæ ab occaſu ad ortum ſolis nauigantes, & aliquando ad Auſtrum curſum nimis flectentes eã terram conſpexerint, longiſſimoque ſpatio productam tuerint præteruecti, nondum tamen certò conſtat, quæ gentes eam incolant, quibuſ ſint moribus, quæ cæli, ſoliq; natura: ideoque communi nomine incognita appellatur. Ad eam autẽ partem, quę Aſia dicitur, pertinent hæ tres regiones nobis notæ Iaponica, Sinica, & Siamia, vltra quas multas alias prouincias, & regna contineri, quæ numerare longum eſſet. Etſi autem nos in hac noſtra nauigatione in aliquibus Aſiæ regnis hinc longè diſtantibus, aliquandiu fuimus, & Africæ oram marinimã prætergreſſi ſumus: quia tamen Europa illa nobiliſsima regio fuit noſtri itineris terminus optatiſsimus, eius peculiarem mentionẽ in prima reddenda cauſa non immeritò feci. LINVS. Mira equidem dicis Michaël, offersque nobis vtis orbis terrarum partibus enumeratis, amplisimam materiam multa interrogandi. MICHAEL. Interrogandi materia non deerit, ſed expectanda eſt opportunitas, vt debitus ordo ſeruetur, nec confuſio dicendi obſcuritatem pariat. Si enim ſingulis interrogationibus ſtatim ſatis faciendum erit, toties à propoſito digrediemur, vt orationem ad illud reuocare valde ſit difficile. Quapropter illud ſtatuendum eſt, ſingula ſuis locis eſſe dicenda, narratoremque, quo ad fieri poſsit, ordinẽ obſeruantem patienter eſſe audiendum. Nunc igitur ſatis ſit, partes illas quinque orbis terrarum retuliſſe: alias vobis totius orbis quaſi quãdam formam proponam. LEO. Egregiè locutus eſt Michaël: ſi enim

ſin-

ſingulis eius dictis ſingulas interrogationes adiungere voluerimus, & hoc loco formã illam totius vniuerſi exquirere: qui fieri poterit, vt noſtræ primæ interrogationi de cauſis huius expeditionis fiat ſatis? MICHAEL. Ad prima cauſam illa ſecunda acceſsit, quòd cùm patres Societatis in Iaponiam ideò venerint, vt lumen veritatis diuinæ, olim à Deo acceptum, nobiſcum communicarent, legemque à ſupremo legiſlatore latam, promulgarent: huiuſmodi autem lex, & doctrina noſtris hominibus eſſet admodum ignota, eorum animis falſa Camiorum, & Fotoquiorum religione imbutis, difficillimum patribus ſemper fuit, Iaponicos homines de vana opinione depellere, illiſque perſuadere, eſſe doctrinam ſuam cũ veritate omnino conſentientẽ. Quamuis enim eius doctrinæ dogmata ex eorum ore audita intelligentiæ aſſenſum admirabili quadam vi exprimerent, volũtas tamen iam à longo tempore aſſuefacta vix eò impellebatur, vt veteriſtiſsimam Deorum inanium legem cùm veriſſima Dei doctrina commutaret: præſertim cùm nondum eſſet exploratum, quam longè, latèq; eſſet propagata; quæ gentes per orbẽ terrarum ſparſæ illam ſuſcepiſſent, quis ſplendor, quoduc ornamentum in eius ſectatores redundaret. Cùm enim patres, qui hactenus in Iaponiam venerunt, iuxta inſtitutum viuendi modum tenuiter, & parum laute, ac ſplendidè inter nos fuerint, & tanquam externi homines nullam poteſtatem, nullumque dominatũ exercuerint; non poterat gens noſtra ex eorum habitu, viuendique ratione maieſtatem, & amplitudinem Chriſtiani nominis cognoſcere: imò ſi externa ſigna ſequens, iudicium aliquod faceret: potiùs conijceret, legem ab illis promulgatã abiectũ aliquod viuendi genus continere, & in varias alias ſuſpiciones incideret: ſicut re ipſa euenisſe certum eſt: ex quibus, animis in varias cogitationes diſtractis, non parum Chriſtianarum rerum progreſſus retardabatur. Oportuit igitur ex hac noſtra regione aliquos illuſtri genere homines in eam orbis partem, vbi floret Chriſtiana religio, traijcere; vt quãtum ſplendoris, & ornamenti lux diuinæ veritatis humanis mentibus addiderit, quantum commodi ad bene, & beatè viuendum Chriſtiana religio humano generi attulerit, quantum denique diſcrimen ſit inter eos, qui hac luce ſunt illuſtrati, & illos, cui adhuc in tenebris verſantur, non iam famæ longinquæ rumuſculis, & obſcura auditione, ſed oculis, ſermone, conſuetudine, & certo experimento conſequerentur: huiuſq;

cui-

euidentissimæ cognitionis in patriam redeuntes vniuersam gentem nostram facerent participem. MANCIVS. Continere me non possum, quin huius rationis vim à Michaële propositam testimonio statim approbem: nisi enim oculis ipsis Christianarum rerum statum fuissemus contemplati, nunquam aliquid tanta magnificentia dignum concipere possemus: quodq; admodum nos angit, ea est harum rerum excellentia, vt oratione illam nequaquam assequi, sed adumbrare tantum liceat. LINVS. Facilè adducor, vt ita se rem habere credam, vobis præsertim tam firmiter id asseuerantibus: & ista secunda causa mihi summopere placet. MICHAEL. Ad eam quasi cumulus adiungitur tertia, quæ etiam tibi non displicebit. Repetendum verò memoria est, quod interdum iam audiuistis, totius Christiani populi esse quédam supremum præsulem, siue Pontificem, qui Christi veri Dei Christianæ fidei authoris, vices in terris gerit, & Romæ in nobilissima quadá & celeberrima Europæ vrbe, quæ maximæ orbis terrarum partis ferè semper dominatum tenuit, sedem iam à multis seculis fixam habet; & ex eo loco, quasi ex quodam certissimo orbis terræ oraculo, iura præscribit, responsa in rebus magni ponderis reddit, vniuersamque rempublicam Christianam instar summi pastoris moderatur. Ad hunc principes viri, ad hunc sacerdotes grauissimi, ad hunc ipsimet reges aderant nonnunquam, si possunt, ipsi summo parenti se supplices abijcientes: interdum, si eundi facultas non datur, per legatos suos ipsius supremam in terris maiestatem, sanctitatemque recognoscunt: & ita debita communio inter membra, caputque, inter pastorem, gregemque conseruatur. Cùm ergo diuino beneficio non exigua nostræ gentis pars Christi lege audita, ac suscepta, ad eiusdem domini, illiusq; supremi vicarij partes transierit, & in tam beati populi numerum fuerit relata: & propter longissimam locorum intercapedinem tantùm ad nos obscura quædá Romæ, Romanique, ac supremi Pontificis fama peruenisset, ad eius item aures vix tenuissimus quidam rumor Iaponiæ, Iaponicorumq principũ accessisset, nec in tam remota regione omnino sciri posset, qui nam homines essent nostri Iaponenses, tardo ne, an acuto ingenio, honoris ne, ac famæ studiosi, an de nominis gloria, ac celebritate nequaquam solliciti, ingenuis artibus dediti, an prorsus earum rudes, & inperiti nec denique alia per multa, ijs exceptis, quæ ex patrum literis colligebantur,

vi-

visum est summopere necessarium, vt quando principes ipsi Iaponenses, qui iam Christo nomen dederant, non poterant supremum illum antistitem adire, & iuxta reliquorum eiusdem religionis principum consuetudinẽ ad sacros eius pedes osculandos magna animi alacritate se projicere: saltem iuuenes aliquos sibi sanguine coniunctos mitterent, qui legatorum munus obeuntes, id ipsum principum nomine præstarent, & ita Iaponense nomen Romæ, in orbis terræ clarissimo theatro, obscura hactenus auditione cognitum, celebrius esset, & idem supremus parens filiolos hos recens natos, paterno amore, optatoq; fauore absentes complecteretur, alioscq; nondum Christiana fide illustratos talibus benevolentię, & paternæ charitatis signis, ad eam quàm citissimè suscipiendam alliceret. Atque hæ fuerunt præcipuę causæ, quare pater Alexander Valignanus societatis Iesu visitator cũ Francisco, & Protasio Bungi, Arimæq; regibus, & cũ Bartholomęo Omurę principe loquens, hanc legationem faciendã curauerit, ijsq; rationibus redditis effecerit, vt ij principes Mãcium nostrũ, meq; cũ sociis amãtissimis Martino, & Iuliano ad summũ illum Pontificem legarent. Quod vt facilius perficeretur, ipse se futurũ itineris ducem, patrem Iacobũ Mesquitam pędagogum, ac præceptorẽ, fratrem Georgium Loyolam nostræ gentis hominem, ad Iaponicũ idioma melius conseruandũ, comitatorem cum summa omnium iucunditate nobis adiunxit: & ita his felicissimis auspicijs nauigatio nostra instituta est. LEO. Placent nobis itineris faciendi causæ: nunc ad ipsum iter accedas velim. MICHAEL. Non vides charissime Leo, sermonẽ ad multam noctem protractum? imò si placet, recipiamus nos cubitum, & crastino die institutam narrationem prosequemur. LINVS. Recte ait Michaël. Quapropter sermone hac nocte intermisso, paulisper requiescamus, vt auidius cras à nobis cõgressus hic repetatur. Placidã igitur quietem vobis precor. MICHAEL. Nos quoq; vobis & noctem placidissimam, & crastinum diem felicissimum exoptamus.

FINIS.

Agitur de itinere è Iaponia facto vsq; ad Macaensem portum Sinici regni, & inde vsq; ad fretum Sincapurense.

Colloquium secundum.

LEO.

TAnta fuit hesterni colloquij iucunditas, vt & præteritæ noctis, & hodierni diei spatium longius solito nobis visum fuerit, desiderata congressui nostro horam auidissime expectantib⁹. MICHAEL. Ita plerumq; accidit, vt præ desiderio temporis etiã breuissimi longa nobis mora videatur. Sed auiditas ista efficit, vt etiam quæ postremo loco acta sunt, meliùs memoria teneatis. LINVS. Actũ est decausis vestræ expeditionis: sequitur vt de incepto itinere sermonis sit exordiũ. MICHAEL. Exordiar hodierno die à profectione nostra, si tamẽ priùs de oblatis impedimentis non nihil dixero. Cùm enim humani generis hostis intellexisset, ex hac nostra nauigatione in multorũ animos fructus vberes, quod ille indignissimè patitur, esse redundaturos: curauit (quæ eius est versutia, & inueterata calliditas) non pauca impedimenta nobis iam iam nauigaturis inferre. Præcipua autem fuerunt ea, quæ ex parentũ in nos amore, & nostro erga parentes quasi quodam officij, & pietatis velo tecta proficiscebantur. Nullæ nam q; sunt occultiores insidiæ, quã quæ latẽt in simulatione officij. Matres igitur nostræ, quæ primo rem institutam ad exitum non esse perducendam arbitratæ, facilè ad iter hoc faciendum assensum præbuerũt, videntes nos iam in procinctu esse, omniaq; ad velificandũ esse parata, precibus, lacrymis, aliisque modis nos à proposito itinere reuocare sunt conatæ. Accedebat ad hanc maternam efflagitationẽ grauis quidam terror, qui nobis incutiebatur à nõ paucis, pericula longissimæ nauigationis, difficultates, molestias, reuertendi in patriam des-

perationem, non dubiam denique mortem ante oculos proponentibus. Oppugnare quidem hæc animos nostros, sed diuino auxilio, quod inuictum, perfectioque totius boni est, munitos expugnare nequaquam potuerunt. Solet enim Deus ijs, qui magna ipsius amore ducti aggrediuntur, animos addere magnitudinem difficultatũ omnium superantes. Idem etiam diuina sua prouidentia, quæ omnium est gubernatrix, effecit, vt impedimenta à communi more interposita non difficile tollerentur. Nam & matres postea ratione, & non priuato affectu rem metientes, vtilitatem nauigationis nostræ dolori, ac desiderio suo præposuerunt, & illorum omnium terrorum velut densissimam nubem, fiducia in primis in Deo, eiusque ope, deinde etiam in patris visitatoris amore erga nos, facile dispulit, ac discussit. Is enim erat, & plusquam paternus eiusdem patris in nos amor, vt eo perspecto nobis persuaderemus, in quæcumque pericula ille se inferret, nos lætissimos debere concurrere. Non leuis etiam causa in consilio persistendi fuit fides de itinere faciendo præstita, quam non sine nominis nostri nota violare poteramus: præsertim si eius frangendæ soli timores, terroresque propositi occasionem dedissent. Igitur vigesimo calendas Martij anni millesimi quingentesimi octogesimi secundi Deo duce, ac patre visitatore velut signifero quasi cum Oceano, & vndis pugnaturi Nangasaquij nauem Ignatij Limij patritij Lusitani cum eodem patre magno consuetudinis, & amoris vinculo coniũcti feliciter conscendimus. Limio, quæ erat eius in patrem visitatorem, nosque omnes beneuolentia, optima nobis receptacula, longique itineris hospitia præparante. Profecti igitur sumus pater visitator, pater Laurentius Mexia, fraterque Oliuerius Toscanelus eius peculiares socij, & nos quatuor collegæ, cum patre Iacobo Mesquita, & fratre Georgio Loyola, vltra eos, qui nobis ad seruiendũ pedisequi, & administrii sunt adiuncti. Postquam vela data sunt, & in altum prouecti sumus, ad Macaënsemque portum Sinici regni (quod, vt scitis, ad occasum, si cum Iaponia conferatur, magis vergit) cursum nauigationis direximus, paulatim maris æstuatis molestias experiri cœpimus. Quãuis enim nauis magnitudine, opere, structuraque esset non contemnẽda, tanta tamen erat, vento vehementiùs flante maris, vndarumq; agitatio: vt nauis non vndis, & aura deferri, sed interdũ raptari, interdũ etiã

etiam ſalire quodammodo videretur. Nihil tamen fuit, quod animos deſpondere, ac demittere cogeret, præſertim patre viſitatore verborũ ſuauitate nobis aſſidue ſpiritus addente. Cruciabat tamen nos nauigationis inſolentes nauſea, qua plerique in primis ſaltem nauigationibus laborare ſolent, quæ tam grauiter caput vexat, ſtomachum, cõflictat, vt nihil tunc magis, quàm cibus refugiatur. Accedit quòd cum humores per ſtomachum, & intimas partes fuſi omnino perturbetur, non ſolùm ipſi, ſed etiam viſcera euomi videantur. Quæ omnia nos paſſi ſumus, Mancio tamen meliùs habente, & interdum noſtras querimonias irridente, quamuis etiam nonnullas capitis vertigines ſit perpeſſus. MANCIVS. Meus aliquantulus labor veſtrã afflictationẽ conſolabatur. Sed hoc etiam melior erat veſtra conditio, quòd vos nauſea laborantes minùs ægrè itineris pericula ferretis: ego verò ſtomacho minùs perturbato, pectore eſſem timore mortis non parum concuſſo. MARTINVS. Quaſi verò nauſea nõ ſit ipſa penè mors, noſque eam patientes non ipſum ferè interitum fuerimus experti? IVLIANVS. Rectè iudicat Martinus: ego nanque, qui leuius aliquantulum nauſea ſum conflictatus, ferè mihi interdum videbar extremum ſpiritum emittere. LEO. Quis dubitat, vos eo tempore, dũ per illam ſtomachi perturbationm liceret, optauiſſe nonnunquam in patria, ac portu tuto, qualis eſt hæc noſtra arx, conſiſtere, nec inſolitas maris moleſtias tentauiſſe? MICHAEL. Patriæ memoriam ſubire interdum abſentibus, & labore oppreſsis, quis eſt, qui neget? Credo tamen, nullius noſtrum eam mentem fuiſſe, ſed potiùs ad Macaẽſem portum citiſsimè perueniendi. MARTINVS. Me patriæ memoria nequaquam ſolicitum habuit nauſeæ grauitatem, doloreſque varios patientem. Dolor namque dolorem, quaſi clauus clauũ excludit, & malũ malo curari, ſcitũ, & cõpertũ eſt. MANCIVS. Non parua ſane fuit iſtius nauſeæ vtilitas, quæ te à triſti patriæ recordatione, & periculorum timore vindicauit. Cæteri nanque, qui ſaniores eramus, vix mare ventis agitatum, & nauem grauiſsimè vndis impetita aſpicere poteramus, timore mortis animos non parum cruciante. Cum enim mare Iaponicũ, & Sinicum vadoſum ſit, vtpote in ſuis circumfuſum, feruet vehementiùs, agiturque crebriùs, quàm ea pars maris, quæ quaſi quædã latiſsima planities nullo inſularum interuallo per

longissimum spatium protenditur, vt in itinere ex India in Europam experti sumus, ideoque naues in hoc nostro mari vehementiùs concutiuntur. LINVS. Mirum sanè est, quod dicis, naues tanta magnitudine tam vehementer vndis concuti. MICHAEL. Ne mireris magnitudinem: nam ea, qua vehebamur, si cum alijs à nobis in hoc itinere cõspectis cõferretur, parua, & exigua dici posset. LINVS. Quid asseris? sunt ne adhuc capacioris magnitudinis naues ijs, quæ ad hos nostros portus quotannis aduentare solent? MICHAEL. Sunt absq; dubio multò maiores: ita vt sicut hæ ad nos aduentantes nostras Iaponicas nauiculas magnitudine superant, sic etiam hæ ab illis alijs, quas vidimus, superentur. LEO. Quanam igitur ratione tantæ naues vẽtis, & mari impelli possunt? MANCIVS. Miraris charissime Leo, ventò & mari naues impelli? multæ sanè ex illis magnitudine præstãtes non impelluntur modò, sed vel conquassantur, vel etiam interdũ præcipites volumtur, vel denique à profundissimo maris gurgite, nullo vnquam vectore ampliùs comparente, miserim è deuorantur. Vt autem vndarum agitationem, tumoremque facilius intelligatis, illud inmentẽ venit dicere, quod aliquando nobis accidit. Tanta enim fuit non nunquam maris, vndarumque commotio, vt scapha, quæ à puppi religata nauem comitari solet, præ maris æstuantis altitudine sæpe ex oculis fuerit sublata, & rursus vndis decedentibus è profundo gurgite emergens aspectui fuerit reddita, & hac alterna vicissitudine nos vehementer perturbauerit. LINVS. Non licebat in tanta ventorũ, vndarumque vi vela demittere, vt quietior esset interdum nauis cursus? MANCIVS. Omnia demiseramus, vno tantum excepto, quod necessarium erat ad cursum nauis dirigendum, idque non omnino extentum ferebatur, sed suppara tantum remanebant, quibus aliqua venti pars exciperetur. Supparorum autem nomine intelligite alterã veli partem: duas namque partes vela Lusitana continent, quarum inferior à superiori seiungi potest. LEO. Adeò laboriosa istarum rerũ species se mihi offert: vt meritò dictum sit, mare è tuto videndum, terrã tanquam parentem amplectendam. Sed quid tum postea? MICHAEL. Paucis elapsis diebus ventorum impetus remitti, vndarumq; furor deferuescere cœpit: nec enim, si semper tempestas tam vim retineret, mare nauigabile esset, & hac varietate omnia supremus ille au-

thor

thor distinxit: vt prospera aduersis mirabiliter contexerentur, & vita humana nec penitus odio esset, nec omnino amorem nostrũ sua prosperitate alliceret. Serenitate igitur redeunte paulatim ad optatũ Sinarum regnum adnauigauimus; deinde decimo septimo a profectione die Sinicæ terræ insulas, quæ in eo tractu innumerabiles propè sunt, aspeximus, tandemque septimo idus Martij in Macaënsem portum ingressi, ab ipsius vrbis pontifice, regioque præfecto, & Societatis patribus magna cum omnium alacritate excepti sumus. LEO. Aueo ex te scire, quæ nam gens portum istum, vrbemque Macaënsem incolat? MICHAEL. Gens est magna ex parte Lusitana, quæ etiam ad nos huc quotãnis nauigat. Hæc superioribus annis ad Sinarum illum portum delata, primo quidem nauibus velut inclusa mercaturam faciebat: propterea quòd suspicionosum admodum genus hominum sit Sinicum, & in magno amittendi regni timore viuens: paulatim tamen Lusitanorum consuetudine Sinæ hoc metu releuati, passi sunt, vt ab illis assignato peculiari loco domicilia extruerentur, quæ in mediocrem quandam vrbem progressu temporis euaserunt, vbi nó Lusitani modò, sed Sinæ etiam multi ad Christianam religionem traducti habitant, eóque multi Ethnici mercatores ex omnibus illius regni prouincijs cum mercibus confluunt: ita vt modò sit vrbs illa celebre quoddam Lusitanorum emporium, & ex toto oriente à multis mercatoribus frequentatum. LINVS. Quandoquidem ad Sinarum regnum ventum est, peruelim ex te scire mores, naturamque Sinarũ, quorum aliquos nonnunquam ad nos commeare videmus. MICHAEL. De Sinarũ regno amplissimo multa dicenda habeo, quæ ad nostrum ex Europa reditũ referuabo. Nunc satis erit scire, nos in eo portu per decem menses fuisse commoratos, donec proficiscendi tẽpus appeteret. LEO. Quod tempus proficiscendi? non licet quocunque tempore portu soluere? MICHAEL. Nequaquam, ea est enim huius totius cæli orientalis natura, vt non in quamcunque partem nauigandi semper sit opportunitas, sed varijs anni temporibus, varijs etiam ventis flantibus: quodam enim tempore nimirum flante austro ad nos nauigare licet: quodam verò alio spirante scilicet septentrione, liberum est in Indiam iter, quòd aliqua pars itineris ad austrum sit dirigenda, quanuis postea ad septentrione reflectatur. LINVS. Qua

ergo

ergo in re decem menſium otium contriuiſtis? MICHAEL. Negotium potiùs appella: qui enim cum religioſis hominibus verſantur, nũ quàm minus otiantur, quàm cùm ſunt otioſi, nec minùs vacui, quàm cùm à negotijs ceſſant. Non deerat nobis accommodatum admodũ domicilium, non deerant variæ, & honeſtæ occupationes legendi, ſcribendi, muſica inſtrumenta pulſandi, quibus tempus nõ inutiliter trãſigebatur: non deerat denique ſuauiſſima patrum ſocietatis conſuetudo, qua, dum ibi fuimus, iucundiſsimè fruebamur. LINVS. Quod eſt patrum ſocietatis in ea ciuitate negotium? MICHAEL. Idem quod in cæteris, allicere videlicet ad Chriſtianam fidem eos, qui ab ea ſunt alieni, & Chriſtianos mores ad veterem diſciplinam reuocare. Ac commodatum eſt præterea in ea vrbe hoſpitiũ ijs, qui ex Europa ad nos vſq; noſtræ vtilitatis cauſa veniunt, longiſsimum hoc iter, ac periculoſum frequentiſsimè conficientes. LEO. Magna ſanè ſunt, & grauia pericula, quæ patres noſtræ ſalutis cauſa adeunt: ſed præclarè cum illis agitur, qui laborum ſuorum Deum habent remuneratorẽ. MICHAEL. Vt iſta pericula faciliùs intelligatis, de quibus nobis ſæpe mentio facienda eſt, hoc vno exemplo huic loco accommodato cõtentus ero. Eo anno, quo in illo Macaënſi portu fuimus, nauis Luſitana, quæ portu Goënſi ſoluta fuerat, ad eundem portum redijt, nec erat vlla alia, qua cum mercibus ad Iaponiam eſset nauigandum. Deſignatæ ſunt igitur à mercatoribus Luſitanis in eo portu duæ Sinicæ naues, quas illi Iuncos vocant, quæ, vt ſcitis, forma, ſtructura, armamentis à Luſitanis valde differunt, nullùsq; ſæuientis maris impetum ſuſtinere poſſunt. Cùm ergo illæ duæ naues mercibus onuſtæ ad has inſulas proficiſcerentur, accidit, vt altera earum, quæ magnitudine, & robore erat ſuperior (talis eſt, & tam varia nauigationum conditio) magiſtri incuria ad ſcopulos inſulæ, quam vulgo pulchram appellant, alliſa frangeretur, ibiq; patres, qui ea vehebantur, cum cæteris Luſitanis, naufragi, & ad littus eiecti naufragij damna, & incõmoda grauiſsima ſubirent: & eorum omnium iacturam facerent, quæ tum ad patrum, qui apud nos ſunt, victum, tum ad templorum, reiq; diuinæ ornamentum ea naui portabantur. Verùm diuino adiumento, quod pro ipſo Deo laborantibus præſto eſſe ſolet, factum eſt, vt ex fragmentis, ac reliquijs amiſſæ nauis non ſine magna difficultate, aptis, & con-

nexis

nexis noua quædam ratis extrueretur, qua calamitosi vectores ad Macaënsem portum, à quo non longè illa insula abest, relati sunt, magna commiseratione eorum, qui fame, sitiq; enectos, nudos propè, & cæruminis confectos exceperunt. Vnde sequenti anno, pluribus ex India patribus venientibus, nouem è Sinico portu profecti feliciter huc sunt appulsi. LEO. Renouasti memoriam illius rei propè deletam. Nunc enim recordor etiam in ijs locis eo anno, altera naui aduentante, non minimam patrum de altera fuisse solicitudinem, omnibus illius periculum reformidantibus, & nouem posteà ex patribus subsecuta nauigatione ad nos venisse, inter quos fuit pater Petrus Gomesius, ijs, qui in Bungi finibus habitabant, postea præfectus. MICHAEL. Rectè meministi: sed, vt ad nostra redeamus, eo transacto spatio rursus candem Ignatij Limij ad Indos nauigaturi, nauem conscendimus. MANCIVS. Sed quanta fuit in ista ascendenda naui Dei Optimi Maximi in nos cura, & prouidentia? MICHAEL. Mira equidem, & dignum est hoc eius exemplum, quod referatur, & Mancio, qui illius memoriam refricuit, gratiam habere omnes debemus. LINVS. Accidit ne aliquid in ista profectione noui, cuius recordatio ita animum tuũ perculit? MICHAEL. Erant tres naues paratæ ad Indicam nauigationem, vna Sinica, & duæ Lusitanæ. Ex Lusitanis altera, quæ cuiusdam mercatoris erat, magna illa quidem, & robustissimæ structuræ, quam omnes præstare Limij naui affirmabant. Nauarchus autem, cuius illa nauis erat, mercator, vt dixi, locuples summis precibus à patre visitatore contendit, vt cum reliquo comitatu, ac supellectili suam nauem conscenderet: esse eam amplam, rimarum omnino expertem, optimè coagmentatam, receptacula accommodatissima omnibus in ea esse. Pater visitator hominis amici precibus commotus de eligenda naui deliberare secum cœpit, diuque re agitata statuit, nõ esse dignum sua authoritate Ignatium Limium, virum alioqui patritium, & optimè de ipso meritum deferre, & alteram nauem & si magnitudine, & robore præstantiorem sibi deligere. Agit igitur gratias mercatori, & ne se patrum societate destitutum conqueratur, duos illi è societate adiungit, alterum sacerdotem, alterum sacris nondum initiatum: nobis cum ipsomet patre visitatore nauem Limij repetentibus. Optima fuit illa deliberatio, nempe quæ vrbanitatis officio nixa erat. Nostras

tra igitur nauis feliciter ad auream Chersonesum appulsa est: illa verò altera ad scopulos fracta quadrigentorum millium aureorũ dãnum domino, vectoribusque intulit: duo verò è Societate, qui ea vehebantur, grauiter eo naufragio confiictati sunt: alter enim grauissimo morbo laborauit, alter ex illa iactatione, & assidua febri, qua anteà iã premebatur, in collegio Malacensi, mox vt pedem in terra fixit, animam efflauit. MARTINVS. Ita sanè res se habuit, & inde nobis nostræ salutis causa non parua fuit Deo gratias agendi occasio. Sed ne tibi excidat, omissis nunc maris periculis, aliquid dicere, quanta fuerit animorum nostrorum relaxatio ex aspectu piscatorum freti Sincapurensis. MICHAEL. Dicam, dummodò tamen de ipso freto non nihil cõmemorem. Antequam ad vrbem Malacam accedatur, multæ, & variæ sunt insulæ, quarum aliquæ cum continente coniunctæ celeberrimum illud in toto oriente fretum Sincapurẽse conficiunt: quod ita est angustum, vt nauibus tantæ magnitudinis illud primò traiecisse, insaniæ, & temeritatis exemplum prorsus videatur: necenim celebrem inter Europam, & Asiam Hellespontum, non bosphorum Thracium, aut Cimerium cum illo licet conferre. Tantæ sunt angustiæ, talis aquarum feruor, tam flexuosum iter, quod saltem ad tria milliaria conficiendũ est. Sed omisso periculo à nobis adito (parũ enim abfuit, quin è gurgite in vada haberemur) mira sanè fuit animorum iucunditas, cùm primũ piscatores illius freti incolas conspeximus: vocaui freti incolas, nec enim aliud opportunius habent vel tugurium, vel diuersorium, quàm cymbulam quandam admodùm exiguam, quam tegumento quodã ex palmæ foliis confecto operire solent, contra omnes temporis, cæliq; iniurias, eam, graui tempestate excitata, ad littus impingentes, & itasse omnino securos iudicantes. Hi colore nigro, corpore penè nudo ex piscatione sibi ferè victum parãt. Piscationis autem hæc est ratio. Duo sunt, qui cymbulam circumferunt, & plerumq; coniuges: fœminę nãq; egregiè munus etiam hoc obeunt. Alter ergò ex illis in prora est, hasti li ferro præfixo in manibus piscem explorans: alter è puppi ad arbitriũ exploratoris, celeriùs quàm credi potest, cymbam circumducit, piscemq; insectatur, donec iaculandi opportunitate capta, qui in prora est, ita ferrum mittit, vt ferè nunquàm non collineet, piscẽq; transfigat, ac recipiat. Hoc modo, sine alijs retibus, aut hamis, magna ibi piscium

qui

qui mululos imitantur, copia capitur, & vectoribus illac tranſeuntibus venditur. Vnde fit, vt qui tranſeunt piſcationis voluptate, & vtilitate perfruantur. LEO. Dixiſti, illos piſcatores nigro eſſe colore, velim ſcire, an etiam ex Luſitanis aliqui ſimiles illis ſint. Vidimus enim multos nauibus ad nos vehi nigros illos quidem, ſed mercatorum ſeruos, & audiuimus, in hoc Luſitanorum genere nobiles candido colore, obſcuro loco nãtos nigros eſſe velut ad ſeruitutem genitos. MICHAEL. Iſta falſa opinio cum aliis ſimilibus facile vobis tuſſet ſublata, ſi ad Luſitaniã vſq; nauigaſſetis. Nec enim Luſitani, aut aliqui Europæ totius homines vel nigra facie ſunt, vel diſtorta, vel prauis lineamẽtis, ſed illis egregiam faciem, aptam membrorum compoſitionem cum quadam coloris ſuauitate, aliaque inſignia naturæ, & artis dona ineſſe certum eſt, vt vlterius in progreſſu narrationis magis patebit. Illi autem vel æthiopes, vel quocũque alio fuſco colore, qui cum mercatoribus ad nos veniunt, ſerui ſunt ex varijs Orientis regnis coẽmpti: nec enim nobilitas, aut obſcuritas generis, ſed cæli, patriæq; natura colorem hominibus fingit. Sicut ergo variæ ſunt orbis terrarum regiones, & clymata, ſic ſumma coloris varietas: vtq; Europa nullam gẽtem creat, quæ non ſit albo, & egregio colore: ſic ferè omnes Africa, & multos Aſia, obſcuro colore procreat. LINVS. Vix equidem dici homines poſſunt, qui natali ſolo pedem nunquàm extulerunt: tot, ac tam variæ ſunt fallæ opiniones, quas imbibunt, omnia aſpectu, & patriæ ſuæ vſu metientes. MICHAEL. Vera quidẽ refers, & hæc, quæ dicis, multò certius tibi perſuaderes, ſi nobiſcũ tot maria, terraſq; obijſſes. Sed ſupereſt, vt de acceſſu ad auream cherſonẽſum dicamus. Quæ materia quoniam longior eſt, ſermonem in craſtinum diem differamus.

LEO. Placet tua ſententia. Tu interim labore ſuperſedeas, nosq, omnes noctur na quiete corpora reficiamus.

De acceſſu ad vrbem Malacam aureæ cherſoneſi, & inde ad vrbem Cocinum Indiæ citerioris.

Colloquium tertium.

LINVS.



Vbijcere tibi volo locum, in quo heri inſtitiſti: vt huiuſmodi recordatio ſtudij, & auiditatis noſtræ ſit certum teſtimonium. Acceſſeras ad fretum Sincapurenſe, & de aurea cherſoneſo dicere aggrediebaris. MICHAEL. Ita eſt: fretum igitur illud emenſi auream cherſoneſum attigimus. Appellant autem Europei Græco idiomate cherſoneſum, latino peninſulam, celebrem aliquam terræ partem, quæ in mare longo ſpatio protenditur, & fere inſulam efficit. Talis eſt hic tractus, de quo modò agimus: nullo enim in loco ſic Aſia velut in promontorium excurrit: adeò vt parum ab eo ſitu diſtet, qui ab aſtrologis linea æquinoctialis, ſiue æquator dicitur, reliquis partibus ad ſeptentrionem magis ſe colligentibus. Vnde fit, vt à Sinico regno nauigãtibus ſit curſus à ſeptentrione Malacam vſq;: & inde ſi ad citeriorem Indiam ſit nauigandum, rurſus ad ſeptentrionem redeatur circuitione illa peracta, quæ cauſa illius longiſsimi promontorij efficitur. Vocata eſt autẽ hæc cherſoneſus aurea, propter mercium, aliarumq; pretioſarum rerum abundantiam. Sita eſt in ea parte Indiæ, quæ vlterior ab Europa venientibus eſt, vltra videlicet Gangem fluuium: citra quẽ alia pars citerior vocatur. In huius celeberrimi promõtorij extrema parte, quæ inſulæ olim Taprobane, nunc Samatræ è regione reſpondet, ſita eſt ea vrbs celebratiſsima, quæ Malaca dicitur, annis ſuperioribus in Luſitanorum ditionem redacta: ſed quoniam de ditione à Luſitanis in India propagata interiùs mihi agendum eſt, nunc pauca hoc loco de noſtra ad eam vrbem acceſsione dicam. Excepti tum' ab eius vrbis præ-

præsule,& areis præfecto perhumaniter,& apud Societatis patres amãtissimè per octo dies diuersati. LEO. Ne prætermittas dicere, quæ sit è nostra Iaponia ad Macaënsem Sinici regni portum, & ab eo portu Malacam vsq; distantia: deinde quæ gentes præter Lusitanos Malacã incolant: vt enim ex dictis à te constat, Lusitani externi homines,& aduenæ in toto hoc Oriente peregrinãtur. MICHAEL. Ex portu Nangasaquij Iaponici oppidi ad Macaënsem portum Lusitani trecentas leucas numerant: quarum vnaquæq; tertia fere parte nostras superat: vnde fit, vt nostræ numerari debeãt quinquaginta supra quadringentas: si autem milliaria colligere velis, nongenta efficient. A portu Macaënsi Malacam vsq; spatium est sexcentarum leucarum, quæ, vt dictum est, facile ad nostras leucas, & ad milliaria reuocari poterunt. Vrbem Malacam incolũt indigenæ Malaij, à quibus tota illa regio, & lingua Malaia dicitur. Plerique autem ex incolis Christiana fide iam susceptа cùm Lusitanis communiter,& amicè viuunt. LINVS. E portu Sinico cum Malacã petebatis, nullum ne alium portum tenuistis? MICHAEL. Nullum alium tenere solent Lusitani in hac nauigatione: non tamen desunt multi, quos aliæ naues ex eodem portu profectæ petere consueuerũt. Cùm enim Sinica regio, & Malacensis ad eandem continentem terram, hoc est, Asiam communi nomine, pertineant, multa interijciuntur regna, quæ nauras prætergredi necesse est, Cocinsinicum, Champanicum, Cambogicum, Siamicum & alia, de quibus non est quòd agamus. Imò verò, vt hoc loco id adijciam, hæc eadem terra, quam Asiam dixi, vsq; ad Sinum Arabicum procurrit, quo ab Africa disiungitur: Africa autem inde vsq; ad Europam, in qua Lusitania est, longissimo spatio producitur, & ab ea mediterraneo mari dirimitur: omniumq; harum regionum extremæ partes Oceano alluuntur: vt in totius mundi forma, quam vobis me propositurum promisi, manifestè cernitur. In vrbe Malacensi, vt dixi, dies octo morati sumus, & viribus refectis ad nauigationem Indiæ citerioris rursus nauem eandem conscendimus. Mirum est, quanta fuerit morborum vis in huius nauigationis ingressu. Cùm enim Malaca, vt suprà expositi, propè æquinoctialem plagam sita sit, quamuis frequentibus pluuijs cælum illud reddatur clementius: si tamen aliquo tempore pluuiæ, uentiq; desiderentur, nihil illa nauigationem molestius exerceri

poteſt. Id autem nobis initio nauigationis accidit. Poſtquàm enim è portu aliquantulũ prouecti ſumus, nullo flante vento, tanta fuit maris malacia, tantuſq; aëris ardor, atq; æſtus, vt nec nauis progredi, nec nos graues morbos vitare potuerimus. Inter omnes autem, præter Patrem Iacobum Meſquitam, periculoſiſsimè ægrotauit noſter Mancius adeò, vt prope fuerit eius deſperata ſalus. Sed patris viſitatoris in eius morbo curando ea fuit diligẽtia, ac ſolicitudo, vt poſt Deum, ac diuina, ei vni Mancij ſalus debeatur. Illud autem maximè nos ſolicitos habebat: quòd timeremus, ne pater viſitator ex aſſidua in ægrotos cura, & labore, graui aliquo oppreſſus morbo decumberet, & reliqui omnes hoc vno vitæ ſolatio deſtituerentur. Ille tamen ſanus, & integer perſtitit, reliquis non leuiter periclitantibus. LEO. Ita ne grauiter ægrotaſti Manci? MANCIVS. Ita ſanè: & quod Michaël aſſeruit, poſt diuina remedia patris viſitatoris operę & labori mea ſalus accepta referenda eſt. Ille enim de nulla alia re cogitans mihi noctu, interdiuq, aderat: ille verbis, quibus poterat, imbecillitatem meam ſuſtentabat: ille faſtidium grauiſsimum, quo tenebar, precibus ſuis ſuperabat. Quid enim non facerem: & quem cibum etiam faſtidioſiſsimè à ſtomacho repudiatum eius rogatu auidiſsimè non deuorarem? MICHAEL. Magna equidem fuit illius æſtus vis, quæ nobis omnibus in grauiſsimos morbos incidendi timorem incuſſit. Accedebat eò, quod cùm nauigationis tempus diutius ſolito prorogaretur, victus, & præſertim aquæ penuria laborare cœpimus adeò, vt neceſſe fuerit, ipſum nauarchum, nobilem illum virum, de quo dixi, aquæ conſeruandæ, ac diſtribuendæ curam ſuſcipere: ne ſi fortè ab aliquo parũ prouido homine breui tempore conſumeretur, periculum poſtea aliquod grauiſsimum omnes ſubiremus. Deniq; tanta fuit, tumq; moleſta illius temporis mora, vt multi tunc ad portum Malacensem regredi optauerint, ſed ne leuiſsima quidem aura vllam in partem ſpirante, nec vlterius prouehi, nec Malacam repetere nobis liberum erat. Ad diuina igitur remedia confugimus, preces frequentes Deo, beatæ Virgini, cæleſtibuſq; omnibus adhibentes, & ſingula eorum nomina quotidie inuocantes, ſeruato more, quo Societatis patres in nauigationibus vti ſolent. Quo factũ eſt, vt deinceps

ventus paulatim flaret, eoq; quotidie vehementius vela impellente insulas illas prope Taprobanem iacentes, deinde longum illud pelagus, quod vlterius interiectum est, trajicientes, tandem ad Zeilanæ insulæ portum, quem Lusitani possident, appelleremur. Hic tibi ego multa de illius insulæ amœnitate possem dicere, nisi ad Indiæ continétē orā properaret oratio. Est tamen (vt præteriens aliquid dicam) multarū rerum feracissima, præsertim illius egregij cinnamomi, quod inde à Lusitanis in varias Europæ partes exportatur: & hoc, quod è Sinico regno ad nos affertur, abillo longè, multumq; superatur. Zeilanæ insulæ portu Columbensi relicto, ad oram Indiæ, vt dixi, velis, votisq; ferebamur, cùm in maximum vitæ, & nauis amittendæ periculum incidimus, quod sic accipite. Sicut inter auream chersonesum, & Taprobanem non admodum latum mare interponitur: etiā inter Zeilanam insulā, & Indicum promontorium nomine Comorinum vadosum quoddam, ac periculosum fretū intercipitur, syrtibus quibusdam & breuibus celebratissimis nobilitatum, quæ Chilaica breuia, ideſt laboriosa Sinico sermone dicūtur. Constans enim fama est, Sinas olim vsq; ad Indiam multa regna sub suum imperium subiungentes nauigasse, eorumq; non pauca adhuc extant vestigia, & nonnulla nomina Sinici sermonis coseruantur. Cùm igitur Cocinū peteremus, quod vltra illud Comorinum promontorium est, nondum conspecto littore, sibi persuasit nauis magister, se illud iam promontorium flexisse, & passis velis ad Cocini portum, vt sibi videbatur, nauis cursum dirigebat. Longè tamen aliter se res habebat. nam citra promontorium ad huc posiri in vada, & syrtes citissimo cursu ferebamur. Hic pater visitator, qui etiam rei nauticæ curam, salutis nostræ causa à se non alienam putabat, de trāsitu promontorij dubius, ac solicitus cum nauarcho, & magistro nauis colloquens orat, vt plumbeo instrumento in mare demisso maris altitudo tentetur. Arridēt nauarchus, & magister, nihilq; periculi esse, asserunt. Tunc ille, saltem vt voluntati huic meæ satis facias Ignati, iube bolidem demitti: nescio enim, quid animus meus præsagiat: Ille vt erat patri obsequentissimus, ita fieri iubet, & nauiculator, qui idem diligenter præstitit, mare quadraginta tantùm vlnas altum esse comperit. Mirantur omnes, & mox iterum nauiculator iussus fundum explorare, mare quindecim tantum vlnas altum esse cognouit

nouit. Tunc omnes timore magno sunt perterriti: hoc enim signo vel maximè intellexerunt, promontorium nondum esse flexum, & nos ad vada velocissimè properare. Quàm primùm igitur signo dato proram, & cursum alió vertimus, ex illis scopulosis locis euadere contendentes: quod nisi fecissemus, post horam absque vllo remedio nauis ad scopulos allidenda erat. LEO. Magnum, profectò, & euidens fuit istud Dei in vos beneficium. MANCIVS. Magnum, & quod nunquã è memoria excidet, eòq; pluris faciendum, quò magis periculi nos esse immunes credebant ij, qui nauis gubernaculum moderabantur. MICHAEL. Eam sanè mentem iniecit Deus patri visitatori, vt nunquã in eo euentu animus eius quiesceret, nisi frequenter vadum pertentaretur. Eo igitur die pomeridiano tempore terram aspeximus, cognouimusq;, etiam illius diei contentione non esse nos assecutos, vt promontorium Comorinum transgrederemur: quid nisi cursum mutauissemus? Ideo autẽ tam parum processit illius diei labor, quòd aqua invadosa illa loca citatissimè decurreret, vt experimento postèa nobis fuit compertũ. Postquàm vela contracta sunt, & anchoræ in mare missæ, intelleximus illum terræ tractum esse, qui vulgò Piscaria dicitur, nomine ex celeberrima vniorum piscatione impositò. Quoniã autem in eo tracturiam à multis annis Societatis patres habitant, pater visitator missa epistola eos de nostro aduentu admonuit, qui statim quotquot potuerunt lintribus oryza, carnibus, varioq; fructuũ genere onustis ad nos properarunt, & de aduentu magna animorum alacritate patri visitatori, nobisq; omnibus sunt gratulati. Quia verò longæ nauigationis tædio omnes eramus affecti, visum est patri, vt è naui descenderemus, & in aliquo illorum pagorum, qui sunt per ea littora sparsi, viribus redintegrandis breui tempore vacaremus. Salute igitur nauarcho, alijsq; socijs dicta, in cymbas descendimus, & breui spatio confecto pedem in optatæ Indiæ citerioris littore fiximus, & cum patribus, alijsq; illius littoris incolis Christiana pietate imbutis dies aliquot peregimus. MARTINVS. Vix dici potest, quanta fuerit (vt solet post longam nauigationem euenire) nostrorum animorum lætitia, cùm primum in terra vestigia impressimus, ad quã vt cumulus accesserit ea, quam ex vitato à nobis periculo sequentis noctis accepimus. MICHAEL. Optimè meministi. Ea namq; nocte

nauis, è qua descenderamus, in magno incurrendi ad scopulos fuit periculo. Cùm enim, vt paulò antè retuli, scopuli non longè essent, accidit, vt anchoræ in profundum iactæ vento, & aquarum fluentium vi paulatim traherentur, & nauis velut inuita leucam totam regrederetur, & ferè in scopulos incideret. Præterea ex funibus, quibus anchoræ appensæ erant, duo sunt maris æstu confracti, & comminuti, & vix reliquis integris vectorum salus seruata est: duo namq; funes inter se nautarū diligentia colligati nauis prolabentis impetum retardarunt: nosq; postero die oculos in natiem conijcientes, eam leucam scopulos versus à nobis distare mirati sumus, nec parum illud effugisse periculum, laboremque nocturnum lætati. LEO. Præclarè sanè vobis accidit. Sed explica quæso, quis sit ille tractus, qui Piscaria nuncupatur. MICHAEL. Promontorium illud Comorinum ducentis ferè leucis in mare procurrit. Vtrumque autem eius latus varijs indigenarū pagis frequens, citerius quidem Piscariæ, vlterius Trauacoris nomen habet. Incolæ vtriusque lateris, sicut totius regionis Malauares appellantur. Piscariæ tractus ex celebri, vt dixi, vnionū piscatione nomen obtinuit: in eo enim habitant piscatores, qui pretiosa illa conchylia, in quibus vniones reperiūtur, statis anni temporibus expiscantur. LEO. Sed quænam est ibi patrum Societatis occupatio? MICHAEL. Piscatus, vt ita dicam, animarum, quas illi iure optimo vnionibus pretiosiores iudicant. Quantum enim possunt, sedem sibi inter ethnicos, etiā cum capitis periculo quærunt: vt eos consuetudine, colloquijs, & vitæ exemplo, quod caput est, ad Christianam fidē alliciant: & ita in vtro que Comorinensi littore octoginta hominum Christianorū millia numerantur: quod non parum est in illis locis, vbi ethnici reges dominatum tenent; quorum tamen animos patres mirabiliter sibi deuinciunt. LINVS. Mirandum sanè est, quo modo isti etiam reges omnes cum suis populis communi consensu Christi iugum nondū subierint. MICHAEL. Quia videlicet alio voluptatum suarum, vitiorumq; iugo pressi, tenebrisq; obcæcati Christianæ legis clarissimum splēdorem non conspiciūt. Fit enim plerumq;, vt vitia quandam mentibus nostris caliginem, noctemq; offundant, qua oculos in cælestē lumen conijcere non licet. Idemque accidit in nostra Laponia, nedum in locis illis, quorū incolæ, vt subnigro colore, sic hebeti ingenio, & in vitia pro-

cli-

diui sunt natura. Quas tamen difficultates patrum opera superauit: multos enim ibi non solùm Christianos, sed Christianæ vitæ exempla quædam optima conspeximus. LEO. Estis ne diu in eo Piscariæ tractu commorati? MICHAEL. Breui inde discessimus: fuimus enim primum in quodam pago nomine Trichandurio, deinde alium dictũ Manapar adijmus, dum pater Mesquita, & alij ægroti in maiori colonia nomine Tutocorimo commoratur. MANCIVS. Quoniam varios pagos, in quibus fuimus, retulisti, non alienum a narratione erit explicare, qua ratione iter fecerimus. Nec enim pedibus viam confecimus, nec equis vecti, sed quodam alio in ea regione vsitato modo. Lectica quædam apud illos vtuntur, quæ à quatuor hominibus gestari solet: ea puluinari, culcitraq; substernitur, & quicunq; vehitur, tam commodè iter facit: vt eadem illa succussatio ad somnum, & quietem inuitet. Quoniam autem æstus nonnunquam est magna vis, noctu iter agitur, & vno ciursu nonnunquam octo, aut decem leucæ conficiuntur. MICHAEL. Ea ratione à Mancio proposita, percursis exterioris tractus pagis ad alterum latus illius promontorij peruenimus, & Lusitano ibi myoparone inuento tandẽ ad Coulanensem arcem Lusitanorum deuenimus, vbi nauem citò ad Coçinensem vrbem profecturam reperimus, cuius portum die integro elapso tenuimus. MANCIVS. Ne omittas Michaël periculũ illud, quo diuina bonitate in ista breui nauigatione fumus liberati. MICHAEL. Tu ipse refer quæso Manci, cuius recordatio timorem animi tui non paruum fuisse satis indicat. MANCIVS. Timor cõmunis fuit, multòq; omniũ maximus in patre visitatore, qui & si minùs de se, de nobis valde solicitus erat. Nocte ferè media, qua eramus Coulani nauem conscensuri à nauarcho ad scapham, quæ nos transuectura erat, sumus euocati. Retardatus est ita scaphæ cursus, vt die illucescente nauis adhuc longè distaret, & piratarum Malauarium myoparones duo compareret, qui plenis velis in nos inuehebantur. Quid tunc erat remedij? nauis tertiam leucæ partem distabat, littus item multò maiori spatio, scapha tota remorũ contentione myoparonum celeritatem effugere non poterat. Ad diuina nobis confugiendum fuit. Precati sumus Deum, simulq; nautis, qui in naui erant, signum periculi nostri dedimus. Illi vel signo, vel myoparonũ aspectu,

vel

vel potius diuino instinctu commoti anchoram recipiunt, & vela ad nos faciunt: atq; ita naue inter nos, piratasq; interposita diuino beneficio è latronũ propè manibus, & mucronib⁹ ſumus erepti. LINVS. Multa ſanè fuerunt in vos Dei beneficia. MANCIVS. Multa quidẽ, & digna quæ nũquã è memoria excidant. Sed nũc proſequatur narrationem tuam Michaël. MICHAEL. Cocinum vrbem nobilem Luſitanorum delati menſe Aprili illius octogeſimi ſecundi anni, ibi vſq; ad menſem Octobrem velut in hybernis fuimus: quo tempore Goam nauigandi fuit facultas: non tamen noſtris ſolitis exercitationibus caruimus. LEO. Aliũs aliquantulum expliça, quæ ſit iſta Cocinenſis vrbs, quis ſitus, qui vel indigenæ? MICHAEL. Sita eſt, vt dixi, vrbs illa in India citeriori, in ora Malauarica in regno Cocinenſi, quod ab vrbe nomen accepit. Vrbs eſt poſt Goã in primis celebris tum multitudine mercium, tum magnitudine ædificiorũ. Ea in illo loco, permiſſu Cocinenſis regis, qui aliam remotius aliquantulum à littore eiuſdem nominis incolit, à Luſitanis condita eſt. LINVS. Quo conſilio rex iſte Luſitanis in ſuo regno vrbem iſtam ædificandi copiam fecit? MICHAEL. Accidit, vt Cocinenſis rex cum alio eiuſdem Malauaricæ oræ potentiſſimo, qui Zamorinus dicitur, aſſiduũ bellum gereret, & Luſitani eò ad mercaturam faciendam ex Europa delati a Cocinenſi rege in ſocietatem, & auxilium vocarentur: adeoq; fortitudine, & rei militaris ſcientia prõficerent, vt Zamorinus multis acceptis cladibus ſe ſuis finibus vix continuerit, & Cocinenſis regis regnum longiùs, latiùſq; fuerit propagatum: ijſq; beneficijs obſtrictus in ſuo regno habitandi Luſitanis facultatem conceſſerit. LEO. Magna ſanè fuit iſtius regis fiducia. MICHAEL. Magna etiam Luſitanorum fides: qui eidem opem ferentes nihil ſudore, & ſanguine ſuo partum in eo diuturno bello ſibi reſeruarunt. LINVS. Quomodo id ſibi in animum inducere potuerunt? MICHAEL. Fœderati homines, & Cocinẽſi regi amicitia coniuncti eiuſdem regis vtilitati tantùm cõſulebant: & quãuis capita ſæpe in grauiſſima pericula intulerint, multumq; ſanguinem pro amici regis, regniq; incolumitate profuderint, gloriam tantùm ſibi arrogarunt: oppida autem, & loca comparata Cocinenſi regi poſſidenda magnificè reliquerunt. LINVS. Incredibilis eſt iſta Luſitanorum fides. MICHAEL.

Mira eſt, & apud noſtros non ita vſurpata. Quod etiam ex alio exẽplo patere poteſt: cùm enim Luſitani tam procul ab Europa magnã Indiæ partem ſibi ſubegerint: nullus adhuc inuentus eſt, qui contra regem rebellione facta dominatum ſibi occupauerit. LINVS. Natio iſta Luſitanorum digna quidem eſt, quæ magni à ſuo rege fiat, multisq; honoribus cumuletur. MICHAEL. Iure optimo non ſolùm à ſuis regibus, ſed ab exteris etiam Luſitani magni fiunt: omnesq; Indiæ populi felices ſe arbitrantur, ſi in ſuis finibus Luſitanorum ſaltem mercatorum conuentum aliquem, vel oppidum habeant: experiuntur enim, ſe inde magnis percipere vtilitates, quod nos etiam ex Luſitanorum ad nos aduentu teſtari poſſumus. LEO. Age verò Michaël, quando de Luſitanis, eorumque in India dominatu eſt ſermo, longiùs repetito principio, qua occaſione in Indiam venerint, quæve eorum in India ſit poteſtas, nobis explica. MICHAEL. Optima ſanè ad dicendũ materia, & ſeges, quæ tamen, vt ſit nobis iucundior, in craſtinum diem differenda eſt. LINVS. Differatur, ex eaq; craſtino die dicendi exordium ſumes.

De Aduentu Luſitanorum in Indiam, & Luſitani Imperij propagatione.

Colloquium quartum.

LEO.

EXcitaſti nocte præterita Michaël in nobis ardens ſtudiũ ſciendi ex te, qualis nam fuerit in Indiam Luſitanorum aduentus, & qua occaſione in ea imperium ſuũ propagauerint. MICHAEL. Ea, quæ ad Luſitanorũ in Indiam aduentum, & res ab illis in ea geſtas pertinẽt, longam hiſtoriam requirunt: quam verè, & eleganter ſcriptam ab Hieronymo Oſorio Syluenſi Epiſcopo legere poteſtis: ego tamẽ hoc

loco eius ſumma capita attingã. Vt autem à Luſitaniæ regno initium ſumam; illud inprimis ſciendum eſt, Luſitaniam eſſe quandam extremam partem Europæ ad occaſum ſolis ſitam, quam magna ex parte Oceanus alluit, cuius gens nobilitate, potentia, opibus, rei militaris ſcientia inprimis eſt celebrata. Quoniam autem Luſitania non longè ab Africa diſtat, quam Saraceni Chriſtianæ religionis hoſtes infeſtiſſimi poſſident, nunquàm non Luſitani principes ſui officij eſſe ſunt arbitrati, excurſiones in Africam facere, iniurias Chriſto illatas vindicare, Chriſtiani nominis hoſtes lõgè à finitimis regnis expellere. Nec res infeliciter cecidit: nam hoſtibus multis prælijs fugatis, non nullas arces, cũ ſumma Saraceni nominis ignominia, in Africa ædificarũt, eaſq; iam à trecentis annis cum ſumma laude, & gloria ſunt tutati. Inter hos autem Henricus clariſſimus princeps Ioannis primi hoc nomine regis filius, Eduardiq; regis frater, vir non ſolùm regio ſanguine, ſed ſapientia, & fortitudine inſignis, maius aliquid animo Africana expeditione concipiens, Chriſtianæq; religionis propagandæ ardore inceſſus, ſtatuit miſſis nauibus totam Africæ maritimam oram vſq; ad promõtorium bonæ ſpei, longiſſimè à Luſitania diſtans explorare, Indicamq; nauigationem arte tantùm, & ſcientia notam, vſu, & experientia ignotam, & intentatam aperire, eam Chriſtianæ religioni, & Luſitano nomini vtilem, & glorioſam fore ſibi perſuades. Aggreſſus eſt igitur hoc negotium, felicibuſq; auſpicijs inceptum morte impeditus, tanquam nobiliſſimum patrimonium Luſitanis regibus teſtamẽto reliquit. Illud proſecutus eſt Ioannes hoc nomine ſecũdus quandiu vixit: Emanuel verò, cuius memoria inter Luſitanos inprimis celebris eſt, ad felicem exitum perduxit. Cùm primum enim inſignia regis ſuſcepit, Vaſcum Gamam nobilem, ſapientem, & ſtrenuum virum cum quatuor nauibus ad Indiam explorandam miſit, vt mercibus, quæ in ea regione multæ ſunt, & pretioſæ, in Luſitaniam exportatis, regnum ſuum locupletaret: & Chriſtianæ religionis lumen, quod iam diu Europeis affulſerat, cum Indiæ gentibus per probos, ac religioſos viros piè, & amanter communicaret. Hic igitur Vaſcus Gama multis perfunctus periculis, longæ nauigationis moleſtijs deuoratis, totius Africæ, & magnæ Aſiæ partis oram maritimam perluſtrata, tandẽ aliquando ad optatam Indiæ regionem, Zamorinique

regis, qui tunc fama præter cæteros notus erat, regnum, portumq; peruenit, huic ille legationem Emanuelis regis proponens, & de feriendo fœdere cum eo rege agens, primo quidem humaniter fuit exceptus: deinde Saracenorum fraudibus, quorum in eo regno non exigua pars erat, regis animo in alteram partem verſato, eas acce pit iniurias, quas pro Chriſtiani, ac Luſitani non inſi am plitudine, vir alioqui pacis, & fœderis ſtudioſiſsimus, non potuit non perſequi. Vaſ cum Gamam in expeditione ſequentis anni vir quidam alius nobilis Petrus Aluarus Capralis ſubſecutus eſt, qui ex mandato Emanuelis regis nullum officij genus prætermiſit, quo Zamorinum dolis impli catum ad germanam quãdam beneuolentiam, mutuamq; rerum con tractarum cõmunionem, & cõmerciũ, vt inter probos reges eſſe ſolet, poſſet allicere. Valuit tamen magis fraus Saracenorum, & auaritiæ malum, vt plerumq; fit in animis falſa deorum ſuperſtitione obcæcatis: tantumq; potuit, vt, cùm antea rex domus ad merces ſeruandas proprijs ſumptibus ædificãdæ Caprali facultatem conceſſiſſet, in eaq; iam Luſitani ferè ſeptuaginta ad coëmendas merces deſtinati, pacatè viuerent, rege à Luſitanis abalienato, & non conniuente modò, ſed iubẽte, in eam domum Saracenorum legio ex ſex millibus hominũ conflata ſubitam incurſionem fecerit, eamq; omnibus machinis, ferro, ac flamma demoliendam, hominesq; Luſitanos iure hoſpitij coniunctos, quod ſanctiſsimum apud omnes gentes eſt, impiè, & nefariè ſuis bonis ſpoliandos, & interfiendos curauerit. In hoc grauiſsimo diſcrimine Chriſtus, quem Luſitani religioſè colunt, ſuos non deſtituit, nã ex illa cæde viginti mirabiliter ſunt ſeruati, qui magna hoſtiũ ſtrage facta ad naues ſaluſe recepe runt. Tunc Luſitanos omnes in peregrinis regnis omni auxilio deſtitutos Cocinenſis rex, cui cum Zamorino veteres erant inimicitiæ, in fidem ſuam, gratiamq; aſciuit, eosq; ad cõmercium, hoſpitium, omniaq; neceſsitudinis iura ſponte ſua vocauit. Cuius fauorem, beneuolentiamq; Capralis in tanto diſcrimine non aſpernatus cum eo Emanuelis regis nomine iura amicitiæ, ſempiternæq; ſocietatis ſanxit, & Zamorino vtriuſq; infeſtiſsimo hoſti crudele bellum indixit. Hæc igitur fuit prima Luſitanorum in Indiam aduentus occaſio, Luſitanique in periij iuſtis de cauſis propagandi principium. LEO. Meritò ſanè, ac iure Zamorinus in odiũ,

offensionemq; Lusitanorum incurrit, quandoquidem nulla alia de causa, nisi Saracenorum dolo, & propriæ cupiditatis impulsu tam graue perfidiæ scelus admisit, dignissimusque fuit, quem Lusitani indicto bello persequerentur. MICHAEL. Rectè ais, & eadem de causa dignus fuit Cocinensis Rex, quem perhospitaliter aduenas homines excipientem Lusitani omni amore, beneuolentiaque complecterentur. LEO. Nulla ne erant tunc Lusitanis oppida in India, quæ incolerent? MICHAEL. Nulla prorsus: solumque cum mercibus ad Indiæ portus peruenientes, ibidemq; ad mercaturã faciendam breui tempore commorati, data nauigandi opportunitate Lusitaniam repetebant. LINVS. Solius ne mercaturæ causã Lusitani nauigationem Indicã aperuerunt, totque tanta capitis, vitæq; pericula adeuntes? MICHAEL. Mercatorũ quidem hæc vtilitates curantium ea mens fuit: regum autẽ, quibus (præsertim si Christiana pietate sint imbuti) longè altiores, & sublimiores spiritus Deus ingenerare solet, is fuit animus, quod iam dixi, vt Christi imperium, cui illi se totos addixerant, longiùs, latiùsq; propagarent, gentesq; totius Asiæ multitudine propè infinitas, immanitate barbaris, vitam sine certa lege, sine certa religione instar pecorum degentes Christiana pietate excolerent, & ad melius viuendi genus institutum eadem condocefacerent. LINVS. Nunc quod ad mercatores attinet, scire velim, quæ merces ex Europa in Indiam apportentur, quæve rursus ex India in Lusitaniam deferantur. MICHAEL. E Lusitania vehitur imprimis argentum ad merces Indicas coëmendas, deinde vinum ex vuis expressum, oleum ex oliuis cõfectum, quorum liquorum, qui magni in India fiunt, Europa est feracissima: præterea multa genera vestis lineæ, sericæ, gausapinæ, auro phrygio opere intextæ, aliaq; similia, quæ Europa regio fertilissima, multisq; artibus exculta ferre solet: ex India verò piper, zinziber, cinnamomũ, garyophyllum, aliaq; aromata, & magna gossipinæ vestis copia in Europam deportatur. Vnde fit, vt mercibus vltro, citroq; quodãmodo commutatis, vtraq; regio & Europa, & India ex hac nauigatione vberrimos fructus colligat. LINVS. Vberiores sanè fructus videtur India colligere, quæ argentum, egregiasq; merces recipit. MICHAEL. Non inutilem sanè rerum suarum rationem Lusitani subducũt, tot maria mercaturæ causa obeũtes: nam Indiæ aromata, quæ tu non tanti facieda ducis, propter

ter eorum pretium, suauitatem, aliasq; vtilitates à Lusitania in varias Europæ partes delata, & magno argenti pondere diuendita, mirum pariunt Lusitanis emolumentum, & ita argentum in illis collocatum nonnunquã dupla, interdum etiam tripla sui parte auctum ad mercatores redit. LEO. Age nunc explica, quomodo Lusitani oppida, & colonias in India habere cœperint. MICHAEL. Prima Lusitanorũ colonia in India fuit ea vrbs, quæ Cocinum dicitur in regno Cocinensis regis sita. Cùm enim Zamorinus ille perfidus rex Lusitanorum odio incensus Cocinensem regem ad perfidiam, & fraudẽ solicitaret, nec id precibus assequi posset, ad arma confugit, bellumq; grauissimum finitimo regi intulit. Ille belli damnis oppressus, cùm fines suos difficilè tueri posset, Lusitanorum auxiliũ, opemq; implorauit, illisq; in finibus suis arcem, & oppidum ædificandi liberam facultatem concessit: quod quidem oppidum paruis cœptum fundamentis ea incrementa progressu temporis habuit, vt nunc inter præcipuas Indiæ vrbes meritò numeretur: frequẽtatur enim mercatorum Lusitanorum aduentu, Indicarum gentium appulsu, mercium varietate: adeò vt rex ipse ex eius portorijs, & vectigalibus non mediocres vtilitates capiat. LEO. Cæterarum coloniarum quænam fuit causa, & origo? MICHAEL. Exemplum sanè fidei, & amicitiæ à Cocinẽsi rege omnibus alijs propositũ, vtilitatisq; ab eo collectæ nõ minima demonstratio. Cũ enim cæteri reges intelligerent, quos fructus fidei suæ Cocinensis rex percepisset, non dubitarunt Lusitanos in gratiã etiam suã recipere, & ad oppida in suis finibus extruenda promissis, & precibus inuitare. Hoc modo Cananorij, Coulani, Cranganorij, Chaulij in finibus videlicet diuersorum regum variæ arces sunt ædificatæ, & Lusitanum nomen, quod antea obscurum erat, & suspicionsum in India, gratũ, & iucundum illis gentibus esse cœpit: ita, vt ipse Zamorinus ante acti sceleris sibi conscius cum illis etiam societatem inire vehementer exoptauerit, & Saraceni, quibus Christianum nomen inprimis infensum erat, multorum regũ finibus expulsi, nonnullaq; propria oppida amittentes, Lusitanorum iugum subire sint coacti, & Goa præclarissima Indiæ vrbs Saracenæ impietatis quondã certum domicilium, Christiani, Lusitaniq; nominis sit clarissimum quoddam caput, vnde fortitudinis, & religionis signa in reliquas omnes gentes inue-

huntur.

huntur. LINVS. Goa ista celeberrima vrbs, quam caput Lusitani in India imperij prædicas, sub cuius regis ditione antea fuit? MICHAEL. Sub ditione regis cuiusdam Saracenorũ, qui cum Zamorino, alijsq; Saracenis Christiani nominis inimicis de Lusitanis omnino extinguendis societatem iniit, & multis damnis Lusitanã gentem affecit: quib⁹ ad bellũ lacessita duce inuictissimo Alfonso Albuquercio non solùm Goa Saracenos expulit, sed etiam Ormucium nobilissimam Persici sinus vrbem, & Malacam aureæ Chersonesi clarissimum lumen sub suũ imperium subiunxit, & alia multa præclara facinora edidit, quæ nec huius temporis breuitate, nec tenui meæ orationis genere ad vnum percenseri possunt. Illud tantùm dicam, Lusitanum nomen apud omnes Indiæ gentes, propter præclara facinora, singularesq; virtutes, in summa quadã esse veneratione, & cultu, omnesq; illud veluti aliquid sanctum, & augustum reuereri. LEO. Mirum sanè est Lusitanos gentem externam, & peregrinam tam præclara facta in India patrauisse. MICHAEL. Multò magis admiraberis charissime Leo, si aliqua exparte in Lusitanorum historijs fueris volutatus. Harum tamẽ omnium rerum gestarum tres tibi causas compertas esse velim, fidẽ videlicet erga regem suum, animi inuictam fortitudinem, Christianæ deniq; religionis ardens studium, quibus virtutibus cùm essent ornati, nihil fuit arduum, aut difficile, quod non aggrederentur, nihil tantum, cui non optatum fastigium imponerent. LEO. Vnum illud opportunè occurrit interrogandum, quisnam Lusitani populi in India administrationem obtineat, cùm rex longissimo sit disiunctus interuallo? MICHAEL. Lusitanarum virtutum, sicut cæterarum omnium moderatrix est prudentia, qua ornati mirũ in modũ populi gubernandi scientia pollent. Nam, cæteris omissis, præfinito quodam tempore rex ille procul ab India semotus, virum aliquem patritium rei bellicæ experientia, & fortitudine notũ, proregem & vicarium suum mittit, quem omnes Lusitani tanquam ipsum regem cum summa fide, & pietate reuerentur, ita vt regis absentia nulli sit impedimento, quominùs iura, sanctissimæq; leges seruentur. Huic autem proregi subsunt multi alij duces, & præfecti per varias Indiæ vrbes, arces q; constituti, & ita à debito gubernandi ordine nequaquam quidem vnguem discedit. LEO. Magnam oportet esse illius proregis dignitatẽ

nitatem,& amplitudinem. MICHAEL. Magna ſanè eſt, cùm ipſe claro ſemper, & illuſtri loco ſit natus,& in tota India perſonam illam à rege ſibi impoſitã magna authoritate tueatur. LINVS. Nullum ne eſt periculum, ne prorex iſte tanta potentia,& maieſtate præditus rebellione factaà rege tuo deficiat, & totius Indiæ dominatum, vel tyrannidem obtineat? MICHAEL. Nullum ſanè,ſi Luſitanorum virtus diutiſsime comperta, & explorata ſpectetur: vnde fit,vt de tyrannide occupanda ne cogitatio quidem in mentem veniat: nec, ſi fortè tantum ſcelus animo occurreret, eſſet aliquis tanta notatus perfidia, qui eidẽ proregi proditionẽ machinanti aſſentiretur. Nec enim inter Chriſtianos principes in more poſitum eſt, vt inferiores magiſtratus proditionem contra regem ſuum conflent, nec eſt qui conflatã alere, corroborare ve audeat. LEO. Vtinam in noſtra Iaponia ſicut in Europa Chriſtiana religio floreret, quò facilius Iaponenſium hominum animi ad proditionem,& rebellionẽ faciles comprimerentur, & iſta pace, & tranquillitate tam multis bellis extinctis tandem aliquando frueremur. MICHAEL. Faxit immortalis Deus, vt tam feliciter noſtris eueniat: nec enim vllum aliud remedium excogitari poteſt melius,ad Iaponicorum bellorum incendium reſtinguendũ. LINVS. Ea eſt noſtrarum rerum conditio, vt meritò dubitari poſsit, ſufficiat ne iſtud remedium à te aſsignatum. Cùm enim noſtra Iaponia in tot, ac tam varios regum, principum, ducumq; dominatus ſit diſtributa, frequenter accidere neceſſe eſt, vt commotis odijs, intuſ dixq; facibus inflamãtis inteſtinis bellis inter ſe decertent. MICHAEL. Equidem non mea me fallit opinio. Ea eſt enim Chriſtianæ religionis vis: vt admirabili quodam vinculo Chriſtianorum animos interſe obſtringat, & regibus ſuis obſequentes, finitimiſq; principibus fideles reddat. Accedit quòd Chriſtiana lex cupiditates,quibus ad aliena appetẽda incẽdi ſolemus,magna exparte reprimat, & vnũquẽq; bonis à ſe partis contentũ viuere multis præceptis doceat, Chriſtũq; totius pacis, & cõcordiæ authorem Chriſtianis hominibus imitandũ aſsiduè proponat: quo fit,vt vniuerſus Chriſtianus populus à tam multis regibus, & principibus Chriſtianis gubernatus, in ſumma pace, & ſecura rerum ſuarum conſeruatione viuat. LEO. Faxit iterum Deus, vt pax iſta aurea in Chriſti ſanctiſsimo ortu à cæleſti nuntio

prædi-

prædicata eũ Christianæ religionis incremento nobis oriatur, & tã multi bellorũ tumultus, quibus assidue perturbamur, tandẽ conquiescãt. Sed explica nunc, quandiu Cocini fueritis commorati, & cur non statim Goam profecti Lusitani sedẽ amplissimã petieritis? MICHAEL. Causa ea fuit, quoniam ventorũ mutatione, & in briũ fluxu tempestas nobis idonea defuit, & hac de causa Cocini quasi in hybernis constitimus, coacti septimo enim idus Aprilis eò appulsi, vsq; ad totũ September ibidem conquieuimus, quo tempore per literas velocissimo nuncio Goa allatas, prorex ipse patri visitatori, non sine magna amoris significatione fuit gratulatus, &, vti omnia nobis abundè suppeditarentur, regios magistratus per literas admonuit. LEO. Ais mense Aprili, vos portũ tenuisse: qua igitur ratione vere tũc vigente in hybernis fuistis? MICHAEL. Quoniam prætermisso alio brumali tempore, quo frigus aliquod viget in India, etiã hyems dicitur tempus illud, quo natura rectè prouidente, nimij æstus assiduis imbribus temperantur, & vetis è mari vehementer flantibus nauigatio omnino præcluditur: hoc autem tempus mense Maio, vt plurimùm, initium habens, tres, aut quatuor menses integros perseuerat. Eo igitur tempore exacto, ineunte Octobri nauem conscendimus, & paucis diebus elapsis, ad optatissimam illam vrbem celeberrimum Lusitanæ gentis domicilium, secundis ventis, ac votis delati sumus: vbi maximo patrum Societatis conuentu, totius vrbis, proregisq; gratulatione sumus excepti: & post breuem quietem ipsum proregem humanissimè nobiscum colloquentem audiuimus, literas Francisci, Protasijq; regũ, Bartholomæiq; principis magna ipsius proregis alacritate, gaudijq; significatione referentes. LINVS. Velim scire hoc loco, qua veste in India, aliisque locis commorantes vsi fueritis, præsertim cùm proregẽ, aliosq; principes adieritis? MICHAEL. Prudenti patris visitatoris consilio factum est, vt earum regionum, in quibus morabamur, vsum tenentes, earum etiam veste, & lingua, quantum fieri posset, vteremur: vita tamẽ, vt cùm ad principes Europæ viros esset adeundum, & Iaponicus tum status, tũ habitus illis esset proponendus, nostrã Iaponicam vestẽ non minus illis gratam gestaremus. Hac veste indui proregem Indiæ, Albertum Lusitaniæ Cardinalem regis Hispaniæ ex sorore nepotem, regem ipsum Philippum, eius sororem mortui imperatoris coniugem, ad-

deniq; ipsum summum Pontificem, ad quem præcipuè legatio mitte-
batur, inuisimus: ita tamen vt aliquas alias vestes Lusitanas, subucu-
las videlicet has, thoraces, galeroſq; ex lanæ vellere egregiè confe-
ctos, causa maioris ornatus, adiungeremus. LINVS. Quem nam ma-
iorem ornatum ista Europeæ vestis additio afferebat? MICHAEL.
Maximũ sanè: cùm enim in Europa indecorum iudicetur, capite, col-
lo, & brachijs detectis incedere, non parum conduxerunt aliquæ Eu-
ropeæ vestes ad ornamentum. LINVS. Meis etiam oculis illud ge-
nus vestis non est iniucundum, illo tantùm excepto incommodo, quòd
corpus ea constrictum quodammodo, & colligatum videatur. MI-
CHAEL. Incommodum illud ex insolentia ac desuetudine oritur. Si
enim rectè consideres, multa sunt commoda, quæ ex hac veste pro-
ueniunt: nulla inprimis corporis actio ea impeditur: deinde contra
frigoris vim maximum est adiumentum: nec enim opus erit assidue
brachia, manuſq; intra sinum chlamydis, quam quimonum dicimus,
colligere: deniq; subuecula quotidie fere, vt fieri solet, mutata, chla-
mydis collum nullas sordes contrahit: atq; ita vndequaq; huius ve-
stis vsus ascõdo dauissimus censeri debet, siue ornatum, siue mundi-
ciem spectes. LINVS. Optimæ sanè sunt artes rationes reddita: illudq; so-
lum miror in nostra Iaponia istarum vestium nullum esse vsum. MI-
CHAEL. Iaponia hæc nostra longè ab aliarũ gentiũ consuetudine ab-
horrens, his remotissimis insulis terminatur: vnde fit, vt cùm alijs natio-
nibus nullũ fere habentes commercium, nostris tantùm vtamur, quæ
vel ipso vsu, pulchra nobis, & speciosa videntur: in Europa autẽ, vbi
variæ inter se gentes consuetudinis iure, & vsu sint coniunctæ, aliæ
ex aliarum inuentis, & artibus multas sibi vtilitates colligunt, vt in
vestibus videre licet. LINVS. Iam videris Europeas vestes nostris
præponere. MICHAEL. Nequaquam in mentem venit vnam ve-
stem alij præferre, sed id vestrũm iudicijs relinquere, qui modò has
Europeas vestes, decoras, graues, ornatas estis intuiti: thoracis tamẽ,
& subuculæ vsum valde probo, & hanc vtramq; vestem nostris addi-
debere iudico, quò ornatius sit corpus, & cõtra frigoris iniurias magis
munitũ. LEO. Equidem rectè dicit Michael: quod si per me liceret, fa-
cilè vtraq; illa vestis nostris adderetur. MANGIVS. Si calestium
horum mens, effici id sanè poterit, si Leo Protasio Animensi, Linus

Sanctio Omurensi fratribus suis hoc persuadeant: vt ita tam in Arimenses, quam in Omurenses fines haec consuetudo inducatur. LEO. Imò verò vos, qui ex Europa nuper aduenistis, facilè nostris principibus, & fratribus id persuadere potestis. MICHAEL. Temporis progressus iudicabit, quid nobis hac in re, & similibus faciendum videatur: sed iam nunc ad quietem nos recipiamus, quam ipsi socij iam fere dormitates exigunt. LEO. Me sermonis dulcedo, instar somni recreabat, sed iam finis hodierno colloquio imponatur.

De genere hominum Indicorum, & domibus à Societate in India extructis. Colloquium quintum.

LINVS.

Esterna noctis colloquio finem dedit sermo de Iaponicæ, Europeæque vestis discrimine, quo aliquantulum à proposito narrationis digressi sumus: nunc æquum est, vt eodem, vnde egressa est, tua redeat, Michael, oratio. MICHAEL. Digressio illa nihil inconmodi nobis attulit, imò quotiescunque fuerit aliqua alia similis interposita, narrationem suauiorem reddet, interrogationibus, & responsionibus variatam: quo fiet, vt fastidium, quod ex continuata dictione gigni solet, remedium habeat accommodatum. LEO. Fateor varietatem iucundam esse auditoribus, fastidium tamen vllum ex oratione tua gigni posse, prorsus inficior: nunc igitur perge ad ea, quæ sequuntur, explicanda. MICHAEL. Eramus antea in accessu nostro ad prorege[m] Indi[æ] [illegible]unus eo tempore gerebat Franciscus Mascarenius Villa [illegible] ex illustri Mascareniorum familia, multis domi, militiæq; [illegible]obilitata. Ille, qua erat humanitate, & comitate præci[illegible]ue, & hilariter accepit, & beneuolè amplexus, in singulo

rum colla catenas aureas cum sacrarum reliquiarum thecis affabre factis perhumaniter immisit, nosq; ad sui memoriam conseruandam so beneficio singulariter obstrinxit. Praterea regijs magistratibus præcepit, vt omnia, quæ tũ ad victũ, tum ad habitationem in Lusitania nauigatione nobis essent necessaria, abunde impertirent. Nec verò parua pecuniæ summa expensa est, cùm ad tria millia aureorum in varios vsus fuerint insumpta. LEO. Multũ tanè. Eos sibi deuinxit prorex iste, tanta in externos homines liberalitate vsus. MICHAEL. Multum equidem: sed non solus ille ea vincula nobis iniecit, sed plerique alij Europei principes, per quorum fines nobis iter fuit, simili magnificentia nos obligarunt. LINVS. Mirum quidem est, principes Europeos in externos homines ea liberalitate vti, quos nec nouerunt, nec sibi gratiam relaturos esse, sperare possunt. MICHAEL. Oritur huiusmodi magnificentia, tum ex pecuniæ, peculisq; abundantia, tum etiã ex amplo, excelsoq; animo nihil minoris, quàm aurum, & argentum faciente. Sed de Europeis principibus non est, quòd hoc loco latiùs agamus, alibi de illis ampliore mentionem facturi, vt eorum amplitudinem, dignitatemq; cognoscatis. LINVS. Meritò rem istam vberẽ, vt credo, & copiosam in aliud tempus differs: nunc, vt de Indicis gẽtibus aliquid dicas, locus postulat, quandoquidem de Cocinensi, Goẽnsiq; vrbibus sermo est habitus. MICHAEL. Istarum vrbium incolæ magna ex parte sunt Lusitani, siue mercatores, siue milites, qui tamen indigenæ nequaquã sunt censendi, nisi fortè illi, qui ex Lusitano genere orundi in India nascũtur: multi namq; Lusitani matrimonio coniuncti in varijs Indiæ vrbibus habitant. LEO. Quinam igitur sunt, qui propriè dicendi sunt indigenæ? MICHAEL. Hoc nomine censeri debent Indici homines, qui videlicet ante Lusitanorum in Indiam aduentum varias Indiæ regiones incolebant. Est autem genus hominum subnigro colore, facie non inuenusta, animo quidè abiecto, sed ad arma non parum prompto, vltra Saracenos, cum quibus Lusitanis bellum est, qui etiam aliunde ex Persida scilicet, & Arabia [illegible] ducunt, & rei militaris scientia magis valent. LEO. Si [illegible] tuæ narrationis ratio habeatur, magna est gentium m[illegible] colore præditarum: nam, si memini, & Malaios, & Pisca[illegible] esse colore natos affirmasti. Vnde colligo, multas esse [illegible]

affectas. MICHAEL. Malaca Goamvsq;, vt iam dixi, sexcentarũ leucarum spatium interijcitur, quod totum à gentibus nigra facie incolitur: sed vltra eas, multò plures sunt aliæ. Nam, vt cætera loca omittam, ab Incia Lusitanam vsq; totus ille Africæ tractus, qui tria millia leucarum continet, à quibusdam hominibus habitatur, qui a Latinis Æthiopes, vulgò Cafares appellantur, nigerrima facie, crispo capillo, aliisq; ingeniis Indicorum hominum dissimiles: vt interim silentio præteream longissima locorum spatia, per mediam Asiam, Africamq; porrecta, quæ ab eiusdem coloris hominibus incoluntur. Vnde fit, vt non pauciores iudicandi sint, quàm illi, qui candida facie sunt nati. LINVS. Dubitatio non parua se mihi offert circa istarum gentium colorem: si enim omnes homines à primis parentibus Adamo, & Eua originem habent, & illi, vt certum videtur, candido, & pulchro colore nati sunt, qui fieri potuit, vt tam multæ gentes paulatim nigrum colorem induerent? MICHAEL. Rectè vocas non paruam dubitationem, quam etiam implicatam quæstionem posses appellare: eam tamen ego totam Mancio, vel alij exsocijs explicandam committo: ipse autem aliquantulam conquiescens, narrationem rursus contexam. MANCIVS. Ego quidẽ multa de quæstione ista grauiora audiui, quæ tamẽ omnia Michaëli sunt valde nota, ideoq; idẽ, qui narrator est, philosophi etiam personam suscipiat, & causas omnes nobis exponat. MICHAEL. Quandoquidem Mancius munus hoc recusat, Martino illud committamus, qui & argumenta omnia huius materiæ, & totius quæstionis expeditionem memoriæ, literisq; mandauit. MARTINVS. Agè iam Michaël, ne auditores suspensos habeas: ista enim omnia ad eam personam, quam sustines, omninò pertinent. MICHAEL. Incipiam, & vestræ voluntati morem geram, propensisque variasopiniones, quas de hac quæstione audiui. Inprimis ergo sunt, qui asserãt, nimium calorẽ huius nigri coloris causam esse: affirmãt enim plerique geographi, & philosophi, mediam illam mundi partem, quæ torrida Zona dicitur, sub æquinoctiali plaga inter vtrumq; Tropicum constituta, tam vehementi solis ardore torreri, vt inde gẽtes omnes, quæ in ea regione habitant, nigrum illum colorẽ obtineant. LINVS. Bene indicas Michaël, te Europæ bonarũ artiũ altricem artigisse: deinde æquinoctialis plagæ, & Tropicorum mentionem facis: sed ista omnia

altiùs

altius aliquantulum sunt nobis exponenda. MICHAEL. Vt altius petito principio ista exponam, è cæli figura initium sumam, quam rotundam esse, non autem quadrangulam, vt Iaponici sibi persuadent, pro comperto habendum est. Hæc autem veritas, vt alias rationes omittam, tum ex ipso oculorum obtutu, tum etiam ex cælestium orbium conuersione patere potest. Vt enim egregiè ab astrologis notatum est, cælum instar alicuius perfectissimi globi in orbem mouetur, duobusq; axibus, siue polis nititur, quorum alter Arcticus, alter verò Antarcticus appellatur: ille ad Septentrionem, hic verò ad Austrum situs. Iidem autem peritissimi astrologi cælum in quinque præcipuas partes, & circulos diuidunt. Primus est, qui ab axe Arctico, Arcticus etiam circulus dicitur: secundus Tropicus Cancri: tertius linea æquinoctij, quæ mediũ cælum secat: quartus Tropicus Capricorni: quintus denique circulus Antarcticus appellatur. Locus verò ille, qui inter vtrumque Tropicum interponitur, & à linea æquinoctij media sui parte diuiditur, proprium iter solis est, quod singulis annis conficit, nunc ad Cancrum, nunc ad Capricornium accedens, nunquam tamen his finibus sibi à natura præfixis egrediens. Caterùm huius solis cursus ea est vis, vt ex eo temporum omnium vicissitudo, & noctium, dierumq; varietas omnino pendeat. Quoties enim sol ad Tropicum Cancri, qui ad Septentrionem vergit, cursum suum flectit: toties in Australi parte, & dies breuiores, & frigus vehementius esse solet: quod similiter in Septentrionali parte accidit, cùm primum sol ad Austrum cursum suũ reflectit, & iuxta maiorem, minoremue ad has duas partes accessum, quadruplex illa anni varietas, veris, æstatis, autũni, brumæque consequitur. Cùm verò sol medium illũ circulum, quem dixi lineam æquinoctij, tenet, tunc noctium, dierumq; æquale esse spatium comperitur. Pari item ratione iidem astrologi terram, quæ solida, & globosa est, in quinque partes, illis quinque cælestibus correspondentes, distribuunt. Ea tamen in re veteres astrologi sunt allucinati, quòd existimauerint, mediam illam terræ portionem, quæ plagæ æquinoctiali supposita est, tam vehementes solis ardores pati, vt nequaquam ab hominibus incoli posset: & vtramque illam, quæ circulis Arctico, & Antarctico vsque ad polos subijcitur, ita esse frigoribus infestam, vt neutra hominum habitationi locus esset. Dico autem, veteres [illegible] antiq[illegible]

gos

gos deceptos esse: quoniam experientia compertum est, tres illas regiones, quas illi hominum cultu desertas esse, fuit opinati, variis gentibus habitari, eamq; quæ media est, & zonæ torridæ subest, ab Æthiopibus, idest nigro colore hominibus occupari: quanuis enim ueræ illæ partes, una quidem calori, reliquæ uerò frigori sint obnoxiæ: naturatamen bene hominum utilitati prospiciente, factum est, ut variis remedijs ab ipsa inditis, incommoda illa magna ex parte leuarentur. Sed quoniam materia hæc est aliquantulum difficilis, formam cæli, qua Astrologi uruntur, sub aspectum uestrum subijciam. Ecce in hac sphæra, quam cernitis, uidere licet duos illos axes, quibus cælum quodammodo nixum circumuoluitur: deinde quinque illos circulos, quorum mentionem feci, ex quibus medium signifer orbis, suis Zodiacus locis, & utrumque Cancri, & Capricorni circulum attingens, solis cursum manifestè nobis demonstrat. Vt enim iam superiùs dixi, terminos in Cancro, & Capricorno sibi præfinitos sol non transgreditur, & in medio circulo æquinoctiali consistens, noctem diei æquat, & ad illos terminos accedens, vel ab illis recedens, temporũ uarietatẽ efficit. LEO. Vehementer oblectamur istius cælestis formæ aspectu, quam egregij alicuius artificis manu confectam nobis proponis: unde facile coniicimus, quàm parum docte, scienterque nostri Iaponici sacerdotes, quos Bonzos dicimus, philosophentur, qui cælum quadratũ esse autumant, solemq; circa quendam lapidem clepsydræ similem circumuolui, ex eiusq; ascensu, ac descensu, diei tum, noctisque uarietatem, caloris, frigoris q; uicissitudinem subsequi affirmant. MICHAEL. Equidem nescio, risu ne potius, an admiratione prosequenda sit eorum opinio: cælum namque rotundum, & globosum esse, ipsi oculi testantur: lapis autem ille, circa quem solem circumuolui dicunt fictus, & commentitius est omnino, nec quo loco, quo ue situ sit, ratione ulla ostendi potest. Mirandum tamen non est, ubi bonæ artes, disciplinæq; non florent, errorib⁹ locum patere: qui quanuis & rationi, & sensibus aduersentibus, progressu tamen temporis ita in hominum imperitorum mentibus corroborantur, ut difficillimè euelli possint, & iustam certissimarum ueritatum à populo comprobentur. LINVS. Ita est prorsus. Sed ex ijs, quæ à te dicta sunt, coniicio, calorem nigri coloris causam esse minimè dubiam. MICHAEL. Minimè du-

biam

biam non dixerim, cum aduersis eam sententiam non pauca, & grauia sint argumenta. LINVS. Gratum facies, si etiam ista argumenta retuleris. MICHAEL. Referam tantum duo, vel tria, quæ præcipua se mihi offerunt. Primum est, quoniam si ater ille color ex nimio tantum solis calore induceretur, fieret profectò, vt soli Zonæ torridæ incolæ hoc colore nascerentur, & quò magis Zonæ huius partes ad lineam æquinoctij accedunt, eò gentes, quæ sub illis habitant, essent nigriores, quòd breuiores solis recessus patiantur: quod tamen falsum esse, experimento constat. Malacenses enim, & alij similes, qui sub æquinoctij subsunt, multò minus atri sunt aliquibus, qui sub Tropicis viuunt: quod ex eo manifestè patet, cùm explorati sit, eos Æthiopes, qui in promontorio Bonæ spei ad Austrum trigintà quinque gradibus porrecto, & omnino extra torridam Zonam collocato, degunt, nigerrimos esse, & crispo admodum capillo. Nec verò ad nimium calorem confugi potest, cùm nauta Lusitani illud promontorium flectentes, vehemens frigus, breuesque dies in eo tractu experiantur: quo fit, vt non soli calori, atque æstui niger color sit tribuendus. LINVS. Bona sanè ratio, sed quæ alia repelli possit. Si enim tecum disputare vellem, dicerem, homines Æthiopes sub plaga torrida viuentes, vxores ad Austrum domicilium mutauisse, ibique filios sibi similes procreasse. MICHAEL. Imò ista ratio à te adducta meam confirmat: si enim color ille à solo nimio calore efficeretur, sublata causa, rem etiam effectam tolli necesse erat: vnde fieret, vt quò diutius illi homines Æthiopes in Australi plaga degerent, eò magis niger ille color remitteretur: quod nequaquam fit: multis namq; locutis, atque arantibus nigri æque nigros gignunt. Quia de causa non calori tantum, sed parentum semini, ac naturæ color ille tribuendus esse videtur, iuxta philosophorum axioma, quo asserunt, simile à simili procreari. Hanc à me propositam rationem corroborat illud etiam experimentum: quoniam si eos coniuges Æthiopes in Lusitaniam, vel aliam ad hominibus albo colore cultam regionem profici contingat, ibiq; filios progenuerint, non minus nigri, nec alijs lineamentis præditi nascuntur. Si verò contrà alter coniugum albo colore, coniugem Æthiopissans in matrimonium ducat, filij colorem matris multò magis præ se ferunt, & diuturno tempore paulatim fit, vt nepotes, pronepotesq; & reliqui

posteri maculam ab illa prima matre inustam paulatim eluant, & omnino ad candidum colorem redeant. Deniq; si albo colore coniuges ad Æthiopū terras cōmigrent, ibiq; genus propagent, totū illud eodem candido colore præditum oritur: si tamen candidi cum nigris matrimonio iungantur, nota illa atri coloris veluti litura quædam cō trahitur, quæ rursus matrimonio cū albis coniugibus inito paulatim tollitur. vnde prorsus fit, non calori, sed genit. Ii alicui causæ co oré es se ascribendū. LINVS. Iam nunc in sententiam tuam inclino, dubito tamen, quæ sit ista genitalis causa: cum omnes homines à primis parentibus Adamo, atq; Eua tanquam à prima stirpe sint propagati, qui tamen tali macula omnino caruerunt. Qui ergo fieri potuit, vt posteri nulla alia demissa è cælo vi, æthiopes in quibusdam regionibus redderentur? MICHAEL. Hoc opus, hic labor est, reddere videlicet causam huius noui coloris in genus aliquod hominū introducti. Sunt ergo qui ad diuinam iustitiam, peccatorumque supplicium huius rei causam referant: affirmentq;, cùm primum post communem eluuionem Noënus ab vno filiorum nomine Cham minus reuerenter est habitus, eum iusta indignatione commotum male filio fuisse precatum, ex eaq; imprecatione in eum, eiusq; posteros maculam illa nūquā omnino delendā redūdasse. LEO. Si istud ita se habuisset, profectò sacris literis fuisset nobis traditum, in quibus nulla istius pœnæ fit mentio. MICHAEL. Si sacris literis traditum nobis hoc fuisset, nulla superesset dubitandi occasio: sed sicut non est omnino certū, eò quod in sacris monumētis non reperiatur: ita etiam non est omnino reijciendum, eò quòd ijsdem sacris libris non sit mandatum: scimus enim, multa euenisse, eaq; à grauissimis authoribus scripta, quæ à sacrarū literarum scriptoribus fuerunt prætermissa: supplicij tamen genus quoddam fuisse, inde coniicitur, quòd Æthiopes non solùm atro sint colore, sed tristi, & distorta, vt plurimùm facie, & agresti quadam, incultaq; natura, & ad omnem inhumanitatem, feritatēq; propensa: ita vt credibile sit, propter aliquam alicuius parētis culpam genus illud hominū diris quodammodo esse deuotū. Dici etiā meritò potest, causam illius coloris, lineamentorumque esse occultam aliquam, & cælestem vim tum ex solis ardore, tum ex occultis causis conflatam, qua efficitur, vt non solùm Æthiopes atro sint corpore, ve

rum etiã aliæ gentes ab alijs, lineamentorũ varietate secernãtur. Nos enim Iaponenses, Sinæq; ab Europeis, oculis tum minoribus, tum profundioribus, & naribus simis, ac depressis differimus. Non igitur mirum est, si ex occulta aliqua cælesti causã cum calore solis coniuncta, aliquæ gentes nigrescere paulatim cœperint, capilliq; earum torqueri, & hoc veluti naturæ vitium à parentibus ad posteros fuerit traductũ. Imò hæc videtur optima ratio: nec enim omnino calorem è numero causarum excludit, nec ad diuinum miraculum quasi ad cõmune asylum confugit: sed partim calori, partim occultæ causæ, & parentum semini, colorem hunc acceptum refert. LINVS. Isto sanè modo discrepantes authorum sententiæ conciliari possunt. Sed explica nunc, quare antiqui philosophi, & astrologi nec intra Zonam torridã, nec intra circulos arcticum, & antarcticum habitationi humanæ locũ esse fuerint arbitrati. MICHAEL. Non est mirandum, veteres illos rerũ tantum naturã cõtemplatos, & nullo experimento ductos, illud sibi persuasisse: cùm enim, quò propius sol ad aliquem locũ accedit, eò ardentiori calore locus ille torreatur, dieisque sint longiores, opposita parte frigescẽte, eosdemq; dies habente contractiores, non fuit omnino à ratione alienum existimare, Zonam torridam, à qua sol non recedit, & loca, quæ sub vtroq; axe sunt, ad quæ nunquàm accedit, siue ad Aquilonem, siue ad Austrum cursum flectat, nullam commodã hominibus habitationem præbere posse. Auctor tamẽ naturæ, qui sapientissimè omnibus humanis incommodis prouidere, & consulere solet, ea adhibuit remedia, quibus caloris, & frigoris vis temperata, homines illorũ locorũ habitatione non excluderet. LINVS. Enumera remedia, quibus naturæ author calorem mediæ plagæ moderatus est. MICHAEL. Primò loco numero ventos, qui totam illam Zonã torridam assiduo fere flatu refrigerant, & adeò sunt frequentes, lenes, ac salubres, vt torridæ Zonæ calor ab Europæ, & Iaponiæ æstiuo calore pene superetur. Iam verò certo anni tempore in aliquibus torridæ Zonæ locis, ita venti sunt frigidi, præsertim è mediterranea parte flantes, vt necesse sit ad communes vestes alias calidiores adhibere: & aqua ita frigescit, vt suauissimum sui potum illius regionis incolis præbeat, præsertim pomeridiano tempore, quo vento remissiore dies aliquantò magis incalescit, aqua tamẽ frigus maturinum conseruãte.

Secun

Secundo loco habent illius regionis habitatores vehementes pluuias eo præsertim tempore, quo sol supra verticem conscendens ardentius terras inflammare posset, nisi imbres illi decidentes obsisterent. Tertio habent fluuios multo quam in alijs locis frequentiores, qui anniuersario decursu ita terram irrigant, vt eam calore solis torreri ho patiantur. Denique, vt alia omitt. n, habent opacissima arborum nemora, quibus solis ardor optime prohibetur; præterea cum fere omnes eius sint naturæ, vt nullo anni tempore foliis omnino careant, sed alijs decidentibus alia emittant, & ita earum amœnitate, fructuumq; suauitate incolæ multum in medu recreentur. LEO. Iuuis egregijs a Deo adhibitis remedijs Zona illa non torrida, sed temperata dici potest. Sed quæ sunt illa comoda, quibus natura intra circulos arcticum & antarcticu frigoris vim, asperitatemq; copensauit? MICHAEL. Nos ea loca non adiuimus: auditione tamen, & librorum lectione accepimus, nec etiam illis gentibus sua commoda deesse. Quod enim attinet ad noctium diuturnitatem, quæ in quibusdam locis mensuræ, bimestres, trimestres, imo & semestres sub polo vtroq; sunt: in primis leuatur hæc molestia ijs temporibus, quæ crepuscula dicuntur: quæq; illis longiora sunt: deinde sole diu absente lunæ, stellarumq; splendor multo magis viget: deniq; propter magnam arborum copiã talia fiunt incendia, taleq; pyræ, vt lucem diurnam superare videantur. Frigoris autem difficultas habet etiam sua leuamenta: nam præter illam assiduam lignorum combustionem, comestici; igni calore, non desunt multa, & varia animalia, ex quorum pellibus consectis, & contextis egregiæ vestes fiunt ad vim frigoris depellendam. vt interim omittam hypocausta, cryptas, aliaq; sin ilia loca, in quibus igne semper asseruato non incommode viuitur. Denique nullus est locus aeo æstu, frigore ve infestus, qui non habeat suarum molestiarum leuationem a natura inditam, vel arte comparatam: quod non assequentes antiqui philosophi, & mathematici terras illas medias, & extremas, hoc est sub Zona torrida, & vltimis circulis collocatas, hominibus omnino vacuas esse nobis tradiderunt. LEO. Magnam sane ex istis tam varijs terrarum situbus, & qualitatibus cognoscendis voluptatem capimus, vt cum alijs, ad quorum aures nondum perueniunt, communicare ista possimus. Sed quæso, expone, quibus legibus,

quaue religione obſtrictæ teneantur gentes omnes illæ, quæ tam multæ, vt dicis, nigro colore tinctæ. MICHAEL. Iſtas quidem gentes exleges, & irreligioſas omnino dicere poſſumus, cùm nec certis legibus, nec certa aliqua religione in officio contineantur, ſed inſtar pecorum, quæ natura prona, & venti obedientia finxit, magna ex parte viuant, cupiditatibus ſuis, vitijſq; addictæ, omni prorſus cultu, & humanitatis ſenſu carentes. Vnde meritò dictum eſt à philoſopho quodã Europæo, gentem illam ad ſeruitutẽ prorſus eſſe natam. Et quidem quod ad religionem attinet, ea ſunt harum gentium circa Deos figmenta, eaq; deliramenta, vt ex hoc vel maxime teſtimonio colligi poſſit, quã ſo in errore omnes ethnici verſentur, qui tam inanes fabulas, & ſomnia confinxerunt: quod etiam in noſtris Iaponicis adhuc ethnicis videre licet. LEO. Ita prorſus eſt Michael: oculis enim ipſis cernimus, in noſtra Iaponia tantam eſſe, ac tam multiplicem inanium ſectarum varietatem, vt meritò noſtri homines veluti in chao verſari videãtur. MICHAEL. Maximum ianè eſt hoc argumentum ethnicæ falſitatis, & Chriſtianæ veritatis. Ethnici enim quot quot per varias regiones ſunt ſparſi, religionem ad ſuum ſenſum, iudiciumq; componentes, tot ferè habent Deos, quot ſunt eorum ſenſus, ac iudicia: Chriſtiani verò non ſuæ intelligentiæ tantum lumine, ſed diuino ſplendore præcipuè, ea, quæ ad religionem pertinent, ſpectantes, varijs quidem, ac remotis prouincijs, regionibuq; diſſiti, linguis diſſoni, moribus diſcrepantes vnum tamen Deum, & ore prædicant, & vitæ ſuæ exemplo teſtantur: veritas enim vna, ac ſimplex eſt, nec in plura diſtrahi, diuelliq; poteſt. LINVS. Vtinam Iaponenſes noſtri iſtam vnam, ſimplicemq; veritatẽ vno conſenſu, conſpiratione q; ſequantur. Sed ſcirevelim, quæ nam ſint in India patrum Societatis domicilia, quis ve habitandi modus? MICHAEL. In India multa ſunt patrum Societatis tum collegia, tũ domus, tum priuata domicilia. Nam Cocini omninò conſtructum habent collegium, in quo viginti quinque ex Societate, & eò plures viuunt. Extra quod in eiuſdem Cocinenſis regni finibus alia minora habent domicilia, præſertim inter eos, qui vulgò diui Thomæ Chriſtiani nuncupantur, quos iam inde à Chriſtianæ reipublicæ exordio diuus Thomas, vnus ex ſanctiſſimis Chriſti Apoſtolis, à fal à ſuperſtitione ad Chriſtianam pietatem traduxit: quos tamen temporis diuturnitate

nitate laxiori disciplinę deditos patres Societatis ad veterem illam Christianæ doctrinæ normam reuocant, ibiq; puerorum habent seminaria, vbi pueri egregiè educati, & politica sacris nitidi gentem tam politi sint diuinis institutis imbuere. Præterea in iisdem finibus patres Societatis eorum saluti, & vtilitati consulunt, qui vsi ipsi ro labore, ac industria Christo nomen dare persuaserunt: qui multi sunt per illa maritimam oram prisi vsq; ad Coulanensem arcem, vbi etia Societatis est domicilium. & inde totus ille sequens tractus citra Comorinū promontoriū, qui Trauancoris dicitur, & ille alter vltra idem promontorium, qui Piscaria, vt diximus, appellatur, multis priuatis patrum Societatis domibus abundat, in quorum singulis duo simul degunt, & totam illam gentem olim rudem, nunc optimè Christiano cultu perpolitam in officio continent. Ad hæc duo habent seminaria, alterum Coulani, alterum in Piscariæ tractu, in quorum vtroq; speranda est, pueros ingenuè, & religiosè educatos progressu temporis optimos sacerdotes, diuinarumq; rerum ministros euasuros. Iam verò Goæ, vbi caput Lusitanæ ditionis est, tria optima habent patres domicilia, in quibus centum, & sexaginta Societatis viuunt. Primū est domus professorum, cuius opus quamuis adhuc nouum sit, nondumq; omnino exædificatum, cuius tamen Formæ est, ac structuræ, vt facile cum Europeis ædificijs amplis, & magnificis conferri queat, & iam nūc quadrigenta scholastici ex eleemolynis à ciuibus magnificè erogatis viuentes per commodè capiat. Secundū est collegiū diui Pauli, cuius opus antiquū est, ac magnificum, templumq; habet ita nobile, vt per totam Indiā nominis celebritate sit conspicuum, & reliqua omnia Indiæ templa magnitudine superet. In hoc autem collegio habitant illi, qui bonis artibus adhuc operam nauant, & numero sunt octoginta. Tertiū est domus tyronum, siue nouitiorum, vbi qui primo vitæ huius bonis, voluptatibusq; nuntium remiserunt, in Christiana militia se gnauiter exercent. & ad euertendam diaboli potestatem spiritus, ac vires sumunt: vt postea in collegijs bonis artibus imbuti perfecti milites euadant, & à miserorum hominum ceruicibus peccati iugum depellant.

LINVS. Quorum tam multa in vna, eademq; vrbe domicilia? non ne melius esset illos patres per varias vrbes, oppidaq; distribui, vt ita vberior fructus operarū multitudine colligi posset?

MICHAEL. Sapienter,

enter, & vtiliter à patribus huic negotio prouidetur. Qui enim per varias vrbes, regionesq; dispergendi sunt, primùm in tyronum domo prauos mores, quos ex profanorum hominum societate induerunt, exuentes, & Christi armis tractandis assuescentes, posteà ad collegia transferuntur, vbi præclaris artibus, doctrinisq; exculti, tandem Christianæ legis optimi doctores, magistriq; euadunt, & reliquos homines ignaros facilè diuinis præceptis instituunt. Nec enim perpetuò hi patres Goæ commorantur, sed prius in duobus domicilijs virtutis, & sapientiæ præsidijs muniti, vel ad professorum dignum transeunt, vt ciuibus Goënsibus possint esse emolumento, vel in varias Indiæ prouincias etiam valde remotas, vt ad Molucas insulas, imò & ad Sinas, nostramq; Iaponiam excurrunt, & totam Orientalem plagam frequentant. Plura etiam alia patrũ domicilia in Indiæ parte septentrionali numerantur, quæ quoniam non adiuimus, silentio prætermitto. Sed iam nunc ad Lusitanicam nauigationem accedamus, sitamen prius quiete interposita narrationem interimiserimus. LINVS. Sit ita: & hæc tua continuata dictio non mediocrem nobis voluptatem afferebat, sed illam in crastinum diem reseruemus.

De nauigatione facta ab India vsque in Lusitaniam Colloquium sextum.

MICHAEL.

TEmpus postulat, vt ab India ad Lusitaniam nostra transferatur narratio: quandoquidem in Indicis rebus plus modico iamus immorati, & multa alia supersunt ad totius nostri itineris rationem vobis reddendam. Ideo omissis aliquibus, quæ non tam necessitati, quam voluptati inseruiunt, in huius nostri congressu de nauigatione in Lusitaniã vsq; nobis agendum videtur. LEO. Quæ a te in his colloquijs referuntur, studium nobis mouent, atq; excitant multa interrogandi: illis tamen prætermissis, de Lusitanica nauigatione audire cupimus, vt tandẽ ad Europeas res, tanquam in campum amplissimum tua proueharur ora-

oratio. MICHAEL. Post breuem illam paucorum dierum Goæ commorationẽ tẽporis opportunitate aduentante patri visitatori, aliisque Societatis patribus, non sine multis lacrymis vltrò, citroq; fusis salutẽ diximus, ijsq; demum magnâ desiderij significatione nos prosequentibus nauem Lusitanam conscendimus. LEO. Qua ratione assecutus es, vos patri visitatori salutem dixisse? non habuistis illum nauigationis socium, atq; ducem, sicut ipse se facturum hic recepit? MICHAEL. Semper ea fuit patris visitatoris mens, neq; illam leui aliqua de causâ mutauit: sed cùm iam expeditio nostra parata esset, literæ Româ allatæ nobis illũ abripuerũt. Quoniã pater Præpositus Generalis Societatis illis literis Præpositi prouincialis in India Orientali munus ei imposuit, quod neq; recusare, nec in alterum reijcere, nec denique eo fungens ex India proficisci poterat: quo factũ est, vt nostræ spes de eius ductu, & comitatu nobis præciderẽtur. LINVS. Nõ minimũ sanè fuit istud tantæ voluptatis temperamentum: sic enim in Europam, quasi in alium orbem sine tali duce, ac signifero minus iucundè vobis erat proficiscendum, præsertim cùm pater ipse in suam tutelam, fidemq; vos recepisset. MICHAEL. Quis neget, nos maximam voluptatis fecisse iacturam patris præsentia, societateq; carentes, cum quo non minori quàm filiorum erga parentẽ amore coniuncti eramus? Sed ratio ipsa, quæ necessariò parendum patri Generali præscribebat, nos in eo casu maximè est consolata: præsertim cùm experimento assequeremur, Societatis patres ita esse charitatis vinculo colligatos, vt omnium eadem sit mens, idem animus, idemq; sensus, nosq; etiam sine patre visitatore iter illud aggredientes non esse vlla benevolentiæ, & amoris signa in Europæis patribus desideraturos. Nec nostra nos fefellit opinio: quamuis enim in hoc nostro longissimo itinere cum multis patribus lingua, & natione distinctis, locorumq; interspatijs distinctis fuerimus congressi, eundem tamen animũ in omnibus, quasi in eiusdem linguæ, & loci hominibus manifestè sumus experti. Præterea quãuis patre visitatore nõ sine magnâ iactura careremus (præterquã quod aderat nobis pater Iacobus Mesquita præceptor, & pædagogus charissimus) adiunctus est nobis alius eiusdem illius comitatus cum patre videlicet Nonius Rodericus magnæ virtutis, & authoritatis vir, qui tunc collegij Goensis rectore agebat, cuius præsentia patris visi-

tatoris absentiam bona ex parte suppleuit, eoq; duce naue conscendẽtes breui ad Cocinẽiem portum peruenimus, quò Indicæ merces comportari, & in naues Lusitanas imponi solent: vnde vlterius decimo Calendas Martij anni 1584. feliciter soluimus, eodemq; anno sexto Idus Augusti celeberrimum Lusitaniæ portum Olysiponem sem tenuimus. LEO. Breuibus quidem verbis totam nauigationem complexus es, cùm tamen re ipsa longũ eius fuerit spatium: si enim recte illius temporis ratio subducatur, sex à vobis mense decem dicbus exceptis consumpti sunt. MICHAEL. Ita est Leo charissime. Nauigatio enim ab India in Lusitaniam cæteras omnes, quæ hactenus sunt inuentæ, temporis diuturnitate superat, imò & periculorum multitudine, molestiarumq; difficultate: Deus tamen, qui in eo itinere velut erga teneros filios magna indulgentia in nos vsus est, eam periculosissimam viam ita tutam, periculisq; omnibus vacuam reddidit, vt sine vlla difficultate, ventis semper prosperè flantibus, velis semel, atq; iterum tantùm demissis eam confecerimus: quamuis in Indiam redeuntes, tanquam robustiores milites, in multarum rerum difficultate, variisq; periculis fuerimus versati. LINVS. Mirũ equidem est, & velut instar somni, hominem sex menses integros naue aliqua vehi, in qua receptacula non admodum capacia, & spatiosa esse possunt, & aliæ multæ difficultates tolerandæ sunt, præsertim illa in nauem velut in carcerem inclusio: nec enim esset aliquis, cui etiam si domus regio apparatu ornata sex menses continenter incolenda propenderetur, tandiu in ea retentus, atque inclusus contineri posset: nedum in naui tot, tanquè variis molestijs referta. MICHAEL. Vera refers Line. Nauis enim molestiæ carceris ipsius difficultates superant. Verùm quemadmodum in cæteris humanis rebus optati alicuius finis consectatio mediorum acerbitatem dulcissimi exitus spe, & expectatione minuit (vt videre licet in belli ducibus, & militibus, qui spe obtinendæ victoriæ nulla non pericula capitis, incertiq; Martis euentum subeunt) non secus nobis accidit: optatissimus enim ille ad Lusitaniam, Europamq; accessus quasi cuiusq; maris, nauigationisq; molestias, tædiaque alleuabat: quòcirca diutius in itinere morabamur, eò portum tenendi spe maiori reficiebamur. LEO. Qua in re, occupatione vs tempus, dieſque, qui non possunt non longissimi videri, in illa nauigatione conterebatis? MICHAEL.

EL. Tempus nauigationis, si tempestatibus, & procellis sit infestum, difficile, & cùm summo labore transigitur: si tamen adsit serenitas, & secundorum ventorum flatus, multa sunt, quibus nauigantes distineri possunt, quò minùs ægrè temporis diuturnitatem ferant: quod præcipuè nobis vsu venit, nō nunquā linguæ latinæ peritis dantibus, interdum instrumenta musica pulsantibus, deniq; nō rarò piscatu variorū piscium, siue dulcissima aliorum vectorū consuetudine animos relaxantibus, non tamen solitis ad Deū, diuosq; precibus omissis. LINVS. Ita ne sex istos menses in mari consumpsistis, vt nunquā terram, vel attigeritis, vel præteruecti conspexeritis? MICHAEL. In hac Lusitanica nauigatione nullus alius aditur portus, nullaq; terra attingitur, nisi insula quædam, quæ à diua Helena nomē habet, & à promontorio bonæ spei æquinoctij lineā versus longè distat, quā in medio mari velut opportunū quoddā illā nauigationē obeūtibus diuersoriū Deus prouidentissimus constituit, vbi & aquari, & vires reficere, & ex carnibus, fructibusq; non paucis victū instaurare vectores solent. LEO. Itane est, vt terra frequēter non cōspiciatur? Quī ergo fieri potest, vt nauiū magistri metiligant, quā mundi plagam teneant, & quā in partē cursus sit dirigēdus? præsertim sæua aliqua tempestate cæli, astrorumq; cōspectum impediente, nullisq; maris metis, aut limitibus defixis, quibus cursus certa ratio haberi possit. MICHAEL. In re tam necessaria ars illis opitulatur: ea enim paulatim exculti non nulla instrumenta inuenerunt, quibus vtentes ita certam, exploratamq; habent nauigandi rationem: vt quocūq; die vbi sint, quò tēdere, quæ loca cauere debeant, certissimè cognoscant. Vtuntur autem præcipuè astrolabio, siue planisphærio, charta nauiculatoria, atq; acu, quibus instrumentis nauigandi modum facilè assequuntur. Astrolabio namq; distantiā à pūcto solis, moxq; à polo, & linea æquinoctij comperiūt: charta, vbi oræ totius maritimæ tractus sunt descripti, locum, quò peruenerunt, circino designant: acu deniq; septentrionem, & austrum demonstrante, in quam partem flectēdus sit cursus, intelligunt: quibus animaduersis, & aliorum nautarū, siue magistrorū obseruationibus, quas literis traditas secum afferunt, perlectis, iudicioq; & vsu adhibito, nihil est tam difficile, quod plerūq; non assequantur, & rarò ab instituto itinere aberrare solent. LEO. Mira sanè narras, & quæ hactenus nobis fuerunt ignota: vt tamen ea melius cognoscamus, singulorum instrumentorum

vim, vſumq; nobis explica. MICHAEL. Faciam libenter: eaq; ante veſtros oculos ſingula proponam. Affer puer ea inſtrumenta, quæ in meo cubiculo clauis ſunt appenſa, quibus ego frequenter relaxare animum ſoleo. Nos equidem intelligentes, quantum futurum eſſet, & quam ardens noſtrorum hominum ſtudium in cognoſcendis ijs, quæ nobis in itinere euenerunt, omnia comparauimus, quæ ad facilem intelligentiam conducere ſunt opinati. Ecce in primis vobis propono aſtrolabium, quod, vt dixi, nauigantibus conducit ad altitudinem poli, & receſſum, aut acceſſum ad lineã æquinoctij cognoſcendum, ſolis aſcenſu, ac deſcenſu obſeruato. Vt autem eius vſum faciliùs cognoſcatis, aduertendum eſt, mathematicos, qui cæleſtium rerum ſcientiam profitentur, totum cæli ambitum in quatuor partes diuidere: quarum vnaquæq; à quouis polo ad æquinoctij lineam producta nonaginta habet portiones, quas ipſi gradus appellãt: ita vt totus ambitus, qui à polo arctico per lineam æquinoctij vſq; ad polum antarcticum producitur, & ab eodem polo antarctico rurſus per lineam æquinoctij ad eundem polum arcticum regreditur, trecentos, & ſexaginta gradus contineat: & ſingulæ illæ quatuor partes præcipuæ à polo ad lineam æquinoctij, nonaginta gradus complectantur: ſunt enim inter ſe æquales. Singuli autem gradus adhuc in minutiores portiones, hoc eſt ſexaginta minuta diſtribuuntur. Pari ratione totum terræ ambitum, qui ſub cælo iacet, ijdem mathematici in totidem membra ſecant, & obſeruatione certa intelligunt, vnumquẽq; terræ gradum, ſi rectum iter à ſeptentrione ad auſtrum fiat, decem & ſeptem leucas cum dimidia continere, quæ facile ſiue ad noſtras leucas, ſiue ad Italica miliaria, vt diximus ſuperiùs, ſupputando reduci poſſunt. Vnde fit, vt tota terra, quæ rotunda, & globoſa eſt, ac trecẽtas & ſexaginta portiones amplectitur, toto ſuo ambitu ſex millia leucarum ſupra trecentas habeat. Cùm ergo notæ ſint cæli, terræq; portiones, confectum eſt hoc aſtrolabium ita artificio è: vt omnes illos cæleſtes gradus ob oculos proponeret, & ſtylus hic media ſui parte foramen illud vtrumq; habens ſingulos gradus deſignaret. Vt autẽ certus ſit gradus vno quoq; die deſignandus, nautæ manu aſtrolabium meridiano tẽpore tenẽtes, ita ſtylũ ad ſolis radiũ applicãt, vt ſolis radius recto curſu foramẽ penetret, & ille ſit certus gradus à ſolis pũcto diſtãs, quẽ tũc ſuperior pars ſtyli, ſiue mediclinij deſignat. Vnde faci

lè cõijciũt, quãtũ à ſole diſtẽt: deinde ſubducta ratione, acceſſus ſolis, vel receſſus ſiue ad auſtrum, ſiue ad aquilonẽ colligunt, quanto ſint à linea æquinoctij interuallo: quo cognito charta hanc in manus ſumũt, & in eadem punctum ſiue ſpatium loci, in quo ſunt, diſtantiamq; à linea æquinoctij ibidem notant: nam in eadem charta circuli cæleſtes, & gradus ſimiliter, vt videtis, ſunt ſcripti ſimul cum maritimarum orarum tractibus, à quibus quata intercapedine ſint diſiuncti, ſuppurratione facta aſſequuntur: idq; quotidie facientes quid itineris confecerint, quantumq; à loco aliquo ſint remoti, conijciunt. Vt autẽ nauis curſus dirigatur, multum etiam conducit acus, quam videtis, quæ ex ferro confecta ſtyli cuiuſdam cuſpide librata ſuſtinetur: & vtraq; eius pars ita cum lapide quodam, qui magnes dicitur, confricatur, vt ex eo attritu lapidis virtute ipſi acui, ſiue regulæ communicata, altera pars ſeptentrionem, altera auſtrum nulla mutatione facta aſsiduè ſpectet: quo inſtrumento moniti nautæ quamuis in profundo pelago, & cælo nubilo, & caliginoſo verſentur, nauis curſum ſiue ad ſeptentrionem, ſi opus ſit, ſiue ad auſtrum dirigunt. His autem duob⁹ præcipuis ſignis notatis adiunguntur etiam aliæ lineæ, vt videtis, ad circulum deductæ, quibus non ſolùm quatuor præcipui vẽti Aquilo, Auſter, Subſolanus, & Zephyrus cognoſcũtur, ſed reliqui interiecti obſeruantur: ita vt iuxta ventorũ varietatẽ, terminumq; itineris à nautis præſtitutũ nunc huc, nunc illuc nauis gubernaculo impellatur, nũc hoc, nũc illo modo vela ad excipiendã ventorũ vim aptentur, accõmodenturq;. His accedit ſolers nautarum iudicium, longumq; experimentum, aliorum item peritorum magiſtrorum ſcriptæ, & frequenter lectę obſeruationes, quibus omnib⁹ ſimul conducentibus non facilè à ſcopo declinatur. LEO. Mirum equidem in modum aſpectu iſtorum inſtrumentorum ſum recreatus: & quamuis nunc primum eorũ notitiam habeam, non difficilè tamen concipio, qualis ſit eorum vſus. Verùm aliquæ ſemihi offerunt dubitationes, quibus ſatis facias velim. MICHAEL. Satis facere curabo, quantum in me fuerit, meq; incutiam ſupplebit ingenium, acumenq; ſociorum, quos hæc omnia mentis acie multò meliùs perueſtigaſſe, credo, & audita multò firmiùs retinere mihi perſuadeo. LEO. In primis aueo ſcire, quid faciat nautæ tempore, quo cælum nubibus eſt obductum, & atra caligine circumtectum, & mare varijs ventis, tempeſtatibusq; agitatum: tunc

enim sole non apparente assequi non possum, quomodo distantiam ab eo, certumq; gradum metiuntur comperire queant. MICHAEL. Si tale sit nauigationis tempus asperum, & difficile, quale modò descripsisti, intermisso astrolabij vsu, in acu semper duas illas cæli partes quas dixi, designate, magnum est perfugiū, adiuncto veteri experimento, periclitationeq; nautarum, qui gradus præterita serenitate cognitos memoria tenentes, & quantum post coortam tempestatem itineris confecerint, ratiocinantes, tum ex præfixo sibi termino, ad quem nauim direxerunt, tum ex vi, aut remissione venti, siue à puppi flantis, siue ad latera inclinantis, tum denique, ex alijs circunstantijs, quas ipse vsus docet, non obscurè intelligunt, quo in loco maris sint, quò ve tendere debeant: donec diuulsis nubibus sol iterum comparens certam illam viam instrumento cognitā demonstret. LEO. Bene habet, sed quid, si non rectò curlit ad septentrionem, aut austrum tendatur? extra quem non video, quin facilè leucarum numerus, qui vnoquoque gradu continetur, colligi possit, nisi fortè vnus, idemq; est, in quācūq; partem nauis prouehatur. MICHAEL. Numerus quidem non est idē, sed mutato nauigationis termino, leucarum etiam numerus mutatur, eōq; magis accrescit, quò à septentrione, atq; austro in obliquum deflectitur. Cùm autē nautæ optimè intelligāt, qualis sit in vnoquoq; gradu leucarum numerus, iuxta terminorum, ad quos tenditur varietatē, quocunq; cursum teneant, quantum singulis diebus fuerint progressi, facilè assequuntur: si tamen ab ortu ad occasum, vel contrà, rectum iter fiat, cùm semper eadem sit à polo, & linea æquinoctij intercapedo ad vsum, assiduumq; experimentum confugiunt: vt vnusquisq; intelligat, vento siue vehementer, siue remisse flante, quātā singulis diebus viam confecerit. Qui autem inter nautas magis vsu, iudicio, & exercitatione valent, ij multò minùs ab scopo declinare consuescunt. LINVS. Mihi etiam occurrit interrogandū, qui fieri possit, vt cùm vnus quisq; gradus decem & septem leucas cum dimidia cōtineat, tam breui termino circunscriptus in hac charta comprehendatur? MICHAEL. Illud tanè facilè concipitur, si aduertas, terræ maris q; spatiū ab hac figura, non vera sed ficta, & artificiosa quadam ratione confecta. Intercapedo enim illa, quæ duobus punctis interijcitur quātis breuissima sit, mente tamen concipitur, quasi decem, viginti, vel triginta leu-

leucas continens: vnde ſit, vt ſiue magna, ſiue parua ſit hæc punctorũ mẽſura, certa ſemper maneat, eaq; quantumuis amplam terræ magnitudinem metiamur. Sicut enim ſi hominem decem palmorũ ſtatura in vnius palmi tabula depingas, animo concepta palmorum breuium mẽſura, veram eius magnitudinem exprimes: non tamen tabulã homini eſſe æqualem iudicabis: non ſecus in hac charta, ſiue tabula ex membrana confecta, ita maris, terrarumq; tractus deſcribuntur, vt ex diſsimili magnitudine vtraq; illa ſpacia colligantur. Illud tamen obſeruandum eſt, iuxta chartarum mẽſuram graduum etiam accõmodatã eſſe proportionem. Vnde fit, vt ſi normam ſpatij, quę gradibus huius tabulæ metiendis eſt aptata, ad alias accommodare velis, facilè in errorẽ inducaris. Siue ergo tabula ſit magna, ſiue parua, gradibus ad illius magnitudinem applicatis, ſemper certiſsima eſt mẽſura, certaq; ratio numeri leucarum colligendi. LEO. Optimè nobis chartæ rationem explicaſti. Sed nunc acus nauiculatoriæ vim latiùs explica, & qua de cauſa ſemper ſeptentrionem, auſtrumq; deſignet. MICHAEL. Dixi ſuperiùs, id ex vi cuiuſdam lapidis nomine magnetis procedere, ad cuius alteram partem vna acus cuſpis attrita auſtrum oſtendit, ad alterã verò altera cuſpis illiũ ſeptentrionem indicat. Et quoties vis hæc à lapide accepta remittitur, toties appulſu, attritu q; eiuſdẽ inſtauratur. Hanc autẽ occultã acus ad magnetẽ applicandi rationem, natura duce notatio hominum, animaduerſioq; nobis peperit. Nec mirũ ſi ea magneti ſit innata vis, cùm omnibus humanæ vitæ neceſſarijs abundè Deus prouiderit: inter quæ ſanè non minimũ locum obtinet nauigatio. LEO. Hoc ne eſt bonę ſpei promontoriũ, quod ita in hac charta in mare porrectũ eſſe oſtenditur? MICHAEL. Hoc eſt illud celeberrimum bonę ſpei promontoriũ grauiſsimis periculis, & tempeſtatibus frequenter in eo coortis magnopere nobilitatũ, quod tamẽ nostro diuino beneficio ſexto Idus Maij ſumma cæli ſerenitate, ventiq; opportunitate fleximus, tranſiimusq; illum, velut in vlteriorem regionem magno applauſu, iucunditateq; celebrauimus. LINVS. Quæ eſt, flexo hoc promontorio, applauſus, iucũditatiſq; cauſa? MICHAEL. Ea eſt: nam quandiu hoc promontorium à nautis non eſt tranſmiſſum, nondum certum ſibi tranſitum in Europam nautæ pollicentur, propter aduerſos ventos, qui ſæpe ante illius flexionem flare ſolent: præſertim

tim ſi ſeriùs aliquantulum ex India ſit profectio: vnde fit, vt ſæpe ventis à prora ſpirãtibus, naues cogãtur diu eodem loco conſiſtere, & vẽtorum, vndarumq; impetum ægre, ac difficilè ſuſtinere. Si enim longo id tempore eueniat, vel conquaſſantur, vel in tranſuerſum feruntur, vel deniq, non ſine magno periculo vitæ, merciumq; rimas ingentes agunt. Quapropter ſæpe euenit, vt nautæ non audentes maris, ventorumq; vim diutiùs tolerare, in quandam arcem Luſitanorũ nomine Mozambiquium, quæ à promontorio bonæ ſpei ſexcentas leucas diſtat, cum magno dispendio regredi, ibiq; ſex integros mẽſes opportunitatem nauigandi expectare cogantur: & ita annum cum dimidio in nauigatione conſumant. Illud etiam moleſtiæ, & laboris accedit, quòd cùm Mozambiquij cælum admodũ ſit inſalubre, & calore, alijſq; incommodis infeſtum, vectorum ibi ſalus magnopere periclitatur, multiq; morbo abſumpti priùs vitæ, quàm nauigationis curſum conficiũt. Atq; hæc eſt cauſa, quare tranſ illo bonæ ſpei promõtorio, omnes ſibi meritò lætandum eſſe iudicent: nos verò præcipuè lætandi, & multas Deo agendi gratias cauſam dignisſimam habuimꝰ: quòd nullo periculo adito, nullaq; maris commotione, aut ventorũ reflatu promõtoriũ illud fuerimus tranſgreſſi. LINVS. Rectè dicis, qui enim omnino periculorũ ſunt expertes, non minùs gratie eſſe debent, quã qui ex illis nõ ſine magna formidine euaſerũt. MANCIVS. Quãtum in hoc loco fuerit Dei in nos beneficium, ex eo, quod nunc occurrit, facilè intelligetis, quòd cæteræ naues, quæ ex noſtro erant comitatu, magnopere procellis fuerint cõflictatæ. Ex quibus vna maris agitatione tam vehementer eſt pulſata, vt vndarum inſurgentium vis pergulam, quæ in puppi eſſe ſolet, integram auulſerit, & nauarchum cum fratris filio ibidem inuentum miſerandum in modum abripuerit: nec poſteà nautæ illis opem implorantibus, funeſq; deprecãtibus propter maris impetum vlla ratione potuerint ſubuenire: & ita vterq; non ſine maximo intuentium dolore in profundum maris gurgitem quaſi in ſepulchrum fuerit reconditus. MICHAEL. Fuit ille caſus ita miſeratione dignus, vt meritò Mancio è memoria nõ exciderit, & omnibus, qui aderant, grauiſsimum dolorem incuſserit: cùm & miſeros homines cum vndis colluctantes viderent, & eorum voces, eiulatuſq; exaudirent, nec ſe opem illis ferre poſſe in extremo ſpiritu

grauiter

grauiter ingemiſcerent. LEO. Deus bone! Miſerrimum ſanè credo fuiſſe iſtud ſpectaculum, & inde conijcio, quàm grauia pericula in iſtis nauigationibus adeantur. MICHAEL. Intelliges etiam ex noſtro in Indiam ſatis periculoſo reditu: ſed nunc ad propoſitũ reuertamur. Trãsuecti bonæ ſpei promontorium decimo ſeptimo à tranſmiſsione die mirũ ſexto calendas Iunij portũ inſulæ diuæ Helenæ tenuimus, quæ inſula à promontorio hoc quingentis leucis ſeiuncta eſt, in medioq; mari æquinoctij lineam verſus, ſedecim gradibus ſita, ad cuius primũ atq; vnicum portum ante Europam in cæ nauigatione ſumus appulſi. LINVS. Credo equidem magnam eſſe tam nautarũ, quam vectorũ lætitiam, & animorum alacritatem, cùm ad iſtam inſulam in medio mari ſitam tanquam ad peropportunum aliquod tam longi itineris diuerſorium, & tot moleſtiarum perfugium aduenerunt: præcipuè ſi ea ſit ab hominibus culta, & alijs rebus ad nauigationem neceſſarijs abundet. MICHAEL. Inſula eſt hominum habitatione omnino carens, niſi ſit aliquis ex illis, qui olim anachoretæ dicebantur, qui interdũ in ea inſula manens ſolitariam vitam agit, & ei talem adhibet culturam (vt ſæpe accidit) qualem Luſitanorum eò deuenientium neceſsitas poſtulat. Vno ergo, vel duobus ad ſummum exceptis, qui ibi aliquando manent, regio iuſſu prohibitum eſt, ne plures in ea inſula commorentur: pauci namq; ſufficiunt, vt eam colant, fertilitatemq; eius promoueant: plures verò ſi ſint incolæ, facilè omnia, quæ in ea naſcuntur, conſumentur, propter ſoli, ambitũq; exiguitatem. Sed quod attinet ad ea, quæ ibidem prouenium: abundat inprimis aquarum perennitate, ad aquationem valde accomodata, abundat pecore præſertim minore, vt capris, deinde ouibus, ſiue domeſticis, vt gallinis, ſiue agreſtibꝰ, vt perdicibus, alijſq; ſimilibus, quæ initio à Luſitanis ibi relictæ maximum progreſſu temporis fœtum ediderunt: abundat denig; multis, ſuauiſsimiſque diuerſarum arborum fructibus, quibus omnibus rebus ad victum pertinentibus, Luſitani quandiu ibi ſunt, abundantiſsimè vtuntur, & maxima earum onera in naues comportant ad corporum relaxationem, & alimentum. Vltra ſuperiores vtilitates eſt etiam in hac inſula venatus, & piſcatus magna commoditas, ex qua non ſolũ corpora recreantur, verùm etiam carnibus ſalſis ad nauigationis victũ non mediocre ſit incrementum. Nos igitur his omnibus commodis,

oblecta

oblectamentiſq; huius amœniſsimæ inſulę per vndecim dies vtentes, nec parum alimenti ad nauigationis reliquum tempus comparantes, nauem rurſus conſcendimus, & ſexto idus Auguſti ſecundiſsimis ventis ſemper ſpirantibus optatiſsimũ Olyſsiponis portũ tenuimus. Iam verò quanta in huius portus ingreſſu voluptate fuerimus perfuſi, vix dici poteſt: tum quòd ſemeſtris nauigationis tempore tranſacto tandem aliquando itineris moleſtijs, difficultatibuſq; finẽ imponeremus: tum etiam quòd nouarum rerum mira quadam varietate oculi noſtri paſcerentur. Inprimis enim ad celebrem illius vrbis portum appulſis magnam mouit admirationem infinita propè nauium, quæ in eodem portu ad anchoras religatæ conſiſtebant, multitudo, ex quibus pluſquàm trecentas maiores numerauimus. Quod verò ad varietatem attinet, ex illis aliquæ roſtratæ erant, aliæ ſine roſtris, multæ longæ, aliæ breuiores, quædam oneratiæ, multæ actuariæ, vtinterim triremes, myoparones, celoces, infinitamq; lintrium, cymbarũq; multitudinem prætermittam, quæ ſanè varietas cum multitudine cõiuncta ſummam nobis admirationis anſam præbuit. Agè verò quis explicare queat illius ampliſsimæ vrbis aſpectum? vbi tam magnificæ domus, tam celſa ædificia, tam æditæ murorum, turriumq; machinæ ſe oculis intuentium obijciunt, vt quid prius mirentur, amplitudinem vrbis, an operum magnificentiam, templorum magnitudinem, populiq; infinitam frequentiã vix ſanè ſtatuere poſſint. Ea eſt enim Europearum vrbium, inprimiſq; huius ſtructura, eaq; ædificiorum moles, & excelſitas, vt qui noſtris conſpiciendis mœnibus, atq; operibus ſunt aſſuefacti, non poſſint non illa cum maxima animi admiratione intueri. Omiſsis tamen his, quæ ad Olyſsiponis, & Europæ in rebus omnibus amplitudinem pertinent, mox à me explicandam, mira fuit noſtrorum animorum iucunditas, cùm primum anchoris in mare iactis multi Societatis patres, qui de noſtro aduentu per alias eiuſdem comitatus naues certiores facti fuerant, ſcaphis velociſsimis vecti nobis obuiã proceſſerunt, & mirificis amoris, beneuolentiæq; ſignis de noſtro optatiſsimo appulſu iucundiſsimè ſunt gratulati. Et quãuis nobis nuntiaretur, magnum aliquem, ac ſolennem apparatum, pompãq; extrui quæ è naui deſcendẽtes exciperemur: nos tamẽ nauigationis diuturnitate defeſſi, maluimus ea prima nocte ad patres Societatis per hoſpitaliter

pitaliter, & amanter nos excepturos diuertere, cùm certum populi applausum opperiri. Nec nos nostra fefellit spes: patres enim domus professorum ea in nos charitate, & beneuolentia esse inteleximus, quam in India, & Iaponia nostræ patriæ tuerimus experti, eundemq; omnium animorum esse consensum re, & operæ pretio peximus. LINVS. Cùm primùm Olyssiponem peruenistis, adijstis ne aliquem principem virum, & gubernatricem, sicut Cicæ fecerat is? MICHAEL. Adijmus Albertum Cardinalem Lusitaniæ totius gubernatorem, Philippi Hispaniæ regis ex sorore nepotem, quæ imperatoris fuit vxor, & nunc mortuo coniuge in Hispania viuit. LEO. Memini, te in ante acta narratione imperatoris, regum, principũ, ducũm, & comitum, præterea præsulum, & antistitum mentionem fecisse: pergratum nobis erit, si istorum nominum significationem, & munerum varietatem explicaueris, & vtrum in Europa nostri Dayri, Cuborum, Cungorum, Vacatarum, Cunixuorum nomina reperiantur, exposueris, totam denique hanc magistratuum materiam distinctè fueris prosequutus. MICHAEL. Facim libenter: vniuersamq; Europeæ nobilitatis, dignitatisq; rationem persequar: si tamen longâ hanc tractationẽ in crastinum diem distulerimus, elapsi temporis mora iam id postulante.

LINVS. Æquum est, vt narratio iam intermittatur, & omnes ad nocturnam quietem discedamus.

Agitur generatim de rebus Europeis, & inprimis de monarchia ſacra, ſiue Eccleſiaſtica, & dignitatibus alijs inferioribus. Colloquium ſeptimum.

LINVS.

INterrogatio heſterna nocte à noſtro Leone facta talis fuit, ac tam opportuna, vt reſponſionis à te reddendæ expectatione, plus ſolito mihi viſum ſit diurnum tẽpus vtq; ad hunc congreſſum fuiſſe productũ. Nunc igitur de Europæ dignitatum, ac munerũ varietate tuæ narrationis ſit exordium. MICHAEL. Tantæ profectò ſunt, ac tales res Europeæ, vt quanuis cum ſocijs ſæpè eas explicandi formam, modumq; fuerim contemplatus, nunquàm tamen certam aliquam rationem perfectè exponendi me fuiſſe aſſecutum exiſtimẽ. Cùm enim res Europeæ toto (vt aiunt) genere, ac forma à noſtris diſſideant: non facile eſt earum explicatam notionem noſtris hominibus proponere. Dicam tamen pro viribus, & iudicij mei tenuitate, ac de duplici gubernandi ratione toto huius noctis colloquio vobiſcum agam. Illud igitur ſit fundamentum, totius Europeæ gubernationis, ac poteſtatis duplicem eſſe iuriſdictionem: alteram, quam ſacram, ſiue Eccleſiaſticã vulgari nomine dicere poſſumus: alteram verò, quam profanam, ſiue vt communi nomine vtar, ſecularem appellare licet. Ad ſacram iuris dicendi rationem pertinet, ea omnia, quæ ad cultum Deo optimo maximo piè, religioſèq; adhibendum conducunt, diſponere, errores ſiue prauorum, ſiue imperitorum hominum de religione conceptos, ac promulgatos coarguere, ac depellere, denique tum legibus à Chriſto ſancitis, tum alijs progreſſu temporis conditis, animos hominum immortales, & beatæ, atq; æternæ vitæ capaces in eundem finem ſuprà totam naturam ſublatum rectis etiam itineribus dirigere. Ad al-

ram iurisdictionem,quam profanam,& temporariam dico,cum cæteris gentibus etiam veræ religionis expertibus communem,multò tamen melius inter Christianos dispositam,pertinet, homines ciuili,ac politica societate deuinctos in solidæ iustitiæ,aliarumq; virtutum officio continere: ita vt humana communitas sublatis seditionibus, latrocinijs,cædibus,adulterijs, alijsq; publicis,& incõmune damnũ vergentibus criminibus,in summa pace, ac tranquillitate conseruetur. Ex quo fit,vt prior illa potestas animis præsit,posterior verò corporibus prouidere dicatur. Quanuis autem vtraq; administrandi res humanas ratio ex plenissimo illo totius boni, ac ordinis fonte, Deo optimo maximo ortũ habeat: illa tamẽ,quæ corporibus, hominumq; communitati conseruãdæ præest, à lumine naturæ mentibus hominum insito inuenta est: altera verò multò nobilior, ac præstantior altiori quodam lumine supra naturam hominibus peculiariter à Deo communicato instituta est. Hinc sequitur, vt inter homines cuiuscunq; sint nationis non tamen barbaræ, & omnino impolitæ, semper sit aliquis, qui ciuilẽ societatẽ tueatur: & populũ ad officiũ seruãdũ inducat, qui rex,vel princeps, aut alio simili nomine nuncupari solet: quæ tamẽ potestas cũ alijs gẽtibus cõmunis,in Christiano populo multò melius,multòq; accommodatius ad cõmune bonum conseruatur. Illa autem sacra, atq; ad animos instituta potestas solius Christianæ reipublicæ propria est,ac peculiaris,quam Christus verus Dei filius, è cælo in terras descendens, & hominibus rectè viuendi omnibus numeris absolutam formam proponens, instituit, vnum ex apostolis nomine Petrum sui vicarium designans, eandemq; potestatem, alijs atq; alijs mutuò succedentibus perpetuò conseruari volens. Hic igitur Christi vicarius est, qui Papa, ideſt pater patrum, summus pontifex,& supremus antistes appellatur,à quo velut à summo capite tota alia gubernatio in Christiani populi membra deriuatur. Huic omnes alij profana etiam potestate præstantes viri tanquam Christi loco positum recognoscunt,ideq; eo inferiores esse,ingenuè confitentur. Vltra hunc summum pontificem,& ecclesiasticum monarcham,sunt etiam alij diuinarum rerum administri,qui sacra dignitate,& auctoritate pollent: inter quos se primò loco offerunt illi,qui quasi cardines totius huius sacri ædificij, Cardinales vulgò nuncupantur: e quibus velut

cum fratribus,& consiliarijs supremus ille pontifex res omnes magni poderis,& momenti communicat: qui soli,summo pontifice è viuis excedente,alterum ex suo numero,& conuentu suffragijs in eius locum sufficiunt: ideoq; hi purpurati patres, quos cardinales dixi, secundum post summum pontificem locum obtinent, illiusq; maximus à cæteris hominibus honor defertur, summiq; beneficij regum, ac principum filij loco numerant, si ad hunc gratiosissimum, & sanctissimum ordinem à summo pontifice cooptentur: quanuis non tam sanguinis,ac nobilitatis, quàm magnarum virtutum, præstantis sapientiæ, insignium que meritorum in hac renunciatione, & cooptatione à summo pontifice ratio habeatur.LEO. Magna sanè est dignitas istorum patrũ,ex quorũ suffragijs suprema illa potestas pendet,& ex quorum numero deligitur ille, qui ad supremum culmen euehitur: sed scire velim, sit ne magnus, ac certus istius ordinis patrũ numerus, & in quo loco sedem habeant? MICHAEL. Numerus non est omnino definitus: plerumq; tamen ad sexaginta cardinales numerãtur, qui,quoniam summo pontifici à consilijs sunt,fere semper cum eodem Romæ domicilium fixum habent:quanuis aliquando ad res magni momenti in prouincias alias,& regna nomine supremi antistitis destinẽtur, vbi à regibus,& principibus Christianis perhonorificè,& reuerenter excipiuntur,confectisq; negotijs ad summũ pontificem redeunt,ab eius latere non nisi graui de causa discedẽtes. Post hos sunt patriarchæ, archiprælules,oræsules,siue pontifices, qui mutuò alij alijs subsunt. Pontifices enim diœcesis, ac ditiones à summo pontifice distributas gubernãdas suscipiũt, à quorũ singulis ad archiprælules, siue archiepiscopos in causis grauioribꝰ prouocari potest.quibus rursus præsunt patriarchæ, quorũ potestas ad multas prouincias, & regna pertingit: omnesq; hi, vt dixi, primũ illud Christianæ reipublicæ caput hoc est,summũ pontificem, eiusq; nutum,& imperium intuentur, cuius authoritate, adhibito cardinalium consilio, in pontificia dignitate ipsi cardinales,patriarchæ, archiepiscopi, & episcopi reponuntur. Quorum dignitas cũ sit maxima, multisq; tum honorum,tum redituum ornamentis decorata, inde conijci potest, quanta sit illius supremæ potestatis maiestas, vnde omnium cura administratio,& cõfirmatio pendet. Vltra hos omnes sunt etiam multi alij graues sacerdotes pontificibus subiecti, muneribus,& curis distincti, quales sunt abbates.canonici,& inter canonicos

nicos decani, archipresbyteri, scholarũ magistri, aliiq; complures, quorũ vnusquisq; suum gradum, curam, dignitatemq; tenet: qui omnes iuxta ordinis varietatem amplis reditibus, ad grauitatemq; sui ordinis tuendam necessarijs, abundant. Præter hos autem huius nomenclaturæ sacerdotes, qui diui Petri ordinis nuncupantur: sunt etiam multi alij religiosi viri sacris, ac diuinis rebus addicti, quorum munus non tã est ecclesiasticã illam maiestatẽ, authoritatẽq; præ se ferre, quàm omnibus externis bonis nuntium remittere, & paupertatis, castitatis, atq; obedientiæ votis solennibus se obstringere, atq; in cœnobijs, siue collegijs communem, & religiosam vitam agere iuxta varium institutũ, quod alij ab alijs distincti profitentur: omnes tamen habent suos moderatores domuũ, cœnobiorum, & prouinciarum: singulique ordines tuos generales præfectos recognoscunt: qui omnes tandem summo pontifici tanquã omniũ supremo capiti subsunt: nullũ nanq; huius corporis, id est Christiani populi membrum est, quantumuis honorificum & sublime, cuius moderatio ex illo summo capite non pendeat. Atq; ad has religiosorum hominum familias, atq; ordines pertinẽt Societatis patres, qui ex Europa ad nos huc vsq; veniunt: est enim Societas Iesu vna ex religiosorum hominum familijs, quæ in Christianæ vitæ perfecto genere confectando mirificè se exercent. LEO. Mirum in modũ recreor, ac reficior charissime Michaël, cùm te de istis rebus grauissimis aptè, & appositè disputantem audio: sed vt magis ista materia nobis sit perspecta, expone, num religiosi isti viri, qui vota illa tria solennia nuncupant, pontificibus etiam singularum diœcesum pareant? MICHAEL. Cùm religiosi viri, de quibus agimus, se totos diuino obsequio mancipauerint, & extra cæterorum hominum turbam viuant, oportuit, vt suos peculiares moderatores, præfectosq; haberẽt, vt dixi, qui generalibus suis præpositis subsunt, quorũ est omnes in instituto vitæ continere: communibus tamen, & ecclesiasticis pontificibus vtpote eorum adiutores summam reuerentiam, honoremq; deferunt: ab illis sacris ordinibus initiantur ad augustum sacrosanctæ Eucharistiæ sacrificium faciendũ, ab illis concionandi ad populum, ac docendi peccatorum confessiones audiendi facultatem accipiunt, illis deniq; in omnibus ad populum erudiendum necessarijs tanquam propijs pastoribus constituti sunt ac ministri, & adiutores. Institutæ autem, ac domesticæ vitæ genere, & in his, quæ propria ipsarum religio-

gio-

gioſarum familiarum ſunt, peculiares moderatores, præfectos, & præpoſitos, ipſum deniq; ſummum pontificem recognoſcunt. LINVS. Iſtarum familiarum, ſiue ordinum viri, qui tria vota profitentur, habent ne eandem quoad victum, veſtitumq; viuendi rationem, an alij ab alijs aliqua re diſtinguũtur? MICHAEL. Quemadmodum humani corporis membra eundem conſeruandæ vitæ finem ſibi præfixum habent, diuerſis tamen muneribus funguntur: non ſecus omnes religioſorum hominum ordines perfectæ vitæ Chriſtianæ finẽ conſectantur, diuerſis tamen medijs vtuntur. Vnde fit, vt quemadmodum duæ illæ ſorores ſanctiſsimæ Martha, & Maria, diuerſa quidem ratione, vtraq; tamen optimè Chriſtum olim in terris agentem exceperunt: ſic etiã ex his religioſis viris alij poſt ea, quæ ad communem finem pertinent, actioni omnino ſe dedant, alij in diuinarum rerum contemplatione animos omnino defixos habeant: nonnulli vtranq; partem, quantum poſſunt, amplectantur: rurſuſque tum ad actionem, & contemplationem diuerſa media quo ad victũ, & cultum corporis adhibeãt. Quæ mediorum varietas ordinũ etiã varietatem efficiens non perturbatam aliquam rationem huius corporis, ſed quandam pulcherrimam eius formam reddit. LEO. Equidem ex iſtorum ordinum viuendi ratione cõijcio, noſtros ſacerdotes in Iaponia falſæ religionis miniſtros, Europę religioſorũ hominũ quã ſimillimos eſſe, ſi modus habitandi in cœnobijs, & eorum externus habitus, cultuſq; ſpectetur. MICHAEL. Si externa quidem reſpicias, fateor, vtrorumque ſimilem eſſe quandam ſpeciem, ac formam, ſi tamen intima quæq; penetrentur, à Iaponiæ religioſis viris Chriſtianos, atq; Europeos, vt cæli faſtigiũ à centro terræ diſtare, intelligemus: quod ex ijs, quæ ſequuntur, facilè colligetis. Nã vt aliqua inter vtroſq; diſcrimina proponã, illud inprimis eſt, quod noſtri homines paupertate, & rerũ penuria oppreſsi ideo ſacris ſuis initiantur, vt lautiùs, & abundantiùs viuant, & hac de cauſa in opulentiſsimis quibuſq; cœnobijs, & locupletiſsimis templis, quantum in ipſis eſt, ſibi vitam deligunt, nec tam cum vitæ huius rebus fluxis, & caducis diuortiũ faciunt, quàm eas ſacris (vt falſò exiſtimant) ſeaddicẽtes, auidiùs, atq; appetẽtiùs cõſectãtur. Vnde prouenit, vt ſi alia ratione amplos reditus, honorum, ac dignitatum titulos, diuitias, & magnum peculium conſequi poſſent, nequaquàm ſe intra cœnobiorum

parie-

parietes includerent. At verò in Europeorum [illegible] religiosis familijs longè aliter se res habet: ditissimi nanq; & [illegible]issimi viri, qui profanam vitam cum summo honore, & humanarum rerum abundantia agere poterant, omnibus caducis bonis tanquam certis perfectæ vitæ impedimentis se expediunt, & ex hominum colluuione tanquam ex turbulentissimo pelago ad religiosæ vitæ portũ confugiunt: ibiq; tria illa vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ profitentes, tenuiter, castè, ac summissè viuunt, nullisq; vitiorũ maculis animos suos pollui patiuntur: cũ tamen in nostris Bonzis aliter prorsus eueniat. Et quanuis in Europa, vt dixi, varij sint religiosorum hominum ordines nobilissimis, & clarissimis viris referti: quia tamen ad Iaponiam patres tantùm Societatis peruaserunt, & nos inter eos educati, & cum hac legatione in eorum comitatu missi sumus, ex ipsius tantùm Societatis hominibus nonnulla exempla in medium proferam, quibus superiùs discrimen à me assignatum poterit confirmari. Nam cùm Romæ ipsi, qui oculati testes sumus, commoraremur, aliquos viros nobiles, qui diuitijs, opibus, nobilitateq; anteà florebant, seq; ad magnos honores euehendos esse, sperare poterant, in Societatem vidimus cooptatos: inter quos fuit quidam ex clericis Cameræ, qui tantæ sunt dignitatis, vt ex eo munere ad grauissimũ illum cardinaliũ senatũ sæpissimè ascribatur. Hic autem magnis reditib⁹ spretis, & amplioris dignitatis spe non dubia reiecta, se totũ Deo, Societatiq; addixit. Secũdus fuit ducis Terræ nouæ, Mediolanensisque gubernatoris filius, qui omnibus vitæ voluptatibus, opibusq; similiter contemptis, eandem Societatem ingressus, se totum religiosæ vitæ mancipauit. Tertium vidimus quendam illustrissimum Marchionem clarissimæ familiæ Gonzagæ natalibus nobilitatum, qui honoribus, nominis amplitudine, alijsq; prorsus conculcatis ad perfectæ vitæ Christianæ culmen obtinẽdum se penitus consecrauit. Hic etiam referre possum vobis totius Societatis reuerendum patrem præpositum Generalem Claudium Aquauiuam, cuius adhuc viuentis charitatem, benignitatem, aliasque egregias virtutes nos ipsi, qui simul cum eo Romæ fuimus, testari possumus: qui cùm ducis Atriæ filius esset, & apud summum pontificem Pium quintum gratia, & auctoritate summopere valeret: cùmq; non dubium esset, eum quàm citissimè in cardinalium numerum esse re-

ferendũ

ferendum, quandoquidem eius ex fratre nepos ipsius loco in eundem ordinem postea est ascriptus: his tamen omnibus repudiatis tutiorem vitam in Societate delegit, & eos fecit in virtute, Christi, maq; pietate progressus, vt ad præpositi Generalis munus magno patrum consensu fuerit euectus. Nec verò nunc memoria, annalibusq; dignū est exemplū præpositi alterius Generalis Francisci Borgiæ, qui non multos ante annos totius Societatis gubernaculum tenuit, cumq; Gandiæ vrbis in Hispania dux esset illustrissimus, omnibusque copijs, atq; opibus circumflueret, totusq; Catalauniæ gubernationem, clarus & tenere, diuino afflatu instinctus, his omnibus, quæ tam ardenter ab hominibus amantur, nuntium remisit, & ad Societatis tutissimam stationem contendit, vbi præclarissimè in omni virtutū genere se gerens, tandem Generalis præpositus cōmunibus patrū suffragijs electus est, in eoq; munere, alijsq; magni ponderis negotijs obeundis è vita glorioſe excessit. LINVS. Fieri ne potest, vt homines tam diuites, nobilesq; paupertatem opibus, summissionem nobilitati anteponāt? MICHAEL. Non longè sanè accersendi sunt mihi testes, cùm socij mei præsentes adsint, qui plerosque ex his à me commemoratis sunt intuiti. MANCIVS. Quorsum nostra necessaria est testificatio? cū per totam Italiam, Hispaniamque nobilissimos viros ducū, marchionū, comitūq; filios in Societate sanctissimè continuentes fuerim us allocuti, & eorū amplitudinē animi in contemnendis omnibus his vitæ fluxis, ac caducis rebus admiratus. MARTINVS. Ista omnia ita trita, & communia sunt, vt maiori testimonio non indigeant: sed si velimus ab ipsa antiquitate exempla repetere, veterum monumentis traditum legimus, multos fuisse principes, reges, imperatores, qui principatu, regnis, imperijsque neglectis ad cælestes tantùm opes comparandas, omnem operam, curamque insumpserunt. IVLIANVS. Ad confirmandum idem argumentum illud etiam occurrit, quod non solùm viri, qui natura ipsa robustiores habent spiritus, sed etiam fœminæ, quæ sexu fragili, & imbecilli sint præditæ, multæ, illæq; nobilissimæ in Christiana republica reperiantur, quæ mundi huius rebus temporis mutationi subiectis bellum indicentes, Deo, eiusq; obsequio totas se deuouent, atque consecrant, floremque virginitatis Christo cælesti sponso iucundissimum offerentes, in parthenonibus

nonibus

nonibus ad hoc designatis sanctè, religioseque longè ab hominũ cõmunione, & consuetudine viuunt: adeò, vt vix etiam a cognatis se videri patiantur, totumque tempus in diuinis precibus, canibus, cælestiũque rerum contemplatione consumant, nihil otio, nihil vanis, inutilibusque colloquijs impẽdentes, sed Christi Domini exemplum, qui ad mortem vsq; obediens esse voluit, intuentes, se totas præpositarum, quæ vulgariter abbatissæ nuncupantur, arbitrio, nutuque regi, ac dirigi permittant. Harum autem mulierum, cœnobiorumque numerus, vix dici potest, quantus sit per totam Europam, & quam bene ea, quæ ad eas dem sacras virgines pertinent, vel à pontificibus, quorum curæ commissæ sunt, vel à religiosis viris eiusdem nominis, ac familiæ administrentur. Ne autem existimetis, huiusmodi virgines eas esse, quæ propter inopiam rei familiaris matrimonio commodè iungi non possint, nos ipsi testes sumus, quemadmodum imperatoris filia, cuius inter profanas dignitates summus, ac primus locus est, omnibus huius vitæ titulis, opibusque posthabitis se, in parthenonem cum alijs illustrissimis fœminis receperit, & non solũ viuentibus, sed etiam toti posteritati virtutis suæ singulare exemplum prodiderit: quã etiam aliqua ex parte imitari volens eius mater, imperatoris cõiux, regisque Philippi soror, coniuge extincto in idem cœnobium se contulit, & quanuis solennia vota non nuncupauerit, ibi tamẽ piè, religioseque vsq; ad extremum vitæ diem viuere constituit. LEO. Mira equidem narratis de Europæ religiosis viris, ac fœminis: nos enim Europæ res nostrarum vsũ metientes existimabamus, inopes tantùm, & egestate oppressos ad religiosam vitã quasi ad aliquod remedium confugere: nunc autem à vobis edocti longè aliter se rem habere intelligimus. MICHAEL. Istud iudicium nos etiam Europearũ rerum ignari ferebamus, sed Europa perlustrata, rebusque eius perspectis, & manibus vt ita dicam, contrectatis, prorsus de sententia decessimus, in aliamq; inducti sumus, cognouimusq;, huiusmodi mutandæ vitæ mirabilia exempla Christianæ fidei robori esse tribuenda. Cuius tãta vis est, vt facilè animos quibuscunq; vitæ negotijs, atq;, opibus implicatos expediat, & ad diuina tantùm curanda impellat, instar sanctissimi Christi apostoli Matthæi, qui ab isto quæstu, & pecunia, relictis mensis, ac saccis, à Christo domino ad perfectæ, & Apostolicæ vitæ rationẽ du-

ctus est. Sed accedamus ad secundum discrimen inter religiosos viros Europeos, atq; nostros, quod quidē est huiusmodi. Nam nostri sicut habitu, & cultu corporis, ac victu, ita etiam religione inter se differunt: quot enim sunt religiosorum hominum per totam Iaponiam proseminatæ familiæ, tam multiplex etiam est circa religionem, diuinumque cultum, opinionum, vel errorum potiùs varietas. At verò in Europa religiosi viri etsi cultu corporis, victuque distincti, variorum Diuorum inlignia pecularia gestant, vnum tamen Deum, vnum Christum Dei filium intuentur, eandem fidem & legem colunt, eadem paupertatis, & obedientiæ vota nuncupant, ad vnum, eundemque finem tota animorum contentione aspirant: ex quo vel maximè argumento colligi poterit, quàm certa sit Christianæ religionis veritas, quæ à tam multis, ac tam varijs ordinibus, personarumq; gradibus vnica, & eadem ratione neutiquam discrepante obseruatur: ita vt sicut in vno corpore vnus est spiritus, vnumque cor: sic etiam in tota Christiana republica vnus sit spiritus, vnaque conspiratio. Quo fit, vt quoties sanctissimi patres ex diuersis nationibus ad euellendos errores aliquando excitatos conuenerunt, vnanimi quodam consensu semper idem senserint, idemque iudicauerint, & eandem fidē à Christo, & Apostolis traditā, nulla exparte mutatione facta, integrā, & constantē retinuerint. LINVS. Mihi profectò ista ratio perplacet, firmissimūque videtur Christianæ religionis argumentū. Sed quod attinet ad Christianæ religionis confirmationem, istud totum catechesi à patribus cō posita optimè tractatum, missum faciamus, & ad institutum redeamus. MICHAEL. Tertium discrimen inter nostros, Europeosq; viros religioni, diuinoque cultui addictos illud est: quod nostri Iaponenses nec paupertatem, nec castitatem, nec obedientiam profitentur: cùm omnes, quod ad victum, & peculium attinet, dites, locupletesq; viuere maximè cupiant, & quod ad corporis integritatem pertinet, nō est quòd modò referam, in quo cœno, turpitudinisque sordibus versentur. Quod deniq; ad obedientiā spectat, vnusquisque sui iuris esse vehemēter expetit: vnde fit, vt Bonzi nō solida, veraq; virtute, sed vmbra, & imaginibus, hoc est externis ritibus, cæremonijsq; nitātur. At diuino cultui in Christiana republica dediti viri, non quidem fucatam speciem, vmbramque, sed solidam, veramq; virtutis radicem consectantur,

ſtantur, quã in intimis animis infigentes, non poſſunt non multa ſigna, ac documenta externo habitu, cultuque præbere: quæ tamen omnia ex illa radice in animis inſita proueniunt, ac pullulant. Idem autem, quod de viris dixi, de fœminis etiam intelligite, quæ in Europa in parthenonibus reconditæ ita noſtras religioſas fœminas, hoc eſt Bicuniſas, ſuperant: vt hæ vmbram tantùm, illæ germanam veritatem, ſoliditatemq; virtutem tenere dicendæ ſint. LINVS. Profectò rectè dicis, idẽque exiſtimo eſſe inter vtriuſque vitæ diſcrimẽ, quod eſt inter veram religionem, Chriſtianam quidem veram, ac certam, ethnicam verò vmbratilem, ac inanẽ. LEO. Ita prorſus eſt, ſed velim ſcire, vnde religioſi iſti viri paupertatẽ profitentes victũ ſibi comparent? MICHAEL. Diuina promiſſione nitũtur, quæ ſacris literis nobis à Chriſto prodita eſt, nihil videlicet ei defuturũ, ſed omnia cumulatè habiturum, qui pro Chriſto bona fluxa, ac caduca prorſus abijceret. Viuũt igitur religioſi viri in paupertate, & in abundantia, in tenuitate, & affluentia, nihil denique tenẽtes diuo Paulo habentes, & omnia poſſidentes: ne autẽ videar pugnãtia loqui, id latiùs explicabo. Religioſi quidẽ viri, quantum in ipſis eſt, omnia, quæ ſuo iure poſſidebant, repudiant: principes tamen, ac reges Chriſtiana religione imbuti non patiuntur ipſos fame, ſitique enectos perire, ſed ampliſsimos reditus cœnobijs, in quibus ipſi viuunt, magnificentiſsimè attribuunt ita, vt vnuſquiſque nihil proprium habeat, ſed tota illa ſocietas, & conuentus rebus omnibus abundet: quo fit, vt nec ſinguli vitæ ſuſtentandæ cura implicentur, nec cõmunẽ vllarũ rerũ penuriam patiantur. Idem etiam cenſendũ eſt de ijs domibus, & cœnobijs, quæ quanuis reditus annuos non habeant, tamen ex ſuppeditatis abundè, eleemoſynis commodè, atq; aptè viuunt. LEO. Iſtud quidem, quod aſſeris, ita ſe in Europa habere, nos facilè conijcimus, ſed quid, quòd Societatis patres tam procul ab Europa poſiti, in Iaponia nihil poſſidentes tã multos ſumptus faciunt, tot collegia, templa, ſeminaria erigentes, tantum ſociorũ & puerorum, qui in ſeminarijs ſunt, numerum alentes? MICHAEL. Sumptus illi, atque expenſæ, quas vides à patribus fieri, ſunt expecunia è diuino theſauro deprompta, quem nunquàm exhauriendum Dominus ipſe eſt pollicitus: cùm enim in Iaponia nulla prædia poſſideant, tot tamen domicilia extruunt, tam amplum ſocioru̇m, adoleſ-

centumq; numerum aluit, eamq; alijs in rebus pecuniam expendit, vt meritò diuinæ prouidentiæ tribuendum sit, quòd peculium suppetat. Nec verò ea etiam in re desideratur summorum pontificum cura, ac solicitudo, præsertim felicis recordationis Gregorij decimi tertij, & eius, (quē Deus diu incolumem conseruet) adhuc viuentis Xisti quinti, qui ex illa alta specula Iaponicæ necessitati prospicientes, sex aureorum millia patribus quotannis expendenda magnificè attribuerunt. Cùmq; singulis annis duplo saltem maiores sint expensæ, certum est, Deum patribus summopere prouidere. Nec etiam deest hac in re Lusitanorum regum magnificentia, qui patribus in Iaponia degentibus ex ærario suo largè suppeditatis eleemosynis regio more opitulantur. LINVS. Quæ nam est causa, quare summi pontifices, reges que patribus tam longè viuentibus ita prouideant? MICHAEL. Causa est inprimis communis Christiana charitas tantopere à Christo cō mendata, & egregijs in cælo præmijs remuneranda: deinde vtilitatis communis studium: cùm enim Christiani principes intelligant, quàm vberes fructus ex patrum in Iaponiā aduentu, habitationeq;, colligantur, non immeritò ex ijs bonis, quæ à Deo ipsis sunt benignissimè concessa, bonam partem cum religiosis viris cōmunicant. Accedit, quòd cùm summus pontifex totius reipublicæ Christianæ quasi cuiusdam corporis sit supremum caput, vnde omnia commoda in cætera membra deriuantur, non solùm contulit his Christianis, quos sibi loco coniunctos habet, sed etiā alijs, qui longissimo sunt interuallo remoti, quales sunt Iaponenses: quorū tamen necessitatibus ita subuenit, quasi præsentes, & ad latus positos intueatur. & eadem causa patribus, qui Iaponici populi vtilitati curandæ sunt intenti, magna etiam prouidentia prospicit. Hinc fit, vt non mediocri pudore nos Iaponenses affici deamus: cùm enim lege ipsa naturæ, diuinoq; præcepto præscriptum sit, vt qui in aliquo loco laborant, ex eodem ad vitam sustentandam fructus capiant sufficientes: Societatis tamē patres ita ex remotissimis prouincijs, regnisq; ad nos se conferunt, vt non solùm omnem operā, & industriam in nostra salute, & vtilitate collocent, verùm etiam ad expensas necessariò faciendas aliunde secum alimenta, peculiumque exportent, eiusq; non mediocrem portionem nostris hominibus, adolescentibusq; impertiant: sed id nostræ gentis tum penuriæ, tum etiam

bellorum cõmotionibus, quibus aſſiduè conflictamur, tribuendum eſt. LEO. Equidẽ ſatis intelligo, quàm parum hactenus quo ad hoc, meſsis ex agro Iaponico collecta patrum labori, diligentiæq; reſpondeat, idq; iſtis cauſis à te aſſignatis aſcribendum eſſe iudico. Erit aliquãdo tempus, Deo noſtris precibus ãnuente, cũ multi potentiſsimi principes Chriſtianam religionem ſuſcipiant: & ſedatis bellorum tumultibus, pace vbique parta liceat hoc etiã redituũ annuorum adiumento patres tam bene de nobis meritos remunerare, & ita cũ illis agere, quẽadmodum cum falſæ religionis ſacerdotibus tam abunde, affluenterq; olim actum eſt. Sed ſcire aueo, num ex iſtis religioſorum hominũ familijs, quas nobis tradidiſti, ſint aliqui, qui vel cardinales, vel præſules, vel archipræſules deſignentur? MICHAEL. His equidem religioſis viris à me cõmemoratis, patet aditus non ſolùm ad iſtas dignitates, quas dixiſti, verũ etiã ad ſummi põtificatus ſupremã ſedem, quãlem modo tenet ſanctiſsimus pontifex Xiſtus quintus ex Franciſcana familia per omnes honorũ gradus ad illum altiſsimũ ſumma cum laude ſublatus: parique ratione multi ſunt alij ex religioſorum hominũ familijs ad cardinalium, pontificumque ſedes euecti. Cùm enim ad huiuſmodi eccleſiaſticarum dignitatum loca obtinenda viri virtute, & literis præſtantes deligantur, quibus hæ religioſorum familiæ ſemper abundant, facile eſt, ex illis ad eas ornatiſsimas ſedes aſcendere. LINVS. Nulli ne religioſorũ hominum ordini ad iſta ampliſsima munera aditus præcluditur? MICHAEL. Nulli, quem ſciam, excepta Societate IESV, quæ ipſa ſibi ad hos honorificos dignitatum gradus voluit aditum obſtruere. Vnde fit, vt cùm in ea tria ſolennia vota, de quibus ſuperiùs diximus, nuncupentur, aliud etiã addatur nequa quàm ad iſtos honores, dignitatumq; titulos aſpirandi, ſed oblatos ſtrenuè, ac tenaciter recuſandi: niſi fortè maximi pontificis mandato, quod frangere, aut violare nulli licet, ipſius Societatis patres ad id compellantur: cùmq; hactenus Societas tã multis virtute præſtantibus hominibus abundauerit, & eis ſæpiſsime huiuſmodi dignitates fuerint delatæ, nullus tamen huc vſq; fuit, qui aliquam ex illis admiſerit: exceptis ijs, qui ad Æthiopicam expeditionem ſunt deſignati, prouinciam quandam grauiſsimam non opibus, aut copijs, ſed laboribus, difficultatibuſq; affluentẽ ſuis humeris imponentes: qualis etiam

erat

erat reuerendiſsimus D. Sebaſtianus Moralis ad Iaponicum pontificatum delectus: quem tamen cum omnium dolore, & Iaponiæ noſtræ detrimento in itinere diem obiiſſe audiuimus. Cum enim Iaponicæ ager non tam opum, & facultatum, quàm laborum, moleſtiarum, & periculorũ ſit hoc tẽpore ferax, quicunq; illi colendo fuerit præpoſitus, antiſteſq; renuntiatus, non dubium eſt, quin potiùs grauiſsimũ onus, quàm iucundum aliquem honorem obtinere dicendus ſit. LEO. Magnopere ſcire cupio, quare cum ex cæteris religioſorum hominum familijs viris virtute, & ſapientia conſpicuis ad honores iſtos locus pateat, Societas ſibi ad eoſdem viã intercluſerit, aditumq; omnino obſeperit? MICHAEL. Nos equidem cùm Romæ, tum alijs in locis commorantes, iſtius rei cauſas crebris interrogationibus perueſtigauimus, quarum ſummam vobis breuiter exponam. Atq; illa prima ſit cauſa: quamuis enim ex omnibus ordinibus religioſi viri ad huiuſmodi honores, dignitateſq; efferantur, in quibus non mediocres fructus reipublicæ Chriſtianæ pariunt, nihilominus Societas ad eam munera ſibi aditum præcluſit, vt quietiùs, liberiùſq; in inſtituti ſui occupationibus verſari poſſet, & ſuæ profeſsionis perfectionem meliùs aſſequi, nulla ſtatus ſui in alterum mutatione ſolicitata: præſertim cùm ad has dignitates non pauci viri aptiſsimi reperiantur, quiq, eas non inuiti ſuſcipiant, & aliũde non admodum multi inueniantur, qui ad Societatis occupationes, exercitationeſq;, animum applicent. Secunda cauſa eſt, quoniam quamuis his honoribus, muneribuſq; multum fructꝰ reipublicæ Chriſtianæ afferatur, & illis eiuſdem reipublicæ amplitudo, maieſtaſq; fulciatur: natura tamen ipſa, vtpotè excelſi gradus appetuntur, & facilè hominũ voluntates ad ſui aſſecutionem excitant: cùm autem huiuſmodi ſtudia magnopere animorum ſummiſſioni, alijſq; virtutibus, quas Societas profitetur, aduerſentur, meritò ipſa Societas his affectibus, qui ambitionis proprij ſunt, viam intercluſit, timens ne ſi aditus his honoribus pateret, ambitioni etiam via latiſsima muniretur, & ita ſummiſſionis, aliarumq; virtutum perfectio impediretur. Facit tertiò, quòd, quanuis ex religioſis familijs ad pontificũ ordinẽ aſſumpti viri de republica Chriſtiana optimè mereantur, ſingulæ tamen familiæ viris ſapientiæ, & virtute excultis ſpoliatæ non mediocrem iacturam faciant, eoſq; ſibi eripi lamententur,

quorum

quorum humeris ſuſtineri, fulcirique deberent. Hoc ergo incommodum conſpiciens Societas, & ex alieno damno documentum capiens, nequaquàm patitur ſe illis orbari, quorum quaſi iam veteranorũ nulli tũ præſidio poteſt quoſcunque hoſtiles impetus propulſare, quorũq; velut iam optimè educatorum filiorum viribus poteſt parentis ſenectus ſuſtentari. Atque hæ ſunt præter alias præcipuæ cauſæ, quib⁹ ductus primus ille Societatis ſanctiſsimus inſtitutor Ignatius filijs ſuis ad huiuſmodi honorũ gradus aditum patere nequaquàm paſſus eſt. LEO. Quãuis huiuſmodi inſtitutum rectum mihi videatur, vereor tamen ne Societatis ordo cæteris aliquantò maneat inferior, quibus ad ampliſsimos honores via nõ eſt prohibita: pauciqne ſint, qui ad hunc ordinem tantoperè ab honoribus, & dignitatibus diſſidentem coptari velint. MICHAEL. Prorſus aliter ſe res habet. Cùm enim honorum deſpicientia maximè cum humanæ naturæ appetitionibus, & cupiditatibus pugnet, quæ ad gloriã, & excelſam ſedem magno impetu nos rapiunt: hinc ſanè coniiciunt vniuerſi homines quanta ſit & quã ſolida Societatis virtus, quæ honores prorſus abiecit: & hac opinione de Societate concepta, tantum abeſt, vt optimates, & principes viri eã contemnant: vt vel hac vnica ratione eius virtutem in contemnendis humanis rebus demirentur. Huius autem opinionis de Societate cõceptæ nos locupletes teſtes eſſe poſſumus, qui non ſolùm plæroſq; optimates, & antiſtites mira de Societate narrantes audiuimus, verũ etiam ſummorum pontificum Gregorij decimi tertij & Xiſti quinti de Societatis virtute editis præconijs, & iucunda quadam veluti acclamatione ſumus obſtupefacti. LINVS. Ex iſtis, quæ dixiſti, ego aliud etiã cõijcio, quanto videlicet in errore verſentur noſtri homines, qui ſibi perſuadẽt, Societatis patres egeſtate, & rerum inopia coactos ad nos commigraſſe, vel ſaltem Chriſtianæ religionis propagandæ ſtudio quaſi quodã velo, ſupremæ alicuius poteſtatis in Iaponia obtinendæ, populique ad defectionem à noſtris principibus faciendam, inſtar Bonzi Vozacæ, calidè ſolicitandi mentem, animumq; obtegere. Cuius rei ſuſpicionem maximè tollit, & ex animis euellit Societatis iſte laudatiſsimus mos in honoribus etiam ſacris repudiandis. MICHAEL. Error iſte, de quo mentionem feciſti, ex ignoratione tum Chriſtianarũ rerũ, tũ etiam cõſtantiæ patrũ Societatis in muneribus, adiũctiſq; facultã-

cultatibus despiciendis omnino prouenit. Qui enim radicem omnium benefactorum charitatem prorsus nescium, quantumque laboris Christus supremus doctor pro omnium nostrum salute susceperit, quantumq; religiosorum hominum in eodem imitando, eiusq; factis exprimendis sit studium, non possunt sibi persuadere, homines ex longinquis regnis sine vlla aut opum, aut honorum, principatusq; spe, atque auiditate, ad nos vsq; tot obitis maris, terræq; itineribus properare. Nos autem, qui omnia, quæ in Europa sunt, non solùm vidimus, aut audiuimus, sed intimis sensibus insculpsimus, & impressimus, certissimè scimus, primũ Societatis patres multò cõmodiùs, & ad vitæ iucũditatem aptiùs in Europa degere, nulla rerũ necessariarũ inopia pressos, (cùm interdum ampliſsimas facultates ad Societatem ingrediendam reijciant, & in eadẽ Societate siue ex redditibus siue ex eleemosynis abũdè & copiosè viuant) deinde solũ in Iaponiã nostræ salutis procurã dæ causa contendere: deniq; hîc viuentes multis vitæ commoditatibus, quibus à tenera ætate alluefacti erant, pro Christo carere, vt fructus alios optatiores, nostrorum videlicet animorum salutem colligãt. Quòd si nostri homines erroris huius caligine aliquantulum discussa vellent aciem mentis in huiusmodi res intendere, profectò intelligerent, Societatis patres, qui peculium, & alimenta aliunde exportant, & nostrorum etiam inopiam subleuant, nullam corporis vtilitatem in Iaponia curare, nec vlla in suis prouincijs carere. Quod verò ad honores, & potestatem attinet, quis est, qui credat, homines externos, & peregrinos ideo mutare solum, & tam graui se exilio mulctare, vt ea consequantur, quæ si vellent in patria sua, vbi nobis testibus in magno honore sunt, faciliùs, & iucũdiùs possent obtinere, præsertim cùm, vt iam diximus, oblata sæpissime recusent. Hoc igitur tam quam luce meridiana clarius inter nos debet statui: patres nihil humanũ, fluxũ, & caducum, sed immortale, perpetuum, & sempiternum in hoc suo ad nos aduentu aspicere: cùm non solùm Iaponiam nostrã petierint, sed etiam in infinitas alias orbis terræ partes huius communis vtilitatis causa cõtenderint, vbi sine patriæ suæ, quæ natura omnibus iucũdissima esse solet, commodis, oblectamentisq; non iam vt Europei, sed vt Iaponici, Sinæ, Indici, omniumq; gentiũ, cum quibus habitãt, mores induentes, sanctè, & religiosè, & ad cõmune bonum accõmodatè viuunt.

viuunt. Atq; hoc ex ſuperiùs à me dictis cognoſci poteſt. Per Indiam enim vniuerſam multos patres ædificaſſe domos, & vſu variarũ gentium viuere affirmaui, vt communi viuendi ratione ab indigenis accepta, illis religionem Chriſtianam traderent. Quæ in re vix dici poteſt, quas deuorent moleſtias, quas difficultates exorbeant, barbaris, & impolitis gentibus ſe aſſuefacientes, & tam multarum nationum idiomata cum magno labore percãſcentes: quæ qui faciunt in tam varijs locis, multis ſæpe iniurijs appetiti, & in patria honores oblatos recuſantes, non dignitatis, aut poteſtatis, ſiue opum, & facultatum cauſa, ſed altioris alicuius boni ſtudio hoc præſtare cenſendi ſunt. Sed nec eorũ, quæ in externis regnis, & prouincijs tolerant, teſtimonia proferre neceſſe eſt: cùm in Iaponia ipſi videamus, qua ratione patres, vt noſtrorum hominum gratiam, animoſq; concilient, victu, veſtitu, lingua alijsq; moribus ſe ad Iaponicum vſum, conſuetudinemq; accõmodent, & naturam ſuam alijs rebus aſſuetam in alteram longè diuerſam quodammodo transferant, variaſq; tempeſtates, & inſectationes contra ipſos ab ethnicis excitatas patiantur. Quarũ omnium difficultatum tolerantia, vt dixi, ex radice charitatis, tanquam ramus emittitur. Nos enim experti ſumus, Europeos patres, qui eodẽ fundamento charitatis ſunt nixi, nihil præcipuè in votis habere, niſi vt multa aſpera, & acerba pro Chriſto perferãt. Quoties enim ex Iaponia miſſas ad ſe literas recipiunt, in quibus de toleratis laboribus, aditis periculis, moleſtijs exãtlatis mẽtio fit, toties ad eoſdem labores, moleſtias, & pericula pro Chriſto ſubeunda mirabiliter exardeſcunt, ſeq; cum patribus, qui apud nos ſunt, conferentes, hos quidem in recto ad cælum curſu, qui per Chriſti crucem optimè dirigitur, eſſe lætantur, ſe autem in vitæ commodis, velut in quodam diuerticulo, à cæleſti illa, & optatiſſima meta eos retardante, eſſe vehementer dolent.

Sed nos hac iucundiſſima materia oblectati, iam ſermonem in multã noctem produximus, nunc quiete illum intermittamus. LEO. Suauitas ſermonis quietem è memoria ſuſtulerat, ſed ſit ſatis: cras colloquium, congreſſumq; repetemus.

De Monarchia profana, & varijs dignitatibus ad eam pertinentibus. Colloquium octauum.

LEO.



Antopere heſterne dieiſermone de monarchia ſacra, ſiue Eccleſiaſtica oblectati ſumus, tamque iucundè illorũ munerũ varietatem audiuimus, vt mirũ in modũ hodiernũ congreſſum, colloquiũq; optauerim⁹, in quo de monarchia profana tibi agendũ eſt: ex quo non minorem animi iucunditatem nos percepturos ſperamus. MICHAEL. Equidẽ ita fore mihi perſuadeo: & quoniam Europearum rerum cognitio nõ parum noſtris hominibus conducit, non leuem noſtræ huius longiſſimæ nauigationis fructum eſſe cenſendum eſt, ſi ex Europa tam notarum, inauditarumq; rerum notitiam in noſtram patriam reportauerimus: hac enim etiam de cauſa in Europam miſſi ſumus, vt vltra legationem ad ſummum pontificem delatam Europeas res vſu, & experientia pernoſceremus, earumq; cognitionem cum noſtris hominibus communicaremus? Vt ergo ſermonẽ hodiernum cũ heſterno contexam, meminiſſe oportet, in republica Chriſtiana vltra Eccleſiaſticam monarchiam, quæ diuina eſt, ac ſupra totam naturam, eſſe etiam alteram profanam, ſiue tẽporalem, quæ cum cæteris nationibus Chriſtianæ religionis expertibus communis eſt: quæ tamen cũ à ſacra illa diuino ſpiritu afflata ad finem ſuum dirigatur, longè, multumq; cæterarum gentium monarchijs, & poteſtatibus præſtat: vt ex ſequenti ſermone liquido conſtabit. Vt autem materiam hanc totam velut à primo capite, ac radice repetam, illud aduertendum eſt, primam originem imperij, ac poteſtatis in orbem terrarum introductæ, fuiſſe clarorum virorum inter alios præcellentiam, & infinitæ fortis hominũ erga alios virtute præſtantes reuerentiam. Cùm enim genus humanũ longè, latèq; propagaretur, & in multos populos, nationeſq; diſtribuere-

bueretur: vnaquæq; natio, ſiue gens eum, quem præ cæteris virtute, ac fortitudine pollere intellexit, communi conſenſu ſui gubernatorē, ad miniſtratorēq; deſignauit. Hic totius populi, reipublicæq; adminiſtrator temporis progreſſu interdum dominus, nonnunquam princeps, denique rex, vel alia ſimili ratione dictus eſt. In hoc verò rege, ſiue principe deſignando multiplex fuit à gentibus conſuetudo introducta, quibuſdam deferentibus principatum, regnumque alicui ea lege, vt ad filios, nepotes, cæteroſq; poſteros hæreditario quodā iure trā duceretur, ſolique ex ea familia, & ſanguine nati principatum obtinerent: alijs verò gentibus nulli hæreditario iuri, ſed tantùm conſuetudini reges ſingulos maturo conſilio deſignandi, ac deligendi locum cōcedentibus: interdū etiā vi, vt fieri nonnūquā ſolet, iura omnia pertur bante, ijs ad ſupremam illam dignitatem euectis, qui pluribus copijs, & robore ad illam ſedem occupandam abundarent. Qua in re tanta fuit in Europeis regnis, ante Chriſti fidem varietas, & viciſſitudo, quantā res humanæ, quæ in orbem quodammodo voluuntur, naturæ ipſius fragilitate, & ſupplicio communis peccati patiuntur; quaſiemq; ipſi in Laponia poſiti quotidie experimur. Poſt varios igitur caſus, incertoſq; rerum euentus, fuit quædam gens in celebri prouincia Europæ nomine Italia, quæ clariſſimam, opulentiſſimamque vrbem Romam toto terrarum orbe notam ædificauit. Quæ quidem vrbs ita opibus, potentia, ciuium robore, prudentia, atq; induſtria florere cœpit, vt primum totius Italiæ varios populos ſubegerit, ac ſuæ ditioni ſubiunxerit, eamque prouinciam, cæterarum omnium velut illuſtriſſimum lumen, obtinens, paulatim varijs de cauſis cum alijs gentibus contrahens, & ob fidem violatā cum illis bellum gerens, præcipuas ferè Europæ, Aſiæ, atq; Africæ prouincias, quæ eo tempore erant patefactæ, ſub ſuum iugum miſerit: multos reges ſibi ſtipendiarios reddiderit: denique velut orbis terrarum domina effecta fuerit. Quo in decurſu rerum tam multa fuerunt Romanorum facinora tum in pace, tum in bello, vt illis plerisq; antiquorum libri, qui adhuc noſtro tempore extant, ſint referti, & recens admodū talium rectè factorum memoria conſeruetur. In huius autem ciuitatis adminiſtratione magna fuit, ac mira varietas. Nam in primis ducētis quadraginta tribus annis à regibus gubernata, deinde formam

reipublicæ quinquaginta ferè ſupra quadringentos annos cum ſumma laude, & nominis gloria conſeruans, eadem magnitudine ſua laboranſ, varijſque ciuilibus bellis conflictata, a quodam ſuo ciue, imò vt dicebant Cæſare fortiſſimo illo quidem, ſed ambitioſiſſimo viro occupata eſt, & in poſterum ſimul cum magna illa orbis parte ipſi ſubiecta ab imperatoribus ſibi mutuò ſuccedentibus gubernata. Quorum imperatorum dominatus per multa ſecula cum ſumma potentia, & felicitate, multarumque prouinciarum, & regnorum gubernatione magnopere viguit. Sed cùm res humanæ nihil firmum, ac ſtabile contineant: anno ferè nõgẽteſimo ab eo tempore, quo Roma per orbẽ dominari cœpit, imperatorum potentia paulatim imminuta eſt, regibus pleriſq; ab eius iuriſdictione varia regna ſubtrahentibus, proprium que, & ſupremum in varijs prouincijs dominatum exercentibus. Hoc in ſtatu monarchia illa modò eſt, quæ tantopere floruit: imperatoris enim dignitas adhuc extat cũ aliquibus prouincijs illi ſubiectis, nõ tamen illam priſtinam amplitudinem, potentiamq; conſeruat. Reges autem, etſi imperatorem tanquam primum dignitate recognoſcunt, ſuo tamen iure, & ſuis legibus in ſingulis regnis viuunt, nec in eorũ adminiſtratione ab imperatoris arbitrio vlla ex parte pendent. Hæc eſt igitur prima, ac ſuprema inter profanas dignitates, quam cæteris anteire, certiſſimum eſt. Eam mox ſequitur dignitas regia, regum videlicet, qui ampla aliqua regna, vel prouincias ſuo iure adminiſtrãt, nec in eorum gubernatione vlli profano principi obtẽperant: quamuis imperatorem tanquam dignitate maiorem reuereantur. Sub imperatore, regibusq; ſunt quatuor dominatuum genera, ninirum principum, ducum, marchionum, & comitum: addam etiam quintam dignitatem his inferiorem eorum, qui vicecomites, & barones appellantur. Hi autem omnes, quos communi nomine dynaſtas appellare poſſumus, ſibi mutuò nequaquam ſubſunt, ſed vel imperatorem, vel regem eum, in cuius iuriſdictione reditus ſuos habent, tanquã ſuperiorem inuentur: quantus nonnulli ſint ex principibus, & ducibus, qui vique adeò potentia, & dominatu valent, tam parum ei, ab imperatore pendent, vt ſolo regum nomine careant, alijs in rebus, diuitijs videlicet, finium, redituumque amplitudine regum quam ſimilli mi. ex quibus nonnulli ſunt in Italia, & in Gallia, alijſque prouincijs

uinciis, præsertim in Germania, vbi hoc tempore imperatoris propria sedes est, quem illi omnes principes, duces, aliique dynastæ tanquam primum omnium venerantur, vt a me explicatum est. Quod vero ad sedes regias attinet: permutata sunt in Europa regna, quæ aliis temporibus à propriis regibus obtenta, adhuc regnorum nomen, insignia, retinent: multa tamen ex illis vni, & eidem regi parent, varijs rerū euentu ad vnū deuoluta. Vnde fit, vt quamuis complura regna numerentur, multò tamen pauciores modò sint reges, qui ea administrant. LEO. Quæro ex te, dignitates istæ qua ratione ab hominibus maximè obtineantur, hæreditario ne iure, an suffragijs popularibus? an denique vi aliqua interiecta? MICHAEL. Quod ad vim attinet, nequaquam inter Christianos principes locum habet: cùm enim sint homines imbuti Christiana religione, quæ cupiditates animorū efferatas comprimit, & coërcet, non quidem regnandi appetitioni, sed iuri, ac iustitiæ locus inter eos patet: cū contra in nostra Iaponia omnia humana, ac diuina natura vi, armis, & regnandi cupiditate, perturbari videamus. Quod ergo ad imperatoris dignitatem spectat, post longā circa succedendi modum varietatē, tandem à summis pontificibus sancitū est, & hoc nostro tēpore obseruatur: vt extincto imperatore successor suffragijs deligatur, non quidem totius populi, aut exercitus, vt olim, sed septem clarissimorum dynastarum, qui imperij electores nūcupatur. Hoc vt liberius ab omni perturbatione fiat, viuente adhuc imperatore, qui eius vices acturus est, designari solet, & rex Romanorum appellatur: hoc enim nomine insignitur, quandiu imperatoris dignitatem, potestatemq; non exercet. Quamuis autem electoribus liberum sit ad hoc summum munus eum, quem dignissimum iudicant, designare: fit tamen plerunque, vt aliquem viuentis filium, fratrem habeat, vel propinquum sanguine renuntient: quo factum est, vt iam à multis annis è clarissima Austriacorum familia dignitas imperatoria non discesserit, eamq; pleriq; ex eo sanguine iustissima cum laude administrauerint. Postquam autem renuntiatur ille, qui tam excelsam sedē obtenturus est, petitur à pontifice maximo vicario Christi seruatoris nostri, regis regum, dominiq; omnium dominantium, vt eius dignitatem ratam habeat, eiq; imperatorium diadema, aliaq; insignia impertiat. Quod, postquā de virtutibus eius ad tantum obeundum munus

sufti-

ſufficientibus edoctus, facit ſupremus pontifex, tunc demum ſtabilis, ac firmus imperator cenſetur, & inſignia imperatoris vel à ſummo pontifice, vel ab alio in eius locum ſuffecto ſibi tradita recipit, ab omnibusque tanquam totius Chriſtianæ reipublicæ propugnator in ſummo honore, & veneratione habetur. Quod autem ad reges attinet, ij magna ex parte dignitatem eam hæreditario iure à parentibus ad filios, nepoteſq; deriuatam accipiunt, ijſq; non extantibus, illi eam comparãt, qui regem extincti propinquus genere attingunt. Quod ſi nullus omnino ſit ex regio ſanguine, populis, & ciuitatibus in vnũ collectis liberum eſt, ex nobiliſſima aliqua familia regem ſibi deſignare. LINVS. Qui nam ſunt illi, quos in perij electores appellaſti? MICHAEL. Septem illi numero ſunt, videlicet tres profanam, tres ſacrã dignitatem obtinentes, ſeptimus regia maieſtate inſignis. Profana dignitate præſtantes ſunt dux Saxoniæ, marchio Brandeburgenſis, comes denique Palatinus, vt ita ex ſingulis præcipuis dignitatibus, ſinguli ad hæc ſuffragia aſciſcerentur: ſacra dignitate fulgentes ſunt archiepiſcopi, ſiue archipræſules trium maximarum diœceſium videlicet Moguntinæ, Colonienſis, & Treuerenſis: quibus ſex non nunquã in ferendo ſuffragio diſſidentibus, ſeptimus tanquam huius diſſidij diremptor, totiuſq; controuerſiæ diſceptator accedit illuſtriſſimus rex Bohemiæ: atq; in hũc modum ſuffragijs pluribus auguſtiſſimus imperator inauguratur, ab omnibuſq; Chriſtianis principibus cum ſumma veneratione colitur. LINVS. Scire velim ex te, an etiã illi, qui ad regiam dignitatem aſcendunt, ſupremi pontificis conſenſu in eadem ſtabiliantur? MICHAEL. Cùm reges, vt dixi, vel hæreditario iure, vel populi ſuffragatione regium munus conſequantur, ad idem obeundum nulla peculiari confirmatione indigent. Solent tamen aliquando regia inſignia cum magno quodam apparatu, ac pompa à ſummo pontifice ſibi data accipere. Quamuis autem ſolemni huic traditioni non ſit locus, non proinde impediuntur, quominùs munere ſuo fungantur, ſemper tamen quocunque modo regium munus adminiſtrare incipiant, ad ſummum pontificem legatos mittunt, per illoſque eum ſummum caput Chriſtianæ reipublicæ recognoſcunt: idemque faciunt, quoties pontifice maximo è viuiis ad ſuperos excedente, alius in eius locum ſufficitur. Poteſt etiam idem pontifex magnum aliquem principem,

cipem, vel dynaſtam ad regiam dignitatem extollere, imò reges ipſos, & imperatorem regia, ſuo imperatoria dignitate abdicare, ſi propter defectionem aliquam ab ipſis factam, vel aliam iuſtiſſimam, & grauiſſimam cauſam Chriſtianæ reipublicæ expedire iudicauerit: quod aliquando euenit illa, certiſſimis Europeorum monumentis proditum eſt. LINVS. Magna profecto, & incredibilis eſt ſummi pontificis maieſtas, qui poteſt regiam dignitatem abrogare, nouáq; creare, & ex cuius authoritate imperator ad ſuum altiſſimum munus ſtabiliter obtinẽdum omnino pendet: quẽ deniq; Chriſtiani reges tanto cultu, & veneratione proſequuntur. MICHAEL. Quanta ſit ſummi pontificis maieſtas, ex ijs intelligetis, quæ progreſſu colloquiorum dicam de felici ad vrbem Romanam acceſſu. Vt tamen aliqua non omittam, quæ præſens materia, propoſitumq; poſtulat, ſcire digniſſimum eſt, qualiter ſe habeant inter ſeſe, ſummus pontifex, imperator, ac reges, quoties grauiſſima aliqua de cauſa conueniunt. Nam in primis, cùm imperator, regesque ſũmum pontificem adeunt (vt interim ſileam communem illam lætitiam, & gratulationem, qua excipiuntur) antequã ad ſedem ſummi pontificis accedant, ter genua flectunt, & tertio loco venerabũdi in terram ſe volutant, & maxima tum corporis, tum animi ſummiſſione oſcula ſummi pontificis ſacris pedibus imprimentes, ipſum tanquam Chriſti vicarium piè, religioſéq; venerantur, & adorant. Mox autem ſummus pontifex eos ad amplexum recipit, & ad deſignatas ſedes perhumaniter, ac paternè inuitat. Quod ſi idẽ ſupremus pontifex ad menſam ſolenni ritu velit accumbere, mos eſt vt ijdem domini initar adminiſtrorum aquam illi ad manus abluendas infundant, mantile ad eaſdem extergendas porrigant, denique primas epulas ei ſubminiſtrent: quo venerationis ritu exhibito, ad cõuiuium ab eodem amantiſſimè inuitati reuerenter accumbunt, & filiorum more cum parẽte illo omniũ iucundiſſimè conuiuãtur. Quod q; magis mirandũ eſt, ſi eueniat, vt ipſe ſummus pontifex equo vectus velit ſolẽni pompa iter facere, omniũ primatũ turba comitante, ipſe imperator, regeſque, ſi adſint, ſummi pontificis equum cõſcendentis ſacros pedes manibus fulciunt, & frænum reuerenter tenentes per aliquod ſpatium illum incedentem comitantur: donec idem ſummus pontifex ad aſcendendum in paratos equos illos humaniſſimè in-

uitet. Vnde facilè licet colligere, quæ ſit cæterorum principum erga pontificem maximũ veneratio, cùm imperator, regesq; ita ſe illi ſubmittant, tantopereq; reuereantur. LEO. Mira profectò narras de ſummi pontificis authoritate, ad quem ex animo venerandum nos ipſi iſta audientes intimis ſenſibus commouemur. MICHAEL. Cũ de noſtro ad vrbem Romam acceſſu mentionem fecero, quanta ſit ſummi pontificis maieſtas, & amplitudo, qualiq; humanitate, & charitate, alijsq; eximijs virtutibus eadem dignitas exornata multò magis vigeat, ac fulgeat, & quàm egregiè vtraque re, dignitate videlicet, & morum ſuauitate Chriſtum optimum maximũ, cuius vicarius eſt, nobis referat, facilius intelligetis. LINVS. Dixiſti ſuperiùs, vrbem Romam primã imperij ſedem fuiſſe, deinde imperatorem in Germania locum tenere ſolitum: ſcire velim, an Romæ vrbis profana poteſtas, & iuriſdictio ad eum, an ad ſummum pontificem pertineat? MICHAEL. Rectè rogas, idque ego iplè iam explicare appetebam. Cùm primum antiqui imperatores, cognita Chriſtianæ religionis veritate, eam ſuſceperunt, fuit quidam fama, & nominis celebritate præter cæteros nobilitatus nomine Conſtantinus, qui eo amplificandæ Chriſtianæ religionis ſtudio exarſit, vt præter templorum admirabilem extructionẽ, Chriſtiani nominis per omnia regna ipſi obtemperãtia propagationẽ, ampliſſimosq; ſumptus factos in Chriſtianis rebus extollendis, ſecum ipſe ſtatuerit, quo loco authoritatem, maieſtatemq; ſummi pontificis haberet, re, atq; opere oſtendere. Qua de cauſa totam vrbem Romã cum multis alijs Italiæ prouincijs illi libentiſſimè attribuit, & nouam Romam ipſe ſuo loco cedens, in Thracia ſibi ædificauit: qua ſede poſteà bellorum tumultibus perturbata, in Germania tandem imperatori locus conſtitutus eſt. Nec verò ſolus ille imperator Conſtantinus, ſed pleriq; alij eadẽ magnificẽtia vſi ſunt, tẽporalẽ iuriſdictionẽ ſummi pontificis multò magis amplificantes: vnde factum eſt, vt quã uis Romani imperij facta fuerit rẽporis progreſſu magna inclinatio, ſemper tamen vrbs Roma, ex quo primum dominari cœpit, domina ũ orbis obtinuerit, ſiue profanum, ſiue ſacrum: vt meritò quidam Latin' poëta omnium præſtantiſſimus dixerit, Deum loquentem introducẽs. Imperium ſine fine dedi: & alibi: Capitolij, id eſt Romanæ arcis immobile ſaxum, hoc eſt, nulla vi demoliendum. Imò verò ratione

rectè

rectè ſubducta, nunc multò magis Roma in orbe terrarū dominatur, cùm omnes Chriſtianæ gentes inde religionis certa documenta accipiant. LEO. Ita prorſus eſt: cùm nos ipſi Iaponenſes Chriſtiana religione ſuſcepta, toto fere orbe diſſiti, Romani ſummi pontificis ſedē, ipſumque pontificem, quaſi communem omnium nationum parentem veneremur: vnde facilè conijcio, nunquam tam longè, latéq; Romani imperij iuriſdictionem fuiſſe propagatam: ſed agè nunc reliquas dignitates minutiùs, & enucleatius proſequere. MICHAEL. Vltra regiam dignitatem, ſunt etiam in Europa nonnullæ Reſpublicæ, quæ non minorem dominatum, quam regium habent, & ab omni regum iuriſdictione ſunt liberæ, atque immunes, ſuo ipſarum iure, ſuiſq; legibus priuatis viuentes, quæ magnam etiam authoritatē in Chriſtiana Republica habent. Inter has primum locum obtinet celeberrima Venetorum Reſpublica, quæ iā à multis ſæculis fundata ſummis opib', magnaq; potentia, terra, mariq, multum valet, & ſub ſua iuriſdictione clariſſimos dynaſtas, prouinciarumq;, & inſularum gubernatores complectitur. Hæc igitur, & aliæ ſimiles Reſpublicæ, ad dignitatem regiam pertinere cenſendæ ſunt. Quod verò attinet ad Venetam, de ea in colloquio alio ampliorem mentionem faciemus. LEO. Quæro nunc, an principum, ducum, marchionum, comitumq; dignitates hereditario iure, an ſuffragijs conparentur? MICHAEL. Quod attinet ad dignitates illas infra regiam, regum filij primo loco nati principes appellantur: reliqui vulgari nomine infantes, quaſi regum pueri, qui authoritate, cæteris omnibus, quicunque honorum titulos habentibus antecellunt. Hos ſequuntur principes alij, qui & ſi non ſunt filij regum, hoc tamen nomine propter ſuam amplitudinem, peculiariter nuncupantur: deniq; duces, quorum vtriq; dupliciter ſe habent: quidam enim nulli omnino regi parent, vt ſuperiùs dixi, ſed ſolo regum nomine carentes, ad cætera poteſtate, videlicet, opibus, & facultatib', regibus fere exæquantur, marchiones, comites, & alios potentes viros ſub ſua poteſtate habentes: alij verò ſunt, qui vel ſub regum, vel ſummi pontificis iuriſdictione viuunt. Cùm enim, vt dixi, Romani pontificis ditio ampliſſima ſit, duces, marchiones, & comites amplectitur. Inter eos ergo, qui vel pontifici maximo, vel regibus ſubſunt, primum locum obtinent principes, ſecundum duces, tertium marchiones, quar-

tum comites, qui quamquàm alij alijs ditionis amplitudine præstẽt, dignitate tamen superiorem ordinem ante commentoratum obseruant. Hi ergo omnes honores hæreditario iure à maioribꝰ ad posteros traduci solent: quamuis nonnunquam noui à summo Pontifice, Imperatore, & Regibus, viris benemeritis cũ accessionibus reditibus deferantur. Superiores omnes à me relatos consequuntur Vicecomites, Barones, aliíq; patritij viri ex eorumdem familia, vel alia nobili procreati.

LEO. Videntur sanè mihi isti Europei domini cũ nostris Iaponẽsibus maximè conuenire: nam ille, quem nos Dayrum appellamus, imitatur Imperatorem, quos nos Yacattas dicimus, similes sunt Regũ, quos nos Cungos, & Cunixuos nominamus, referunt Duces, Marchiones & Comites, quos demiq; Tonos, & Samburayos vocamus, exprimunt Barones, aut Vicecomites, & reliquos, quos patricios dixisti.

MICHAEL. Est ita magna ex parte, est nonnullum interim discrimen inter Reges Europæos, & nostros Iaponicos Yacattas. Quatenus enim Yacattæ regna integra possident, & sub sua potestate habent varios Cunixuos, qui Marchionum, & Comitũ similes sunt, magnos exercitus conflant, sub demiq; iure viuunt, & bella aduersus hostes mouere possunt, Reges appellari queũt. Quoad verò fines iurisdictionis sũt angustiores habent, & reditus multò minores, & Dayrum, imò & Cubuni, qui locum Dayri tenet, superiorem agnoscunt, Reges Europæos nequaquã exprimunt. Potius ergo dixerim, eos similes esse magnorũ Ducũ, qui quamuis inter reliquos Dynastas sint præcipui, Imperatori aliqua ratione subsunt, & Regibus cedũt: similes autem dico non redituũ magnitudine, sed iurisdictionis potentia, & exercendi dominatus facultate. Dayri autẽ dignitatẽ certissimè affirmare possumus, esse regiam, Cungos verò, & Cunixuos esse velut Marchiones, & Comites: vnde cõmuni nomine Daymioxuos appellamus, idest magni nominis viros, quomodo Europæos primates, & optimates vocitamus. Vltra hos honorũ ordines, de quibus hactenus egi, munerum, magistratuumque gradus quàplurimi sunt, tam ad sacram, quã ad profanam monarchiã pertinentes, quales extant in nostra Iaponia Quambacundoni, Dayridayri, Cubi, aliíque permulti, qui omnes etsi honorificentissimi sunt, variis tamen functionibus, vel in populi gubernatione curanda, vel in aula regia administranda, vel in bellicis ordinibus instruendis discernũtur.

LI-

LINVS. Scire aueo, regna ne ista, & status Europei diuitijs, atq; opibus abundet, nostrisque Laponenses facultatū amplitudine superent? MICHAEL. Mouisti sanè ritum mihi, & socijs charissime Linę ista interrogatione facta. Sed quid mirū, cū mundū maria traiecteris, nec alia extera regna adieris? Ex progressu tamē, & frequētatione herū colloquiorum intelliges, quantæ sint Europeorū regnorū opes, & facultates. Nam, vt cætera in aliud tempus reijciam, illud certissimū est, minima Europæ regna longitudine octoginta saltem, vel centum leucas continere, quæ nostris centum, & quinquaginta respondent: vnde fit, vt tota Laponia quæ in sex, quinta & sex regna diuisa est, si Europeorum regnorum mentio fiat habenda, tria tantùm mediocria regna complectatur: cum in Europa sint alia multa quæ amplioris sunt spatij. Iam verò quod attinet ad vrbium, oppidorumque frequentiam, & opum amplitudinem, ea tanta in Europa est, vt nos in summā admirationem traduxerit, quod ex summo ornatu, atq; apparatu, quo vtuntur reges, & ex sumptibus, quos faciunt, colligi aliqua ex parte poterit. Sed quoniam hæc materia ampla est, in crastinum diem, quæso, differatur, tēpusq; quieti debitū impertiamus. LINVS. Placet: etsi nos colloquij iucunditate perfusos, corporis quies nequaquam solicitos habebat.

De magnifico ornatu, quo reges, & dynastæ Europei vtuntur in ijs, quæ ad cultum corporis, victum, & habitationem pertinent, deque magnis sumptibus, atq; expensis.

Colloquium nonum.

LINVS.

REpetimus hac nocte cum summa voluptate solitum cõgressum Michaël charissime, vtte de sumptibus à principibus Europeis fieri solitis, & eorum ornatu, & cultu apparatissimo dicentem audiamus. MICHAEL. Dicã libenter, initium sumens ex dicto quodam celeberrimo cuiusdam Sabæorum reginæ ad Salomonem Hierololymorũ regem, qui, vt in sacris literis habetur, Christi domini, ac seruatoris nostri multis in rebus adumbratam quandam effigiem præ se tulit. Cùm enim regina illa sapientiam, ac potẽtiam regis huius fama, & auditione accipiens, eius videndi studio vehementer commoueretur, ad ipsũmq; è regno suo profecta, magnis itineribus properaret, & magnificentissimum illius regis apparatum, diuitias, opesq;, incredibiles, seruorum ministrãtium infinitam propè in ultitudinem egregiè dispositam, inauditam deniq; regis in omnibus administrandis sapientiam, cum summa felicitate coniunctam re ipsa comperisset, multisq;, ac varijs argumentis fuisset experta, inusitata quadam admiratione obstupefacta, ad regem sic ait, vt sacrarum literarũ verbis vtar. Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit:

maior

maior est sapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audiui: beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiã tuã: fit dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël, eò quòd dilexit dominus Israël in sempiternum, & constituit te regem, vt faceres iudicium, & iustitiã. Quæ omnia verba sicut regina illa fecit, vt sacris literis est proditum, ita etiã nos facere meritò potuimus, cùm primum Europeos principes, eorum maiestatem, & magnificentiam, ædificiorum moles, ac machinas, nauigandi fabrum, atq; apparatum, in tota denique gubernandi ratione egregium ordinem conspeximus, & ea omnia re ipsa, ita se habere cognouimus, quemadmodum à patribus acceperamus, quamuis anteà fidem non omnino illis haberemus. Nec verò aliter vos posthac de ijs rebus iudicaturos, mihi persuadeo, si omnino in animos induxeritis ijs, quæ à me dicenda sunt, fidem adiungere: de quibus quoniã vobis postulantibus sum dicturus, illud velim statuatis, me potius citra rerum ipsarum dignitatẽ, de illis esse acturum, quàm veritatis terminum vel latum vnguem transgressurum, idq, ita fore iocij, qui ad sunt, præstare possint. Atq; vt iam inde exordiar, illud inprimis vos scire velim, reditum annuorum rationem longè aliter in Europa, atq, in nostra Iaponia subduci. In nostra namq; Iaponia summa omnium fructuum, quot ex aliquo pago, vel alicuius domini ditione colliguntur, ita fieri, ac supputari solet, vt eos reditus annuos ille dominus possidere censeatur, qui ex ditionis eius agris recipiuntur: cùm tamen non omnibus ille fructibus potiatur, sed eorum maximã partẽ in inferiores dominos, quales sunt Toni, aliique similes, distribuat. Quoties ergo dicimus Yacattam aliquem tot millia modiorum orizæ singulis annis demetere, non ita intelligendum est quasi omnia illa in horrea sua recondat, sed in omnes eos, qui ipsius iurisdictioni parent, ita diuidat, vt ad ipsos agrorum etiam colonos deueniat: vnde fit, vt ex toto cumulo octaua fere pars ad Yacattam redeat. Quicunque igitur quinquaginta millia nostrarum mensurarum, quas go quios crecimus, possidere apud nos censetur, vix sex, aut septẽ millia in suos vsus conuertit, qui de causa reditum amplitudo propria, ac genuina vnius cuiusque Yacatæ, vel dynastæ, ex tam multorum modiorum numero rectè conijci non potest: cùm maxima pars ad cæteros inferiores domi-

dominos pertineat, ſed eius tantum partis eſt habenda ratio, qua ipſe cum ſua familia fruitur. In Europa autem longè aliter ſe res habet, nã in ſupputandis reditibus non menſurarũ oryzę, aut alterius fructus multitudo, ſed pecuniæ numeratæ ſumma attenditur, nec principes, aut dynaſtæ, qui populum ſubiecta ditione habent, agros pro arbitrio ſuo diſtribuunt, nec deniq; aliquibus ablatos, in alios transferunt: ſed quemadmodum magnates integra aliqua ditione pollent, ſic etiam inferiores domini certos aliquos agros poſsident, quorum collectis fructibus potiuntur, eoſdemq; agros emunt, vendunt, permutant, deniq; quaſi proprijs, ac ſui iuris illis ad libitum vtuntur. Excipiuntur tamen aliqui agri, qui regij appellantur, qui quoniam ab ipſis regibus viris bene meritis cum cenſu annuo ſunt donati, ſine ipſorum regum facultate, cõtractione aliqua facta, abalienari nullo modo poſſunt. Quoties ergo dicimus, regiorum reddituum talem eſſe ſummã, nequaquam totius regni agrorum rationem habemus: hæc enim ſumma vix vnquam ſupputari ſolet, ſed tantùm eorum reddituum, qui ad regem ipſum proprio, ac peculiari iure pertinent. Nullus tamen eſt rex, qui ſaltem quadringentes ſeſtertiũm, hoc eſt decies centena millia aureorum ſingulis annis non recipiat. In eodem tamen regno, vbi rex tãtis reditibus fruitur, ſunt alij multi duces, marchiones, reliquiq; dynaſtæ, qui quadraginta, quinquaginta, ſexaginta, imò & centum millia aureorum, quotãnis ex ſuis fructibus, ac vectigalibus comparant. Non ergo in cuiuſcunq; regis, aut principis fructibus ad ſummã redigendis, totius regni, ſiue ditionis amplitudo, ſed pecularium vnius cuiusq; fructuũ numerus ſpectatur. Vnde facilè colligere poteſtis, noſtros Yacattas, quanuis ampliores fines iuriſdictionis ſuę habeant, pluresque homines ipſi obtemperantes, quàm multi eorum ducum, marchionum, & comitum, qui regibus ſubſunt, tamen ab ijs, & reditibus, & opibus facilè ſuperari, & quantùmuis illi, quos Cunixuos, & Daymioxus diximus, illis ducibus, & alijs dynaſtis ſint valde ſimiles, facultatibus tamen, & peculij longè eſſe inferiores: deniq; reges Europeos noſtris Yacattis copijs, & opibus antecedere adeò vt excepto totius Iaponiæ monarcha, quẽ nos dominũ Tenchæ, ideſt, vniuerſitatis appellamus, nullum alium cum regibus Europæ poſſe conferri, mihi perſuadeam. LIVS. Mirabila ſanè ſunt iſta, quæ refers de facultatibus,

tibus,& opulentia regum Europeorum,deq; amplis copijs dynastarũ, qui ipsis parent. Illud tamen considerans mirum in modum obstupesco, quifieri possit, vt reges isti tam potentes dynastas in suis regnis viuere, & potestatem exercere patiantur,nec aliquam defectionẽ, aut coniurationẽ eorum pertimescant? MICHAEL. Ignoras naturam,& ingenium Europeorum hominum, moresq; in ea regione seruari solitos. Meminisse ergo oportet,ita dynastas suos reditus,agrosq; possidere: vt nequaquam à regibus fraudari illis possint, nisi fortè proditionis crimen incurrant,à quo Europeorum animi sunt alienissimi: nec verò quanuis proditionem machinarentur hi optimates, quidquam ad exitum perducere possent, regũ potestate illos omnino coërcente,ac comprimente: cumq; de hoc certi sint reges, ex huiusmodi optimatum numero, & abundantia potiùs adiumentum, quàm damnum aliquod accipiunt. LEO. Ex illorum dominatuum amplitudine facilè ego colligo, quàm opulenta sint eorum ærraria, quàmq; auro, atq; argento referti thesauri. MICHAEL. Europei magnates non valde sunt de recondenda in thesauros pecunia soliciti,imò de ea magnificè expendenda: adeò vt expensæ quotannis receptos fructus superent. Solent tamen reges, supremi duces, & Respublicæ inanes plerunq; magnam pecuniæ summam in thesauros conferre ad bellorum sumptus, si fortè concitata fuerint, vel ad alios similes casus, qui nonnunquam euenire possunt. LEO. Ita de bellis loqueris, quasi ad istos tantùm, quos commemorasti, ea pertineant: non ne etiam duces minores, marchiones, ac comites sibi aliquando mutuò bella inferunt? MICHAEL. Nequaquam: ad solos namque supremos principes nulli parentes, vel Respublicas liberas bella mouere pertinet: reliqui autem dynastæ, qui regibus subsunt, si fortè de re aliqua inter se contendant, totam illam controuersiam ad senatum regium, publicosq; magistratus deferunt, eorumq; nutu, & arbitrio lis illa etiam grauissima dirimitur, spectato antiquo iure, legibusq; cum summa maturitate, & consilio à maioribus sanctis. Quo fit, vt inter eos in summa pace,& tranquillitate viuatur, nec bellis, & contentionibus vllus locus pateat. Hæc tamen in processu sermonum à me latiùs sunt explicanda. Sed vt ad diuitias, copiasq; Europeorum principum redeamus, tantæ profectò sunt, vt vix credi

poſsint niſi ab ijs, qui eas oculis fuerint intuiti: cuius rei vel maximũ eſt illud argumentum, quòd ſi nobili loco natus homo duorum, vel trium millium aureorum reditus quotannis colligat, non proinde diues cenſeatur, vixque ad annuos ſumptus faciendos his fructus ſuppetant: quanti verò ſint huiuſmodi ſumptus, ex apparatu ædium, veſtium, victus, & cæterarum rerum facilè intelligi poteſt. LEO. Iucũdum nobis erit, ſi ſingularum rerum expenſas proſequaris, quò facilius tantarum opum magnificentiam cogitatione aſſequamur. MICHAEL. Inprimis agam de domicilijs, quæ ſanè magnificè, & affabrè conſtructa ſunt: nam, vt omittam domos regias, ſiue regũ, & dynaſtarum palatia, reliquorum etiam optimatum ædes nitore ſunt operis extructæ, ex calce, & polito lapide confectæ, treſq; vel quatuor contignationes, habent, & ſpatioſas quaſdam porticus, exedras, periſtylia, atria, pergulas, variaq; tũ cubicula, tum gynæcea, atq; hoſpitia: quæ omnia, tum propter multitudinem, tum propter operis elegantiã non ſine maximo ſumptu conficiuntur ſunt. Nos enim ipſi in multis vrbibus multa vidimus domicilia, quæ ita erant ædificata, vt quorundam extructio quadraginta aureorum millibus interdum quinquaginta, nõ & ſexaginta millibus ſteterit: vnde facilè colligetis, quo ſumptu ſint regum palatia extructa. Nec verò in vrbibus tantùm huiuſmodi ſunt ædes, verùm etiam in villis, ad quas, quoniam relaxationis animi cauſa ſolent diuertere, ibidem etiam magnificentiſsimis ædificijs operam optimates collocare ſolent. Hinc fit, vt vrbium Europearum aſpectus ſit iucundiſsimus, tum multis domibus egregiam quandam ſpeciem, & magnificentiam præferentibus: & ipſi agri, atq; rura villis optimis exornata multò maiorẽ quandã amœnitatem oculis exhibeant. Quod verò attinet ad interiores partes domuum, illæ etiam ſunt ornatiſsimæ: nam pauimenta præterea tabularum iuncturas admirabili ordine colligatas, lateribus, & teſſeris iſsimilibus compacta, vel opere vermiculato confecta: tecta verò vel lineis laqueariis auro, picturaq; diſtinctis fulciuntur, vel fornice ex calce, gypſo, aliaq; ſimili materia compoſito, figuris, & imaginibus varijs ornata muniuntur: parietes denique, auro, coloribusq; diuerſis ita exornãtur, vt quidquid in domo ſit, nitorem, ſplendorem, atq; ornamentũ oſtentare videatur. LEO. Quî fieri poteſt, vt Europei magnates tam præ-

cioſas domus ædificant, cùm earum extructio theſaurum omnino exhaurire poſsit? MICHAEL. Ideo affirmam ſuperiùs, non quoſcunque nobiles viros (etſi duo, vel tria aureorum millia quotannis plerunque recipiunt) inter locupletes, & pecunioſos numerari, quòd totũ id ad communes ſumptus faciendos ſit exiguum. Quapropter quò ditiores ſunt, eò magnificentiores ædes extruunt, omnes tamen nobilium virorum domus magnificæ, atq; operoſæ dici poſſunt. LEO. Expone nunc, an ſupellex domuum magnificentiæ reſpondeat? MICHAEL. Prorſus maximè: cùm enim hic apparatus ex redituum opulentia proueniat, affabrè confectæ domus ſupellectilem etiam lautiſsimam, & ornatiſsimam continent. Inprimis enim domuum parietes optimis aulæis, & periſtromatis decorari ſolent, quæ cuiq; tempori accómodata, verna quidẽ ex tenui corio ſunt cõfecta, & auro, variiſq; figuris depicta, qualia ſunt hæc, quæ hîc appenſa videtis, ideò à nobis allata, vt Europeorum ornamentorum partem aliquam noſtris hominibus proponeremus: hyberna autem partim ex lana, partim ex ſerico ita ſunt contexta, vt aureo filo, vel argenteo, variiſque figuris hominum, animaliũ, ſyluarum, montium, fluuiorumq; diſtinguantur. Quod opus ſicut varium eſt, & iucundum, ita etiam pretioſum, tum propter materiam ſerici videlicet, auri, & argenti, tum etiam propter miram opificum artem in figuris intexendis: vnde fit, vt plerunq; nobiles his peripetaſmatis vtantur, quorum ſpecimen aliquod præbere cupientes, nonnulla ab Eborenſi archipræſule, de quo alibi dicam, nobis dono data aſſe rebamus, quæ tamen naufragio cuiuſdam Indicæ nauis ad ſcopulos alliſæ, & fractæ omnino deperierunt. Fiunt etiam huiuſmodi aulæa ex gauſapino, vel auro opere Phrygio contexto, vel alia ſimili ratione ad parietum eximium quoddam ornamentum. Ad hunc ornatum accedunt lecti, qui ex ligno optimo auro, coloribuſq; varijs veſtito ſunt confecti: ſternuntur autem quàm molliſsimè culcitris ſericis, ſindonibus byſſinis, lodicibus gauſapinis, ſiue auro intextis, cum ceruicalibus, & puluinis ad fouendum caput valde accommodatis: quæ omnia etiã verno, hyberno, tempore, vel ad depellendum frigus craſsiora, vel ad ſaſtinendum calorem leuiora præparantur: denique, vel acu pictis velis, vel ſericis papilionibus operiuntur: totus autem lecti ornatus nonnũquam tribus, vel quatuor aureorum millibus conſtare ſolet. Quia verò

Europei homines non ſolo decumbere, ſed altis ſubſellijs ſedere ſolẽt, ornatur domuum atria, & cubicula ſellis optimis ex ligno intexto ebore confectis, quæ ſedes, vt molliores ſint, ſiue ex pellibus egregiè depictis, ſiue ex ſerico, & gauſapino fieri conſueſcunt, qualibus aliquando ſupremos nauarchos ad nos venientes vti vidimus, qualemq; ſuperioribus annis pater Viſitator Nobunangæ dono dedit. Ad ſellas autem appoſitiſsimæ ſunt menſæ, quibus etiam vtuntur eadem arte confectæ, & tapetibus pretioſiſsimis ornatæ: quibus omnibus mirũ eſt, quantopere cuiuſcunq; nobilis viri diuitis domus exornetur. Ad hæc adiunguntur ſcrinia, arcæ, plutei, abaci, armaria, multaq; alia domeſtica ornamẽta, quæ domum ſummopere exornare ſolent, omniaq; ita artificioſè, atq; operoſè ſunt compacta, vt etiam ipſa laſana, matellæ, aliaq; ſimilia vaſcula cuiuſcunq; abiectiſsimi vſus capſis ſerico veſtitis includantur. LINVS. Dixiſti ſuperiùs, Europeos homi non ſolere decumbere: qua igitur ratione vrbanitatis officia erga ſe mutuò præſtare poſſunt: niſi fortè illorum omnino ſunt expertes? MICHAEL. Vrbanitatis variæ rationes, ac normæ in Europa nequaquàm deſunt: diuerſo tamen modo ab eo, quem noſtri homines obſeruant. Cùm enim accumbendi longè alia ſit ratio, victuſq; & cultus valde diſimilis: non eſt mirum, ſi vrbanitatis etiam documenta multùm differant: quibus quoniam nos non ſumus aſsuefacti, Luſitanos ad nos venientes barbaros, & ab omni humano cultu alienos iudicamus. LEO. Non poſſumus non eos barbaros iudicare, cùm multa in illis videamus longè à ratione abhorrentia. Ingrediuntur enim templa calceis, & ocreis induti, & in illis liberè, ac temere expuentes, atq; excreantes, ſtramentitias ſtorias, quibus vtimur, facilè fœdant, & commaculant, aliaq; ſimilia faciunt, quæ ab omni vrbanitate prorſus videntur aliena. MICHAEL. Non ſanè iſta ex inurbanitate, ſed ex alijs officioſe, & vrbaniter ſe gerendi præceptionibus, atq; inſtitutis oriri, certiſsimum eſt. Nam quemadmodum nos Luſitanorum linguam ignorantes, barbaram eorum pronuntiandi ratione credimus, illiq; noſtrum ſimiliter idioma non callentes, nos rudes omnino, & imperitos rectè loquendi iudicant: ſic etiam diuerſis vrbanitatis rationibus alij ab alijs differẽtes, alij alios agreſtes, & incultos eſſe cenſemus. Quod verò attinet ad ea, quæ in templis minùs,

iuxta munditiæ normam facere videntur, non ita esse arbitraberis, si eorum sedendi rationem spectes: cùm enim in sellis sedeant, nostris illis tegetibus ex stramine constructis non vtuntur, sed solo tantùm lapidibus constrato: vnde fit, vt expuere, & excreare in solum nequaquàm apud eos indecorum videatur: præsertim cùm & in hoc cauti, & circunspecti esse soleant, & pituitam defluentem pleruńq; sudarijs excipiant. LEO. Sint illi quidem etiam vrbani suo modo, sed mihi multò magis probatur nostra sedendi ratio: cùm illi tibias, velut è sede suspensas habere cogantur, neq; tâ accómodatè corpus in sella cóquiescat. MICHAEL. O lepidũ dictũ, & hominis prorsus Iaponici! illud equidem certissimum est, Europeos longè aliud ferre iudicium, & vix tolerabile existimare, incuruatis, & cotractis cruribus sedere. Quod si ipsius naturæ ratio spectetur, profectò multò magis idonea Europeorum sedes videtur, maiestatem quandam prę se ferens, nec aliqua quietis parte vacans, cùm pedes solo, vel tabula in interiori sellæ parte sita fulciantur, & reliquæ corporis partes aptissimè quiescant: humi autem recumbere præterquà quòd abiectũ videatur, non parum laboriosum est, cùm corpus cruribus magna ex parte sustentetur: cuius rei vel ipsi Societatis patres testes esse possunt, qui nostram hanc recumbendi rationem non possunt non ægrè, ac molestè sustinere. LEO. Videmini prorsus Iaponicam naturam exuisse, Europeáq; suscepisse, cùm etiam ipsa sedendi ratio vobis tantopere placeat. Sed scire velim, qualiter se reliquæ gentes, & nationes gerant, quas vidistis, vtinde faciliùs iudicium ferre possimus? MICHAEL. Si nationum cæterarum vsus attendatur, nostra accumbendi ratio minùs probabitur: cùm enim præter Europeos, Sinas tantùm politioris elegantiæ homines viderimus, alias verò gentes admodùm impolitas, Sinas Europeorum more in sellis sedere, reliquas omnes incultas nationes humi recubare conspeximus, quanuis apud nostros pauimentum ornatiùs substerni, nosque politiùs humi sedere soleamus. Facilè tamen huiusmodi disceptatio tolli potest, si dicamus, vnamquanque nationem suo regno, regionique conuenientem consuetudinem inuenisse, & à multis annis introduxisse: nam nostra sedendi ratio nostro peculio, & copijs apta est, Europeorum verò modus ipsorum amplis reditibus, & facultatibus valde est accommodatus,

datus, quòd multò grauiores ſumptus requirat. Quapropter cuiuſque nationis mos etiã varius, varijs etiam de cauſis probari poteſt. LEO. Placet iſta concordia: ſed nũc de cultu corporum aliquid te dicere ſtudeo. MICHAEL. Ex parietum ornatu, corporum cultũ apud Europeos licet conijcere. Vt tamen aliqua de eo dicã, illud inprimis mirandum eſt, Europeos homines non vno, eodemq; veſtis genere ſemper vti, ſed ſingulis ferè annis varias excogitare, atq; inuenire veſtium rationes, quaſi vnius frequentem vſum faſtidientes. Quod cunq; autem veſtis genus illud ſit, ex laneo pãno tenuiſſimo, ac pretioſiſsimo, ex ſerico, gauſapino, & auro Phrygio opere intexto plerũque fit, ita vt maxima eorũ ſumma in his ornamentis conficiendis ex pẽdatur. Iam verò aliud eſt genus veſtis, quo Europei intra priuatos parietes, aliud, quo in publicis locis vtũtur: domi nãq; induũtur veſte talari, quã chlamydẽ appellãt, eãq, vel ex pãno laneo, vel ex ſerico, aut gauſapino cõficiunt, aurũ, argentũq; ad fimbrias affabrè attexentes. Præterea ſunt quædam genera veſtium hybernarũ, alia æſtiuarũ: hybernæ autem plerumq; conficiuntur ex pellibus variorum animalium præſertim quorumdam, quæ mures ponticos, vulgò Zebellinos vocant: hæ autem ita ſunt pretioſæ, vt nonnunquam duobus, tribus aut quatuor millibus aureorum coëmantur. Quod verò attinet ad fœminas, longum eſſet recenſere, quas faciãt expenſas in operibus aureis, & argenteis, alijsq; corporum ornamentis, quæ ſemper noua, & nondum vſitata ipſæ inſtar virorum inueniunt: adeò vt cum viris hac in re decertare videantur. Nec verò in dominis tantũ huiuſmodi veſtium magnificentia conſpicitur, verùm & in famulis, & pediſequis. Quò enim homines nobiliores ſunt, eò politiori, atq, elegantiori ſeruorum cultu gloriantur, ita vt nonnunquam vel dominis hac in re pares, vel etiã ornatiùs culti conſpici ſoleant. Deniq; ea eſt in geſtãdis veſtibus elegantia, eaq; pecuniarum profuſio, vt ſæpe neceſſe ſit, huiuſmodi immoderatos ſumptus legibus coërceri: vix tamẽ pœnæ vllæ, aut minæ Europeos homines ab hoc induendi apparatu cohibere poſſint: præſertim cùm oblatam quancumq; occaſionem, vel celebrium nuptiarum, vel feſtorum dierum auidiſsimè venari conſueſcant: in quibus temporibus nullo communi genere ornandi corpora contenti, veſtes varijs gemmis, vnionibus, alijſq; ſimilibus, aureis,

atque

atq; argenteis ornamentis componere ſolent, torques, & monilia precioſiſſima ad colla ſuſpendentes, annulos artificioſiſſimè fabricatos digitis geſtantes, quibus incluſæ margaritæ multis aureorum millibus ſæpe conſtant: vt interim omittam tibialia, femoralia, tunicas, thoraces, galeros, cæteraq; indumenta, quæ filo aureo, atq; argenteo intexta, & gemis, atq; vnionibus variata, egregiũ quẽdam ſplendorem, ac decorem præ ſe ferunt. Quibus in operibus ex auro, & argento confectis præter modum ſeſe effert fœminarum elegantia, cũ monilibus, armillis, cingulis, inauribus, aliiſq; multis precioſiſſimis operibus corpora decorare ſoleant: ad quæ gemmas, ſiue margaritas, de quibus dixi, adiungunt incredibilis propè pretij, inter quas nos ipſi non nullas nomine adamantes, berilloſq; conſpeximus, qui cùm eſſent exigua quadam magnitudine, quatuor tamen, vel ſex, imò decem, ac viginti aureorum millibus conſtare dicebantur. Vt autem huiuſmodi gemmarum pretium facilius intelligatis, vno tantùm exẽplo ero contentus. Cùm clariſſimus Allobrogũ dux, idemque Taurinenſis princeps minorem filiam Philippi Hiſpaniæ regis vxorem duceret, dum adhuc in Europa moraremur, ad ſponſam quinq; tantũ opera aurea gemmis ornata miſit, quæ quingẽtis aureorum millibus ſteterant: præter alia multa, quæ regi, regiſq; filijs, aliiſq; regni optimatibus dono dedit: ex quo munere cognoſcere poteſtis, quæ ſit Europearum diuitiarum opulentia. LINVS. Mira ſanè ſunt illa, quæ de gemmis, & margaritis, earumq, pretio narras, adeò vt mihi ſanè ſtultũ propemodum, ac temerarium videatur, tanti tam paruos lapillos emere. MICHAEL. Equidem ſi pretium illud margaritarum, & vnionum non eſſet ita per Europam, & magnam Aſiæ, atq; Africæ partem in more poſitum, alienũ prorſus à ratione eſſet, res tam exiguas tanto pretio comparari: verùm cũ hoc pretiũ, vt dixi, ſit iam in toto fere orbe vulgatiſſimũ, nemo eſt, qui de huiuſmodi gemmarũ æſtimatione dubitet. Accedit, quòd à natura ipſa huius rei ratio petita eſſe videtur: cùm gemmæ mirum quendam ſplendorem, ac nitorem præ ſe ferant: adeò, vt aliquæ longo admodum intervallo luceant, & multæ ex illis admirabilem vim ad morbos depellendos, vel ad alia humanæ vitæ remedia habeant: vnde ſequitur, vt non ſit mirũ, ſi ab Europeis, atq; alijs hominibus tãti fiant. Quo fit, vt ſi noſtra conſide-

rare velimus, multò admirabiliùs ſit opera noſtra ex luto, argilla, & ferro confecta, quales ſunt, cutellæ, tripodes, & illæ teſtæ, quibus vti mur ad aquam calidam noſtro more condiendam, & propinandam nomine chanoyu, à noſtris hominibus tanti fieri, vt ea, quæ vel propter vetuſtatem, vel propter cætera ſunt celebrata, duobus, quatuor, ſex, decem, & quindecim aureorum millibus emantur. Idem iu dicari poteſt de quibuſdam chartis, ſiue papyraceis tabellis, in quibus vnica arbor, vel auis, vel quidpiam ſimile ex ſolo atramento depictum eſt, quæ omnia quàm pretioſa ſint apud nos, Europei homines cõ ſiderantes, non poſſunt non in admirationem adduci, cùm nec materia, nec artificis manus, nec quicquam aliud ſit, ſiue interius, ſiue externũ, quod pretij magnitudinem æquare poſsit. Supereſt igitur, vt hæc omnia ad nationum varia iudicia, variaſq; ſententias referamus, quibus ſuum ſequi ſenſum, atq; arbitrium, ſuamq; conſuetudinem ſeruare, integrum, ac liberum eſt. Si tamen ſpectata rerum natura, & non nationum, ac gentium opinionibus, iudicium faciendum ſit: non eſt dubium, quin gemmæ magni fieri debeant propter ſplendorem illũ, ac fulgorem, deinde perdurandi diuturnitatem, præterea variam inſitam vim humanæ vitæ valde conducentẽ. deniq; tam multarum nationum communem conſenſum, quas falli, vix credibile eſt. At verò noſtra opera lutea, vel ferrea nullo in loco tanti æſtimari ſolẽt, præterquàm in noſtra Iaponia: vnius autem tantum gentis iudicium facilè credi poteſt decipi, plurium verò certum eſſe. LEO. Tametſi iſta ita ſe habeant: ſi mihi tamen detur optio, potiùs velim noſtra quæ cunq;, etiam figlina opera, quàm gemmas, aut vniones iſtius alterius orbis. MICHAEL. Rectè ais, ſi tantùm in Iaponia earum rerum permutatio, aut emptio, ſiue venditio exercenda eſſet: verùm cùm Luſitani huiuſmodi lapillos magnifaciant, ſi noſtra hæc regio eorum eſſet ferax, illis venditis facilè multa ex noſtris vaſcul scõparare liceret. LEO. Ignorant videlicet Luſitani horũ operũ pretium, & præſtanti. m, qua propter ſua cuiq; nationi relinquatur opinio: tu autem expone, an iſti lapilli in magno aliquo ſint numero? MICHAEL. Multi ſanè ſunt in Europa, ad quam celeberrimam mundi plagã ex Africa, atq; Aſia pretioſiſsimæ res comportantur, noſq; ex illis ſummi pretij opera confecta ſumus in Europa intuiti. Sed vt huic materiæ de veſtibus Euro

peis

peis finem imponamus, ex ijs, quæ à nobis allatæ ſunt, tam varij generis panni, ſerici, & coloris auro coniuncti facilè de reliquis coniecturam facere poteſtis. LINVS. Equidem quod ad veſtras veſtes attinet, omnes earum varietatem, pretium, artificium ſumus demirati, nec aliter fieri poterat, vt Europeæ veſtis rationem, magnificentiamq; pernoſceremus, niſi his velut ſignis ad nos perlatis. MICHAEL. Quid cùm de equorum ornamentis, equitandique ratione audieritis? quam materiam, quoniam nobis Iaponenſibus iucundiſſima eſt, in ſequẽtem diem reſeruo, de famulatu, miniſtrandiq; modo in Europa vſurpato etiam dicturus: ſi tamen priùs nox hæc interpoſita finẽ huic colloquio faciat, & tempus aliquod quieti impertire liceat. LEO. Placet.

De famulorum multitudine, & apparatu, quo Europei principes vtuntur domi, foriſque. Colloquium decimum.

LEO.



Deò heſterno ſermone de Europeo cultu, atq; habitu oblectati ſumus, vt ad hodiernum colloquium de famulari apparatu habendum ardenti ſtudio accedamus. MICHAEL. Scio, quàm grauem, difficilemq; prouinciam ſuſceperim explicandi vobis minutiſſima quæq; de Europeis rebus, ſed ſuſceptum ſemel onus non exiſtimo recuſandum: ideoq; vt vlterius progrediar, illud inprimis animaduertendum eſt, Europeum famulatum fixum eſſe, ac ſtabilem, famulis, & adminiſtris certo munere fungentibus, nec facilè locum, ac velut ſtationem ſuam mutantibus, vt in noſtra Iaponia vſu venire ſolet. Qui enim noſtris Vacattis, aut alijs principibus miniſtrant, nec in eodem ſemper loco ſunt, nec principum annona aluntur, nec de-

niq;

nio; firmum habent miniſtrandi munus: ſed omnes in gyrum quodã-modo voluti nũc ij, nunc illi miniſtrãdi negotiũ ſuſtinent, alijq; alijs cõtinenter ſuccedunt. Inter Europeos verò longe alia eſt conſuetudo: non enim quicunq, in finibus, aut ditione alicuius dynaſtæ ſunt, famulatũ illi præſtãdi lege aliqua tenentur, ſed tantũ ſolitos cenſus perſoluẽdi. Vnde fit, vt ipſi optimates in palatijs ipſis, vel finitimis locis famulos ad ſeruiendum deſtinatos, vel mercede conductos, vel ipſe maioris alicuius beneficij obligatos ſemper habeant. Quæ ex re duo commodi ſequuntur, prius eſt, domum principis, aut dynaſtæ nũquã eſſe aulicis viris vacuam, ſed refertam, omneſq; ad ſuum obeundũ munus ſemper eſſe paratos. Alterum verò eſt, inter dominos, famulosq; mutuum eſſe quendam, atq; incredibilem amorem: cum enim famuli pleriq; ab ineunte ætate intra dominorum priuatos parietes educentur, non poſſunt non à dominis, vt à parentibus diligi, eosq; rurſus, vt parentes redamare: quapropter ipſis cum ſummo amore, beneuolentiaq; obſequuntur, & ab eiſdem non parium laboris ſui pretium recipiunt. Vnde colligere poteſtis, quanta ſit eorum in miniſtrando diligentia, quæ in aſſiſtendo aſſiduitas, quæ ve in ſingulis rebus exercitatio. Nec verò exiſtimandum eſt, huiuſmodi famulos obſcuro, & abiecto loco natos eſſe, ſed iuxta dominorũ varietatem, ſic etiam famulantium miniſtrorum eſſe gradus, principeſq; viros, & ſupremos magnates non niſi homines nobiles in ſuo famulatu habere. Præter hos autem ſatellitum, & ſtipatorum cuſtodia ſemper adeſt, qua omnitati cum ſummo ornatu in publicum prodeunt. LINVS. Timẽt fortaſſe alicuius æmuli proditionem, ob quam cuſtodia iſta ſibi adhibita imminenti periculo proſpiciunt? MICHAEL. Neutiquã iſta de cauſa id faciunt: imò verò ſine vlla proditionis ſuſpicione viuunt: ſed antiquam conſuetudinem iam à multis annis introductam obſeruãt, nec ſolùm reges id faciunt, ſed proreges, & arcium duces, ſiue ſupremi nauarchi. Hi enim omnes ſatellitũ cuſtodia cauſa ornatus, ac maieſtatis oſtendendæ ſemper vtuntur: qua in re, atq; alijs ad famulatum attinentibus vix poſſum vobis Europeorum hominum pompam, ac faſtum explicare. LEO. valde mihi iſte miniſtrorũ ordo probatur: ſed ſcire cupio, an etiam ſua celebrent conuiuia, & quo ritu illis vtantur? MICHAEL. Quorſum ſermonem de conuiuijs inferis? cũ ma-

teria

teria iſta integrum ſibi colloquium iure poſtulet. Si enim de dapibus, ac ferculis agimus, ſunt omnia opipara, lauta, atq; exquiſita, varijſq: condimẽtis confecta, tanta præterea multitudine, vt principes viri aſsiduè cõuiuia inire videantur: quæ plerunq; etiam priuata adeò ſunt magnifica, & pretioſa, vt quadringentis, quingentis, & eò plurib⁹ aureis conſtent: vt alia publica, & ſolenniùs inita omittam, præſertim quæ nuptiarum tempore, vel alio ſimili celebrantur, quorum ſumpt⁹ difficilè æſtimari poſſunt. Solent autem principes alios ſibi æquales ad huiuſmodi conuiuia inuitare: nam reges ipſi, & qui parem in eodem loco, ac iuriſdictione non habent, ſoli, cæteris aſtantibus, accumbere conſueſcunt. Quod verò attinet ad abacorum ornatum, mirum eſt, quibus vaſis, toreumatiſq; ſint referti, his adde lances, ſcutellas, ſcyphos, pocula, & alia propemodùm infinita vaſcula ad mẽſæ vſum, quæ omnia ex auro, vel argento miro opere cælata, conficiuntur: imò & peluim, qua hæc ablui ſolent, ex argento conflatã aliquando vidimus. Illud tamen inter cuiuſq; ordinis nobiles commune eſt, vt ſaltem guttos, pollubraq;, ad abluẽdas man⁹ ſimul cũ cochlearib⁹, fuſcinulis, ſalinis, lychnuchis, ſimilibuſq; alijs inſtrumentis ex argento factis habeant: deniq; tanta eſt auri, argentiq; copia in Europa, vt meritò admirationem nobis mouerit tum abundantia, tum etiam in conſumẽdo magnificentia, & velut profuſio. LEO. Nos etiam tua narratio in admirationem traducit, cùm Luſitanos huc mercaturæ cauſa venientes, in victu, & miniſtrandi vſu, longè aliter ſe habere videamus: nec enim in ſuis menſis munditiæ normam ſeruare videntur, nullum ciborum delectum habentes, ſed paſsim bubula, ſuilla, alijſq; ſimilibus carnibus, à quibus nos abhorremus, veſcentes, eaſdemq, nõ paxillis, ſed proprijs manibus fœdè contrectantes, aliaq; huius generis præſtantes, quæ noſtra refugit natura, & conſuetudo. Præterea videmus, ipſis ad menſam miniſtrantes quoſdam Æthiopes, vel alios nigro colore homines, qui ab omni humanitatis cultu videtur alieni: tu autem Europæ ſummam munditiam, ſummumq; ornatum ita verbis extollis, vt nihil ſuprà. MICHAEL. Non eſt mirum, ſi eam opinionẽ mente conceptam habeant noſtri Iaponenſes, qui nondum è Iaponia ſunt egreſsi: nec deſunt cauſæ, quibus non immeritò in iſtam ſententiam impellantur. Cùm enim ſolos eos nouerint, qui huc vſq; aduenian

unt, ex ipsis de cæteris iudicium faciunt, omnes eadem regula metiuntur, quod tamen à vero multum aberrat. Nam homines hi, qui in Laponiam veniunt, præter nauarchos, & paucos mercatores, vt plurimũ mercatorũ sunt actores, qui cùm nõ ita politiori cultui sint assuefacti, facilè in aliquas inurbanitatis culpas, & errores incidunt. Accedit, quòd hi nauibꝰ huc ad nos vecti, non possunt ea secum tam commodè exportare, quæ in proprijs domicilijs vsurpare solent, & potiùs necessitati, quàm patriæ consuetudini, & vrbanitati seruiunt. Quæ cùm ita sint, adhuc mirandum est, huiusmodi homines tam magnificè se in sumptibus faciendis gerere: ita vt argentum nihili facere videãtur, quos in proprijs domicilijs lautiùs, & vrbaniùs se habere, non dubium est. Quod verò attinet ad cibos, quibus vescuntur, quorum saporem, odoremq; nos auersamur, pari ratione Lusitani nostrorum ciborum modum admirantur. Nihil ergo hac in re vitio verti potest, sed totum vsui, & consuetudini tribuendum. Si tamen à consuetudine oculos auertamus, & in ipsam naturam eos conijciamus, profectò mihi persuadeo, Europeos cibos multò ad naturam sustentandam esse aptiores, & ad gulæ satis faciendum delicatiores: cũ modò ex varijs carnibus altilium, ferarum, auium aucupio captarum, modò ex piscibus diligenter conquisitis, ijsq; omnibus mirificè conditis, conficiantur adhibita bellariorum admirabili varietate. Sed, vt vno verbo totam ciborum rationem complectar, in animum prorsus induco, Laponicos cibos esse exiguo, ac macro solo nostro accommodatos, Europeos verò fertili, atq; fœcundæ terræ idoneos, atq; ita totam de cibis controuersiam dirimi. LEO. Non diffitebor, nostros cibos minùs esse pretiosos, sapore autem inferiores esse, omnino inficior. MICHAEL. Cùm pretium illorum maius fatearis, de sapore nulla ferè relinquitur dubitatio: cùm tota eius ratio ex vsu, & consuetudine pendeat, quæ cõmuni prouerbio est altera natura. Quod autẽ pertinet ad id, quod superiùs dixisti, Lusitanos carnes, & reliquas dapes manibus contrectare, illud etiam obseruauimus, in Europa non ita inter politiores solitum fieri: sed fuscinulis, & cochlearibus argenteis ferc ula solere capi, præterquã quod Lusitani, si interdũ carnes manu cõtingant, venia digni sint, quòd toralibus, mappisq; vtantur, & accumbentes, assurgentesq; manus abluant, & mantilibus extergant, nec vllũ mali odo-

ris

ris veſtigium reliquum eſſe patiantur. Quod verò carnes manibus cõtrectent, è militari vita, quæ in India cõmunis eſt, ſumptum videtur, in qua non tam vrbanitati, quàm celeritati, ac neceſsitati conſulitur. Deniq; vt aliquid de famulis dicam, hi, qui ad nos adducuntur, ſerui ſunt pretio, vel alio iure ex India, vel alijs regnis extra Europam comparati: illi verò, quibus in Europa vtuntur, liberi ſunt, & ingenuè, atq; vrbaniter educati. Qua propter æquum eſt, vt Luſitanos vrbanitati deditiſsimos eſſe, poſt hac cenſeatis. LEO. Curabimus, vt opinionem hactenus de ipſis conceptam deponamus, aliamq; lõge meliorem in animos inducamus. Sed quoniam de famulatu dixiſti, de equitandi ratione aliquid dicas, vehementer ſtudeo. MICHAEL. Quod ad equos attinet, vix dici poteſt, quæ ſit, quãq; elegans equorum forma, quanta in currendo agilitas, & in ſingulis motibus corporis prompta ad obtemperandum fræno, & calcaribus natura. Accedit etiam vſus, & doctrina, qua exculti equite vna tantùm manu frænum moderante, mirum eſt, quàm facilè gubernentur, & in gyrũ veluti flectantur. Nec per hyperbolẽ id à me dictum putetis: nos enim ipſi vidimus equos circulo concluſos, iuſſoſq; circumuolui, eos conficientes gyros, eaſq; circuitiones, vt ne latum quidem vnguem, metam ſibi præfixam transgrederetur, quod niſi oculis vidiſſemus, creditu difficillimum nobis fuiſſet. Nec verò ſolùm currere, & in orbem volui ſolent, ſed ſuccuſſare interdum, nonnunquam ſalire, & alijs varijs motibus vti, qui quantopere ad omne equitis imperium condoceſiant, manifeſtè oſtendunt. Quid de equorum phaleris, & ornamentis dicam? cùm tam antilenæ eorum, quàm poſtilenæ, cingulæ, ephippia, & reliqua omnia corporum ornamenta ſerico, atq; auro abundent, nec minùs quàm ipſorum dominorum corpora decorentur. Qua in re non parùm admirabile extitit equeſtre ornamẽtũ, quod Sebaſtianus clariſsimus Luſitaniæ rex confici iuſſit, & quingentis millibus aureorum ſtetit. LEO. Equidem cùm cætera omnia à te dicta, tũ præſertim quæ ad equos pertinent, nos admiratione afficiunt, & nõ audire tantùm, ſed vidiſſe oculis iuuaret. Cùm enim nos tantopere ar tem equitandi profiteamur, nunquàm hactenus noſtros equos vna manu moderandi rationem aſſequi potuimus, quam tamen communem eſſe affirmas. Vnde colligo, etiam in Europa exequo pugnam

iniri poſſe cum hoſte. MICHAEL. Rectè colligis: in prælijs nanq; magna ratio habetur equitum, qui quidem mira expeditione in pugnãdo, & equitando vtuntur. Videre nanq; eſt equitem equo velociſsimo expeditum altera manu vel gladium, vel haſtam geſtantem, altera verò parmam, eademq; habenas moderantẽ tam celeriter, & expeditè, vt ad nutum ſeſſoris equus currat, aſsiliat, conſiſtat, recurrat, alioſq; neceſſarios motus oſtendat, adeò, vt nihil homini equeſtri, ac militari arti dedito iucundius exiſtimem, quàm equites Europeos equitantes, & ludicra pugna ſe exercentes conſpicere. LEO. Idem prorſus cenſeo. Quid enim equiti iucundius, quàm videre, & habere veloces equos ad curſum expeditos, fræno bene parentes, reliquaq;, ad equitandi rationem neceſſaria præſtantes? ſed hæc, vt dixi, oculis videri debuiſſent. MICHAEL. Negari non poteſt, iſtam præſentiam, quam optas, magna ex parte ſuppletam eſſe aſpectu duorum equorum, quos nos ipſi, vt pater Viſitator afferret, multis precibus impetrauimus: & quanuis multis fieri non poſſe viſum fuerit, vt in tam remotas terras naui veherentur propter multas, ac varias difficultates, quæ ſe ſe offerebant: eas tamẽ omnes vicit patris Viſitatoris propenſa admodum in Iaponiam noſtram, noſque omnes voluntas: qui quidem equi etſi non ſunt Europei, ſed Arabici, nequaquàm cũ Europeis conferendi, in multis tamen rebus tam ipſi, quàm eorum ornamenta optimè compoſita oſtendere poſſunt aliqua exparte, quæ de Europeis equis, & eorũ apparatu ſuperiùs dixi. LINVS. Fateor, id ita eſſe: niſi enim iſtos ex India allatos equos vidiſſemus, vix concipere poſſemus Europeorũ equorum robur, & in currendo, ac in pugnando ſingularem exercitationem. Sed duo mihi occurrunt roganda: vnũ eſt, quæ ſit cauſa, quare ornamenta iſtorum equorum ſint tam varia? alterum eſt, quomodo eorum pedibus ſoleæ ferreæ ſubſternantur, quæ clauis affixis ita muniuntur, vt tamen equorũ ſaluti, pedũq; celeritati non officiant? MICHAEL. Quod attinet ad ornamentorũ varietatẽ, ea ex equitandi etiam diuerſo genere originem habet. Solẽt enim Europei duplici ſpecie equitãdi vti: altera ſtapedũm, vt vocant, loris cõtractis, & ad currendũ expeditis: altera verò, loris productis, & ad deambulandum accõmodatis: vnicuiq; autem modo ſiue currendi ſiue deambulãdi ephippia, & reliqua equorũ ornamẽta aptant: cũ nos

ſemper

ſemper eodem genere vtamur. Non eſt igitur mirum, ſi in Europa alius ſit ornandi equos modus ab eo, quem apud noſtros obſeruari videmus. Quod verò miratus es, ſoleas ferreas, id etiam ex deſuetudine, & inſolentia prouenit: in Europa nanq, vt equi fortiùs veſtigium imprimant, & diutiùs in frequenti curſu ſoleæ perdurare poſſint, ex ferro fabrefactæ eorum pedibus affigi ſolent. Nec verò id pedibus nocet: nam clauiculi illi, quibus huiuſmodi ſoleæ figuntur, nequaquã carnem lædunt, ſed cartilaginem tantùm eam occupant, quæ ſine ſenſu eſt: atq; ita ſine dolore, aut ſanguine huiuſmodi quodammodo calcei eis induuntur, quò meliùs diſcurrere huc, atq; illuc etiam per montes, & ſyluas poſſint. Accedit mira Europeorum artificum ſolertia in hoc munere præſtando, quod nos ignorantes, non niſi ſoleis ex palea confectis, equorum pedes munire poſſumus: poſſunt autem Europei, qui alij aliorum mores optimè callent, & alij aliorum artes & inuenta iucundiſsimè perdiſcunt: nec hos ab illis vicißim aliquid accipere vlla ratione pudet: quod tamen malũ in noſtra natione maximè dominatur, quæ vltra id, quod ipſamet inuenit, aliquid ab alijs gẽtibus mutuò accipere quodãmodo verecũdatur. LEO. Egregiè táquã domeſticus, & indigena vitium gentis noſtræ attigiſti. Sed explica, quomodo matronæ nobiles iter faciant: nec enim viam longam pedibus eas ingredi credibile eſt. MICHAEL. Rectè dicis: Europei náq; homines quanuis totius adminiſtrandæ familiæ dominatum teneant, tamen vxores ſuas magnifaciunt, & earum ornatum, atq; apparatũ diligenter procurãt: nõ ergo iter pedibus extra domũ nobiles fœminæ conficiunt: ſed vel ſellis aptiſsimis, vel lecticis vehuntur, nonnũ quam etiam equis, ſiue mulabus, puluinis dorſo iumentorũ ſubſtratis: pleruną; tamen lecticis curulibus vti ſolent. Sunt autem lecticæ curules veluti quædam ligneæ domũculæ, tecto quaſi fornice coopertæ, in quas incluſæ nobiles fœminæ ſiue iacentes, ſiue puluinaribus ſedẽtes vehuntur. Huiuſmodi autem lecticæ bigis, & quadrigis portari ſolent: nonnunquam enim duo equi adhibentur ad currum, interdum quatuor, vt ex hac forma, quam vobis propono, colligere poteſtis. Nec verò ſolũ illuſtres matronæ, ſed etiam viri nobiles, grauesq; interdum ſacerdotes, & pontifices curru, ac lecticis vtũtur. LEO. Ex iſta ſanè forma colligere licet, quàm accõmodatæ ſint iſtæ lecticæ, in quib⁹ optimè

optimè ſiue ſedens, ſiue iacens, vel accubãs, quicunq; vir, aut fœmina nobilis cum ſex, vel octo ſocijs iter facere poteſt: ſed dubiũ eſt, quo modo quatuor ſimul equi gubernari, & dirigi poſsint? MICHAEL. Illud ſanè facillimũ eſt, cùm Europei equi admodũ dociles ſint, & optimè ad iter faciendum inſtructi, qui poſtquàm aſſueti ſunt huiuſmodi lecticis curulibus iter, vel currentes, vel deambulantes, vel pedetentim conficiunt. Adde etiam aurigarum artem, & ſcientiam, qui in temone ſedentes, altera manu habenas, altera flagellum geſtant, & egregiè equos moderãtur. Equi autem duo, ſiue quatuor deligi ſolẽt pulchri, colore, & magnitudine ſimiles, adeò vt vix vnum ab altero diſcernas, ſtragulis alterius rationis, ab alijs equis decorati: lecticæ autem ipſæ tapetibus, & aulæis ſericis, auro intextis, & gauſapinis operiuntur, interiuſq; ornãtur, ita vt in ſplendida, & bene compoſita domo nihil aliud requiras. LINVS. Iſtarum lecticarũ curulium eſt ne in Europa magnus numerus? MICHAEL. Magnus profectò, & admirabilis: ſunt enim in Europa equi propè infiniti, ijq; pulcherrimi, præſertim Hiſpani, Neapolitani & Mãtuani, qui præter cæteros forma, & velocitate ſunt nobilitati: patritij autem viri, & matronæ ſunt ſine numero, redituſq; eorum ad huiuſmodi ſumptus faciendos ampliſsimi: vnde patet, quis ſit lecticarum curulium numerus, quẽ Romæ tãtùm tria ferè millia cõtinere audiuimus Atq; hic eſt, frequens faciẽdi itineris mod⁹ ab Europeis nobilib⁹ obſeruari ſolitus. Et quoniã plura reſtant dicenda de ijſdẽ Europeis moribus, noſq; diu in hoc colloquio morati ſumus, in craſtinum diem, quæ ſequuntur, reijciamus. LEO. Aſſentior, & ſi quoties ſermonem præcidis, toties voluptatis, qua afficimur, curſum ſuauiſsimũ intermittis.

✠

✠ ✠ ✠

✠

De iucundis, atque honeſtis exercitationibus, quibus Europei nobiles vtuntur, deq; ingenua filiorum educatione. Colloquium vndecimum.

LINVS.

DIxiſti ſuperiore nocte de famulatu Europeorum patritiorum, ac nobilium: ſequitur, vt etiam de eorum exercitationibus agas: nec enim tam prudentes viros tempus fruſtra conterere credendum eſt. MICHAEL. Ita ſanè cum prudentia eorum conſonat, & ſic ſe gerunt Europei optimates, vt tempus ſine aliqua honeſta exercitatione præterire non patiantur. Exercitationum autem harum varia ſunt genera, de quorum præcipuis hodierno die vobiſcum agam. Atq; inprimis Europei, vt inde exordiar, egregiè filios ſuos educant, pædagogis, & præceptoribus eos tradentes: vt in omni honeſta diſciplina inſtituantur. Curant autem præcipuè tum perſe ipſos, tum etiã per huiuſmodi pędagogos, vt Chriſtiana pietate excolantur, Dei timorem, & mandatorum ipſius obſeruantiam in animis imprimentes: quo primo colore tincti, vlteriusin omni politica vrbanitate, & diſciplina exercentur: ſolent etiam non nullas bonas artes ad cuiuſq; ſtatum accómodatas perdiſcere. Cómunes autem omnibus ſunt legere, ſcribere, linguam latinam aliqua ex parte callere: quo fundamento iacto, qui vel ſacris ſunt initiandi, vel magiſtratuũ perſonam ſuſcepturi, plures alias artes diu, diligenterq; diſcunt. Sed agã de nobilium exercitationibus, qui profanã, & equeſtri, ac ſenatorio ordini conuenientem vitam profitentur. Prima igitur eſt armorum, quorum varijs generibus vti cum ſumma velocitate, & dexteritate conſueſcunt: tum vtinde oblectationem, & aliorum laborum leuamentum capiant: tũ etiam vt ad prælia, pugnaſq; ineundas aptiores, agilioresq; euadant.

Deinde

Deinde ſequitur equitandi vſus, quem ſtudioſiſsimè tenent, ad omnē curredi, & incedendi rationē equos aſſuefacientes, quod ita & militiæ, & paci conducere arbitrentur. Præterea ſolent diuerſa muſica inſtrumenta pulſandi artem diſcere, cui etiam ſuauiſsimū vocū concentū adiungunt, imò & ſaltandi, ac tripudiandi iucundiſsimam exercitationem: quibus omnibus non poſtponunt venatum, aucupium, & alia ſimilia ruſticana oblectamenta, cùm illis etiam admodum dediti ſint. LEO. Iucūdū erit Lino noſtro, mihiq́; ſi iſtas exercitationes, quarū ſummam collegiſti, ſigillatim perſequaris, & earum rationem planiùs explices: vt quas vidiſſe non licuit, audiendo ſaltem cognoſcamus, & iucūdæ narrationis voluptate afficiamur. MICHAEL. Placet vobis mo rem gerere, & ea, quæ vidimus tum memoria repetere, tum oratione referre: quod mihi ipſi dicenti non iniucundum fore ſpero. Vt autem belli gerendi, prælijq́; committendi rationem in aliud tempus reijciam, taceamq́; armorum intra priuatos parietes ludum, qui multiplex eſt, videlicet adhibito gladio, & pugione, gladio, & parma, gladio item ancipiti, nonnunquam ſumpta ſolùm bipenni, vel haſta, alijſq́; ſimilibus modis: egrediar extra domeſticam, & vmbratilē exercitationem in campum, & pulueream, & publicas concertationes, quæ quantuis ſint ludicræ, in illis tamen magnam operam, induſtriamq́; Europæi homines collocant: nec tamen omnia perſequar, quæ ad hanc materiam pertinēt, quòd longiſsimam narrationem requirant, ſed tantū præcipua capita perſtringam. LEO. Quantùuis longa ſit de hac re narratio, nullum tamen faſtidium parituram, præſtare non dubito. MICHAEL. Quod ad hæc publica, & ludicra certamina attinet, ea pleruq́; equeſtria ſunt: quòd Europei equi propter velocitatem, & agilitatē ſummā ad ea ſint accōmodatiſsimi. Præcipua autē certamina, & valde celebrata illa ſunt, quæ vulgò torneamēta appellātur, in quib⁹ cataphracti equites haſtas altera manu geſtantes, altera clypeos, in cāpū deſcēdūt, mutuò ſinguli in ſingulos incurſionē faciunt, demūq; haſtis, quas eodē impetu confringunt, grauiter ſe impetūt. Quòq; aliquis illuſtriori ictu alterum percutit, vtpote ſi aduerſam frontem attingat, eò clarius nomen reportat. LEO. Iſta ſanè certamina, potiùs mortis certiſsimæ inſtrumenta, quàm vitæ oblectamenta dici poſſunt. Duplici enim ex capite periculum oriri video: alterū eſt, quòd equi

ſint

ſint robuſtiſsimi, & mutuò in ſe equites ipſi incurrentes, facilè non ſolùm ſe lædere, ſed omnino dilacerare poſſunt: alterum verò eſt, quòd ictus illi haſtarum ſint ſæpe futuri mortiferi, ac læthales. MICHAEL. Nullus eſt grauis,& vtilis ludus ſine aliquo diſcrimine: ſed iſtis duobus periculis, quæ attigiſti, remedium opportunũ adhibetur. Primũ quidẽ,quòd in cataclromo inter ipſos equos hinc,& inde currẽtes quædam repagula, quæ telæ vulgò appellantur, interjici ſolent: quo fit,vt corpora equorum ſe non contingant. Deinde ſi fortè ſine repagulis pugna ineatur, ita dexteritati equorum fiditur, vt equis ſe non cõtingentibus, equites tamen mutuò appropinquantes ſe percutiant. Deniq; quamuis ipſorum equorum corpora viciſsim collidantur,in conflictu totum eſt equorum, non equitum periculum. Vitatur autem ictuum diſcrimen duplici ratione, tum quòd arma, quibus ſe equites tegunt,ita ſint valida,& firma, vt non ſolùm haſtæ,ſed ſclopi ictum,ſiue glandem ſclopo iactam ſuſtinere,ac repellere poſſint: tũ etiá,quòd haſtilia obtuſo ferro præfixa,quib⁹ tũc vtũtur,eius ſint materiæ,vt facilè confringi queant. Qualia autem ſint Europea arma,ex ijs,quæ à nobis ſunt allata,conijcere poteſtis. LINVS. Vidimus illa quidem, & pulchritudinem, ac nitorem cum tanta firmitate,ac duritia ſumus admirati: ſed ſimul etiam iudicauimus, ita grauia eſſe, vt corpore humano geſtari nequaquàm poſſint. MICHAEL. Ita olim accidiſſe Dauidi adhuc adoleſcenti ſacris literis proditum eſt, cùm ei giganteꝫ Goliath nomine aggreſſuro,à Saule rege regia arma aptarẽtur: non poſſum, inquit,ſic incedere, quia non vſum habeo: Saul autem,qui illis armis aſſuefactus erat, onus illud tolerabile reputabat: & Dauid ipſe progreſſu temporis ſimilia alia arma geſtare ſolitus,idẽ omnino ſibi perſuaſit. Non aliter vobis,alijſq; noſtris hominibus præ deſuetudine arma Europea Æthna, vt aiunt,grauiora videri poſſunt: Europæis autem & geſtare ſolitis, & robore præſtantibus non ita accidit. LEO. Si impedimentum oneris tollatur,non dubito, quin cataphracti equites nullos pares in pugna reperire poſsint. MICHAEL. Nullos niſi alios cataphractos, quorum magna eſt apud omnes Europeos copia. Sed vt ad ludicra certamina redeam: aliquando ita fiunt, vt equites mutuò concurrentes eductis è vagina enſibus inter ſe mira arte digladientur. Qua in re aſpectui iucundiſsimũ eſt videre, quo

modò ſe impetant, hic adoriatur, ille refugiat, aut corpus declinet, rurſus in aduerſarium feratur, ille ictum parma tectus vitet, rurſuſq; æmulum petat, & ita variæ fiant flexiones, & circuitiones, equis ſemper ad nutum parentibus. Idem interdum fit parma, vel clypeo, & haſta alterius modi ab ea, qua ſe congredientes percutiunt. Nonnunquàm etiam arundinibus, vel malis medicis, vel pilis ex luto confectis certamen committitur, in quo ſimiliter aggreſſiones, effugia, corporum declinationes, regreſſus, alijq; ſimiles motus miram iucunditatem pariunt. Solent item huiuſmodi equites de collineandis ad aliquem ſcopum haſtis, & confringendis decertare, qua in re ita ſunt agiles, & ſtrenui, vt ſæpe initio curſus cuſpide haſtam teneant, mox in aërem proijciant, rurſuſq; haſtile apprehendant, & ad deſignatum locum collineatam haſtam confringant. Solet etiam armilla tranſuerſo funi ſuſpenſa contendere, de haſta per eam tranſmittenda, quæ tandem arundini infixa, & inſerta eſt, vt quoties haſta tranſmittitur, cuſpis de traiecta armilla facilè cedat, ac deferatur, & ita equitis curſum non impediat. Deniq; interdū ex alto loco anſer, vel ſimilis aliqua auis ſuſpenditur, & inter equites decertatur, quiſnam eorum in medio curſu propiùs à corpore caput poſſit auellere, & obtinere. Qua in re euenire aliquando ſolet, vt eques anſeris guttur frangere nequaquā valens, manu ipſe ſua ſuſpenſus, & ex equo tranſcurrente deſiliens, ſpectatoribus riſum moueat. Hæ ſunt, & aliæ ſimiles exercitationes, quibus Europei ad ſe rei equeſtri aſſuefaciendos, equoſque ad pugnam exercendos operam nauant: ex quibus non ſolùm vtilitas, ſed etiā voluptas maxima percipitur. LINVS. Equidē ita iucunda iſta certamina arbitror, vt ad illa tantùm ſpectanda, veſtræ nauigationis laborem, rectè ſuſceptum eſſe iudicem: imò verò ego ipſe te loquentem audiens, toto animo cōmoueor, illa videre geſtiens, & ad iſta ſpectacula intuenda hinc auolare cupiēs. ſed agè explica, quænam præmia victoribus deferantur, & quorum arbitrio contentio tota dirimatur? MICHAEL. Præmia quidem varia, & multiplicia à principibus, vel dynaſtis certamina inſtituentibus proponūtur. ſunt autem plerunq;, opera aurea, vel argentea gemmis diſtincta, vel ſerica, aut gauſapina, vel alia pretioſa: iudices verò, vel arbitri ſunt alij nobiles equites, in iſdem certaminibus exercitatiſſimi, qui in ſublimi aliquo thea-

tro conſtituti, pugnam totam attentè conſpiciunt, ictus mutuò infli ctos notant, errores, vel leuiſsimos, ſi fortè committatur, diligéter animad uertunt: denic; rebus omnibus examinatis, victores renuntiant, & præmia cum ſummo omnium ſpectantium applauſu illis attribuunt. Vt autem huiuſmodi ſolennia certamina maiori celebritate, & veſtium ornatu fiant, præter illa præmia, quæ victoribus proponuntur, ſolet etiam & alia duo iudici, alterum quidem ei, qui omnium pretioſiſsima veſte, alterum ei, qui elegantiſsima indutus in publicum prodierit. Quo fit, vt interdum vnus, idemq; eques tria præmia ferat: primum victoris, ſecundum pretioſiſsimè induti, tertium elegantiſsimè exornati: atq; ita vndiq; præmijs, & laudibus decoratus omnium in ſe oculos conuertat. Cùm autem ad huiuſmodi certamina tanta ſit hominum frequentia, taliſq; ſpectantium concurſus, facilè colligere licet, quinam ſumptus fiant, & quæ pecuniæ copia in his ludis celebrandis expendatur. De qua re, quoniam prolixius dicendi non eſt locus, quinam horum ludorum ſit apparatus, ex librorum varia lectione cognoſci poteſt, præſertim ex hiſtoria de vita Ioānis ſecundi clariſſimi Luſitaniæ regis cõſcripta, in qua de certaminibus, ac ludis in nuptijs Alfonſi principis filij eius, & Eliſabethæ Ferdinandi Caſtellæ regis filiæ apparatiſsimè celebratis, luculenter agitur. Ne autem vos tantùm ad hiſtorias libris traditas remittam, ſcitote, nobis ipſis in Europa commorãtibus, celeberrimè fuiſſe inita huiuſmodi certamina in nuptijs illuſtriſsimi Allobrogum ducis, & ſecundæ Philippi Hiſpaniæ regis filiæ, quæ omnium iudicio, cum quibuſcunq; alijs magnificentiſsimis cõferri poterant. Vt tamẽ meliùs huiuſmodi apparatus, & variarum veſtium, quæ in Europa geſtari ſolent, elegantiam, & ornatũ noſtri Iaponẽſes cognoſcerent, librum quendam egregium ex Europa detulimus, in quo eximiæ imagines inſignium principum, præſertim ex vetuſtiſsima, & nobiliſsima Philippi Hiſpaniæ regis familia, ſunt excuſæ. LEO. Equidem prætentis diebus librũ iſtũ cum ſumma admiratione volutauimus: nec verò imagines illæ typis mandatæ, ſed viuæ, & ſpirantes videbantur: ſed vlterius reliquas exercitationes equeſtres Europeorum hominum proſequere. MICHAEL. Illas omnes perſequi, diuturnum opus eſt: ſed illud adijciam, miram eſſe operam, quam Europei in equeſtri exercitatione ponunt. Certũ enim

eſt comitum, marchionum, & ducum equilia quadraginta, quinquaginta, imò & ſexaginta, vel octoginta equos continere: regum verò, & principum ſtabula multò plures, in quibus exercendis magna pars temporis inſumitur. Solent nanq; plerunq; nobiles matutino tempore, ad exercendos equos in campum prodire, eoſq; curſus defatigatione, frænorumq; varia moderatione, ad pugnam ineundã aſſuefacere: veſpertino verò tempore per medias plateas vrbium, vel ampliſſima pomœria, & areas, quæ ante muros, vel magnificas domos ſunt, eiſdem equis vecti deambulant, omnibuſq; ſpectantibus egregiam ſui ſpeciem præbent, atq; ita equeſtrem exercitationem nunquàm intermittunt. LINVS. Digna ſunt ſanè iſta à te commemorata, quæ quiuis honeſtarũ rerũ ſtudioſus, oculis intueri vehemẽter cupiat: quòd mirum quendã apparatum, Europeorumq; hominum maieſtatem præ ſeferant. Sed agè explica, num etiam venatione, & aucupio ſe exerceant? MICHAEL. Quòd ad venationem, & aucupium attinet, credo equidem Europeos homines facilè reliquis omnibus gẽtibus antecellere: has enim duas res, quaſi quaſdam ingenuas artes diligenter profitentur: in quibus exercendis, iuxta prouinciarum varietatem, magna etiam eſt varietas: commune tamen eſt omnium illarũ prouinciarum gentibus, omnes aues, quæ ad accipitrũ, haliætorũq; genus pertinẽt, & ad aucupandum ſunt aptæ, diligenter conquirere, magno pretio emere, ſtudioſiſsimèq; alere. Sunt nãq; in Europa multæ aues, quæ aucupio capi poſſunt, quales ſunt ciconiæ, grues, ardeæ, aliæq; vel miræ pulchritudinis, vel iucundi, & multiplicis ſaporis. Cauſa autem venationis ſolent etiam Europei canes venaticos cuiuſcũq; generis conquirere, quales ſunt vertagi, Moloſsi, Corſici, Gallici, alijq; ſimiles, quib⁹ varij etiam generis feras venantur, nimirum vrſos, apros, lupos, ceruos, damas, cuniculos, lepores, multaſq; alias animantes, quæ in Europa naſcuntur, & iuxta venationis diuerſitatem, diuerſis etiam canibus vtuntur. Quidam enim feras excitant, alij eas curſu fatigãt, & conſequũtur, alij cùm illis fortiter, & ſtrenuè pugnant, & ſæpe mirabiliter eas diſcerpunt, ac dilacerant. Quæ omnia venationis genera mira iucunditate Europeos homines perfundunt, qui equis velociſsimis vecti, ſimul & maiores feras inſequuntur, eaſq; frequenter venabulis ſuis transfodiunt, & egregiam prædam cũ ſum ma-

volup-

voluptate domum reportant. Qua in re tam ad aucupium, quàm ad venatum pertinente, non dubiũ eſt, ab hominibus Europeis magnos ſũptus fieri. Vt autẽ hæc ſtudioſiùs cõſeruẽt, in more eſt, vt pleriq; principes, & optimates in nemoribus, & ſyluis habeant ſepta quædam lõgiſſimi ſpatij, vallo, aut muro circundata, intra quæ cuiuſq; generis belluas continent, quas, cùm libet, magna animi oblectatione venantur. Præter quæ, alia etiam habent ſæpe vrbibus propinquiora, in quibus multa ſtagna, auiaria, ſimiliaq; voluptatis loca conficiũt, ad eaq; frequenter relaxandi animi cauſa diuertunt: vt omittam hoc loco hortos amœniſſimos ipſis domibus coniũctos, de vtriq;, in ſequentibus dicturus. Quoniam autem quæcunq, in Europa vidimus, ſub aſpectum noſtrorum Iaponenſiũ hominum ſubijcere optauimus, quãtum fieri poſſet, attulimus ex Europa varios libros ad venationem, & aucupium attinentes: in quibus aues, & animantes varij generis ſunt expreſſæ, quas pingendi, & excudendi egregium artificium ibidem licet conſpicere. LINVS. Superioribus diebus libros iſtos Martinus noſter mihi oſtendit, in quibus talem, tamq; ad viuum expreſſam figurarum varietatem conſpexi, vt non ars imitata naturam, ſed humana cogitatio illa omnia finxiſſe videatur. Non tamen cõmentitia illa eſſe credo, ſed ex auibus, & animalibus, quæ ſunt in noſtra Iaponia, illa etiam in Europa eſſe, conijcio. MICHAEL. Nihil ibi cõmẽtitium contineri, certiſſimũ eſt: cùm libri illi ad vſum ipſorum Europeorum, & non externorum, qui falli poſſunt, ſint compoſiti: idemq; de alijs libris, in quibus depicta ſunt ædificia, regna, vrbes, prouinciæ, intelligendum eſt. LEO. Non eſt dubium, quin ipſis omnib⁹ fidem habeamus, cùm talia ad nos indicia, & argumenta attuleritis, & vos ipſi certiſſimi teſtes præſentes ſitis. Sed propone adhuc alia iucundarũ exercitationum genera. MICHAEL. Longum eſſet omnia alia recenſere, ſed vltra illa, quæ à me ſunt commemorata, ſunt etiam canendi, inſtrumenta muſica pulſandi, & ſaltandi artes. LEO. Habent ne Europei multa muſica inſtrumenta? MICHAEL. Multa, eaq; iucundiſſima, qualia ſunt nablia, ſiue pſalteria, teſtudines, lyræ, citharæ, vt omittã ea, quæ ad ignobiles pertinent, & inflando pulſantur, vt ſunt tibiæ, ſambucæ, fiſtulæ, tubæ, aliaque eiuſdem generis ad ſymphoniam pertinentia, quæ omnia artificioſè ſiue pulſata, ſiue inflata ſuauiſſimũ

concen

concentum edunt. LINVS. Equidem ſuperiori nocte, cùm muſicâ in ſtrumenta vos pulſantes audiremus, ſumus vehementer recreati, non tamen iſtam tantam ſuauitatem, quam prædicas, aſſecuti. MICHAEL. Meminiſſe è ſuperioribus oportet, quantum valeat inueterata conſuetudo, vel contra deſuetudo, atq; inſolentia, quod ſimiliter in cãtu euenire ſolet. Vos enim, qui nondum Europeo cãtui, & ſymphoniæ eſtis aſſuefacti, nondum eius ſuauitatem, & dulcedinem experimini: nos autem, quorum aures iam ſunt aſſuetæ, nihil auditu iucundius eſſe credimus: quòd ſi à conſuetudine animum auertere velimus, & rei ipſius naturam conſiderare, inueniemus profectò, Europeum cantum miro quodam artificio eſſe compoſitum. Nec enim in eo, ſicut in noſtro, idẽ omnium vocum tonus perpetuò conſeruatur, ſed quidam toni ſunt acuti, alij graues, alij intermedij, qui ſimul artificioſe emiſſi, mirũ quẽdam concentum reddunt. His adiunge falſas, quas dicunt, voculas, & eas, quæ ſupra ſolitum tonum efferuntur, quæ omnes ſuæ regulam obſeruantes, huc ſupra eam nonnunquam elatæ, ſimulq; cum muſicorum inſtrumentorum ſonis coniunctæ, aures audientium mirificè delectant. Vnde fit, vt cùm tanta ſit horum tonorum varietas, tam varia q; modulatio, integra quædam ars, atq; vna ex ingenuis ad huiuſmodi tonos componendos, & inter ſe temperandos fuerit conflata, quam Europei ab ineunte ætate ſtudioſe addiſcunt, magnoſq; in ea progreſſus facientes, non infimam viuendi rationem tenent. Inter nos autem quoniam in cantu nulla eſt tonorum diuerſitas, ſed vnus, atq; idem vocis emittendæ modus, nulla eſt hactenus ars, nullaq; diſciplina, qua ſymphoniæ præcepta contineantur: cùm Europei ſonorum multiplici varietate, inſtrumentorum artificioſa fabricatione, librorum muſicorũ, & figurarum admirabili multitudine hanc artem ſummoperè illuſtrauerint. LINVS. Iſta omnia, quæ affirmas, vera eſſe prorſus exiſtimo: nã & inſtrumentorũ, quæ attuliſtis, & librorũ varietas, & cantus, ac ſymphoniæ moduiatio mirum quoddam artificium oſtendũt. Nec dubito, quin noſtri cantus audiẽdi cõſuetudo ſit impedimẽto, quominùs Europei cõcẽtus ſuauitatẽ ſentiamus. Sed dic nũc aliquid de ſaltãdi, ac tripudiãdi modis in Europa vſurpatis. MICHAEL. Satis eſt ſcire, eos etiã eſſe varios, ac multiplices, iuxta lyrarum varium concentum, ex quibus tripudiatio tota pendet: ſunt autem ij modi varij, ad varias etiam ætates

tates, perſonaſq; accómodati. Vnde fit, vt quanuis pueriles ſaltationes leuiores ſint, illæ tamen, quas viri, ac fœminæ inter ſe, vel viri cum fœminis exercent, præſertim in ſolennibus, ac regijs tripudijs iucundũ ſimul, & grauem geſtum præſe ferant. LEO. Affirmas, fœminas cum viris ſaltationẽ exercere: iſtud ſanè videtur multum de Europea grauitate detrahere. MICHAEL. Nihil omnino detrahit: cùm tãta maturitate, atq; oris modeſtia id fiat, vt ſaltatio lætificare quidem animos, ſed nequaquàm ad laſciuiã prouocare cõſueſcat. Et quoniam opportunè ſe offert locus de fœminarum Europearum honeſtate, & grauitate aliquid dicendi, illa ſanè talis eſt, vt cuicunq; externo homini ad mirationem meritò moueat. Solent enim Europei homines in fœminarum habitu, cultu, habitatione, & tota viuendi ratione miram honeſtatem redolente, honoris ſui ſummã collocatã eſſe, arbitrari. Quo fit, vt nulla maior dedecoris nota alicuius nomini inuri poſsit, quam ſi vel leuiſſima ſuſpicio de fide, & caſtimonia violata ab vxore, vel quicunq; alia ſanguine propinqua, etſi innupta, cooriatur: quam notã illi, etiam ipſarum ſanguine profuſo eluere non dubitant, quanuis iure cautum ſit, ne id à priuatis perſonis ſed à magiſtratibus exerceatur. LEO. Tripudiandi in Europa ratio differt ne multum ab ea, quã nos obſeruamus, an omnino hanc noſtram ſuperat? MICHAEL. Solet ſemper variarum gentium comparatio, morumq; collatio offenſionẽ gignere, ſi aliæ nationes alijs præferantur: qua de cauſa non ea fuit mihi vnquam mens, vt vel Europeos mores præter modum laudibus extollerẽ, vel Iaponicos deprimerẽ: niſi forte eſſet aliquis diuina lege, vel cõmuni omniũ gentiũ conſenſu explosus, & improbatus. Quod ergo ad ſaltationem attinet, noſtra quidem Europeam facilè imitari, & exprimere diceretur, ſi non nulla parum ad rem pertinentia iuxta Europeorum iudicium ex noſtro ſaltandi genere tollerentur. LEO. Quæ ſunt iſta, quæ parum ad rem facere dicis? MICHAEL. Duo præcipuè: alterũ eſt, quòd qui inter nos tripudiant, frequenter perſonati in publicum prodeunt, vel fœminæ alicuius iam defunctæ triſtẽ perſonam paſsis capillis, ac mœſto vultu induentes, vel animum ſimiliter hominis corpore iam ſolutum referentes: quæ quidem potiùs triſtitiam, ac lamentationem, quàm iucunditatem, & lætitiam, quæ ſaltationis propria eſt, parere videntur. Alterũ eſt, quòd qui tripudiat, ſolet in

terdũ

terdũ in media ſaltatione conſiſtere, & vocẽ in modũ cicũlantis edere, cui reliqui ſpectatores eodem ſono reſpondent: vnde fit, vt Europeis potiùs quædam confuſa conclamatio, quam feſta, & iucunda ſaltatio eſſe videatur. Si ergo noſtri Iaponẽſes perſonas illas triſtes deponentes, ſemper ſplẽdido ornatu induti tripudiarent, ſenumq; in Europa vſurpari ſolitum obſeruarent, planè normam Europeæ ſaltationis teneret: ſed ſua cuiq; nationi conſuetudo relinquatur. LEO. Vnũ ſupereſt interrogandum in hac materia, an videlicet Europei in ſolennibus feſtis actione aliqua, vel dramate vtantur? MICHAEL. Drama Europea iuxta ſententiam noſtram cæteris omnium nationum antecellunt, quæ varia, & multiplicia ſunt, nimirum dialogi, comœdiæ, tragœdiæ, tragicomœdiæ, & aliæ ſimiles actiones, in quibus multa ſunt admiranda: nam, vt ornatum veſtium omittã, mira ſunt opera, quæ fiunt aliquando, vt euentus aliquis exprimatur. Spectatoribus enim proponitur vrbis, arcis, vel alicuius alterius loci tã artificioſe fabricata ſpecies, vt non imago, ſed illa ipſa vrbs, aut arx, de qua agitur, eſſe iudicetur. Iam verò perſonæ virorum, vel mulierum, quæ loquũtur, accõmodatè ad materiam, variam vocem edunt, nunc lætã, nunc flebilem, interdum grauem, nonnunquam ren iſsioré, deniq; modis omnibus variatam, ita vt ea non ab artificio aliquo, ſed ab ipſa tantũ natura proficiſci videatur: non enim quaſi canendo vocem extollunt, vt apud noſtros fieri conſueuit. Singulis tamen actibus cantus ſuauiſsimi intermiſcentur: his adde intermedios quoſdam, vt vocant, ſales, & facetias, quibus tota actio egregiè temperatur: adeò vt pleruncq; nulla ſit tam longa, quæ faſtidium gignere poſsit: etiam ſi per multas horas populo ſpectanda exhibeatur. Ex quibus omnibus cognoſcere poteſtis, quanti etiam ſint ſumptus in his actionibus agẽdis, qui frequenter quatuor, aut quinq; aureorũ millibus æſtimantur. LEO. Fateor, omnes Europeas res eſſe admirabiles: cũ enim in illis magna pecuniæ copia expendatur, qua nihil eſt tam difficile, quod non obtineatur: manifeſtè conſtat, etiã difficillima quæq, ab Europeis ad exitum perduci. LINVS. Quæro, an etiam alij ſuperſint Iudi, à te cõmemorandi? MICHAEL. Ludi alij multi ad animos relaxandos non deſunt inter nationes illas nobiles, diuites, & quæ in tanta pace, ac tranquillitate viuunt. Vſitatiſsimus autem eſt ludus pilæ, qua ludere

Euro-

Europei ſolēt in aliquo magno atrio, & hæc ludo nō ſolū animos recreāt, tēpus honeſtè, & non otiosè terentes, ſed etiā ſaluti cōſulunt, malos humores, qui ex lautis, & varijs cibis gigni ſolent, corporis exercitatione, & ſudore abſumentes, eademq; corpora ad laborem impigra, & agilia reddentes. Sunt etiam alij ludi, vt ſcacchia, (quæ licet noſtræ ſit ſimilis, tamet ab ea non nihil differt) tabellarum, taxillorū, chartarum pictarum, quorum nonnulli etiam apud nos ſunt in vſu. Sed quoniam iucundis exercitationibus recenſendis ſenſim, & ſine ſenſu longū tēpus eſt elapſum, quiete narrationem intermittentes, in craſtinum diem, quæ ſequuntur de gubernandi ratione, differamus.

De ordine, vſuque Europeorum hominum in regnorum, rerum publicarūque adminiſtratione. Colloquium duodecimum.

LEO.

LOnga admodùm nobis viſa eſt diei vnius mora hodiernum congreſſum, orationemq; tuam de gubernandi ratione apud Europeos vſurpata, ſtudioſe expectātibus.

MICHAEL. Agam libenter de hac materia: vt ad aliā vobis iucundiſſimam, viam muniam, de ordine exercitus in aciem educendi: cùm pacifica gubernatio pugnæ commentandæ vſum, ordine antecedat. Primò igitur illud in Europea adminiſtratione obſeruandum eſt, regibus, & rerum publicarū gubernatoribus eū eſſe ſcopū propoſitū, & veluti primū fundamentū in hac materia iactū, principes viros, qui regni, populi, aut reipublicæ gubernaculum tenent, debere non priuatis, ſed publicis cōmodis inſeruire, curareq; vt tota populi vniuerſitas in ſumma pace, & trāquillitate conſeruetur, & munera pro ratione meritorum, virtu-

tumq; distribuantur. Deniq; veræ, germanæq; iustitiæ norma in omnibus attendatur: ad quem scopum attingendum omnes leges, omniaq; instituta, & consulta diriguntur. Hac etiam de causa reges, principesq; viri ex vniuerso populo, vel republica census omnes, amplissimosq; reditus colligunt, vt videlicet in populo conseruando, & iuxta iuris, iustitiæq; regulas tuendo, parem illi gratiam referant. Nec verò lumen naturæ tantùm reges, ad populum in pace, ac iustitia continendum, adhortatur, verùm etiam ipsa diuina lex à Christo supremo magistro tradita de eadem re, homines admonet, manifestè docens, quò plura alicuius curæ committuntur, eò rationem ab illo seuerius esse exigendam, vt in euangelica illa parabola de talentis videre licet: vnde fit, vt illi, qui effrænatis appetitionibus suis, & non populi vtilitate, vi, & non iure gubernationem metiuntur, non veri reges, & principes, sed tyranni nuncupentur. Vt autem sigillatim Europeæ gubernationis varia genera persequar: certum est, in ea Philosophia, quæ ad mores pertinet, multitudinis gubernandæ rationē triplicem esse. Prima est, cùm vnus tantùm princeps totius multitudinis supremum gubernaculum tenet: hæc autem gubernandi ratio, si princeps iure populum moderetur, Monarchia vocatur, qualis est ea, quā nos Tencham, idest vniuersalem administrationem appellamus: si verò vi, ac potentia, non iure, & iustitia exerceatur, tyrannidem dicere sapientes solent. Secunda est, cùm à multis idem gubernaculum tractatur, quod si fit iure constitutum, Politia, si verò fit per vim occupatū, Democratia nominatur. Tertia est, cùm à paucis tota multitudinis administratio pēdet: qui si sint homines virtute præstantes, iurisq;, & legum obseruantes, gubernandi ratio Aristocratia appellari solet: si verò sint, qui iura peruertant, Oligarchiæ nomen habet. Quo fit, vt in singulis gubernandi rationibus bona, & mala administratio possit reperiri: bona quidem, si iura, & leges attendat, mala verò si vim, potentiam, priuataſque cupiditates respiciat. Iuxta primum, eumq; rectum administrandi modum se gerunt Europei reges, ac principes: iuxta secundum verò, vel tertiū, rectum tamen & iustum se habent aliquæ Respublicæ liberæ, nulli regi, aut principi parentes, qualis est illa clarissima Venetorū Respublica, cuius superiori aliquā mentionem feci, & vlteriùs maiorem faciam. Administrā

tur autem regna, & reſpublicæ in Europa, ſpectato non ſolùm communi iure ab ipſa natura hauſto, & Catareis, atque antiquis legibus, explicato, ſed etiam priuatis ſingulorum regnorum, prouinciarum, & rerum publicarum inſtitutis, quæ commune ius interdum moderatur, & ad diuerſorum locorũ, prouinciarum, nationumq; neceſsitatem accommodant. Vt autem nullus ſit in toto regno, vel republica locus, qui rectæ adminiſtrationis non ſit particeps, non ſolùm in præcipua regni, vel reipublicæ vrbe, aut metropoli ſupremi magiſtratus ius ciuibus dicentes iunt conſtituti, verùm etiã per omnes vrbes, atq; oppida alij minores diſtributi, quales ſunt prætores, iudices, expeditores, ædiles, triũuiri, aliiq; ſimiles, qui omnes ſuas quiq; cauſas iuxta munerũ varietatẽ diligenter examinat, & auditis, pro cerationis, vtriuſq; rationibus, controuerſias, ac lites expediunt. Præter hos autẽ, ad quos iuſtitiæ adminiſtrandæ ordo pertinet, ſunt alij cõſiliarij, ad quos etiam alia grauiora negotia deferũtur, qualia ſunt de bello inferẽdo, de fœdere percutiẽdo, de crimnib⁹ remittẽdis, de beneficijs in benemeritos conferendis, denio, de regni reditibus cõſeruandis, & augendis. LEO. Egregius ſanè iſte ordo iuris adminiſtranci mihi videtur, ſed velim, vt minutius nobis exponas ordinem in iudicio ſeruari ſolitũ. MICHAEL. Attingam tantùm id, quod audiui: nec enim noſtrum fuit, iudicijs intereſſe. Inprimis ergo quoties inter duos de iure alicuius rei obtinendæ diſceptatur, dicitur dies ei, qui in iudicio vocatur, in quo ſe iudici ſiſtere debeat: & aduerſus eum author litis querimoniæ ſuæ libellum proponit, quem reus alio propoſito refutati mox author litis rationes aduerſarij impugnat aliis tabulis, quarũ refellẽdarũ reo copia fit, atq; ita rationib⁹ vtrinq; citroq; allatis multò melius à iudice cauſæ difficultas cognoſcitur. Vlterius ad huiuſmodi res teſtimonijs confirmandas proceditur, & hinc, atq; inde teſtes citantur, eorumq; dicta literis mandantur: quod ſi quis teſtis veritatis occultãdæ, vel exaggerandæ, aut minuendæ nomine ſuſpectus ſit, licet diſceptantibus authoritate iudicis eum excludere. Teſtimonijs hinc, atq; inde ad controuerſiæ cognitionem productis, rurſus ad rationes aliquas ad calcẽ litis afferendas, accuſatori, reoq; facultas conceditur. Hæc omnia ſuperius dicta in tabulas relata, iudex diu, diligenterq; perpendit, atq; vltimò ſententiã ſuam interpoſuit, literisq; mandatam, & obſignatam

in iudicio promulgat. Poſt hanc autem promulgationem ſi quidē res minoris ſit ponderis, licet poſt certos dies, qui adhuc alicui rationi obijciendæ concedūtur, nulla deintegro excuſatione propoſita, rem à iudice ſtatutā exequi: quo facto toti liti finis imponitur. Quod ſi res maioris ſit ponderis, liberum eſt accuſatori, siue reo ad ſuperiorē magiſtratum prouocare: cui adhibito ſociorum, vel aſſeſſorum conſilio, etiam eſt integrum, vel ſententiam ab inferiori iudice latam confirmare, ratamq; habere, vel eius acta omnino reſcindere. Hoc ordine obſeruato ſit, vt omnes in ſummo iure conſeruētur, nec patricij, & nobiles viri plebeijs hominibus vim aliquam inferāt, ſed omnes æquo iure viuant, & vnicuiq; ſuum tribuatur. LINVS. Iſte quidem ordo à te propoſitus maximè cum ratione congruit, niſi fortè inde hominibus inferioris conditionis viros equeſtris, & ſenatorij ordinis contemnendi occaſio præbeatur. MICHAEL. Nulla ne leuiſſima quidem: nobiles enim viri à popularib⁹ ſemper in honore habēur: quòd ſi inter vtroſque oriatur contentio, ne puncto quidem venerationis, & reuerentiæ nobilibus debitæ præterito, lis illis intenditur, nec ipſi per ſe iudicibus ſe ſiſtunt, ſed per aduocatos, & actores eorum res agitur: niſi fortè ſit aliqua grauiſſimi criminis cauſa, de qua mox dicemus. MANCIVS. Ne mireris Line amantiſſime, ſi etiam nobiles à plebeijs in Europa in iudicium vocentur: nam etiam ipſi reges eandem legem ſubeunt. Quoties enim accidit, vt priuatus quicunque homo à rege, vel principe facultatibus ſuis detrimentum allatum eſſe cognoſcat, licet ei etiā regium nomen, quod apud Europeos tam venerabile eſt, in iudicium deferre, nec tunc eius dignitati macula vlla aſpergitur. Quam ob cauſam in ſingulis regnis eſt quidam regius aduocatus cōſtitutus, quem nomine regis in iudicium vocare licet, quiq; regias facultates aliqua ex parte vel minuentes, vel ſuffurantes poteſt etiam iudicibus ſiſtere, quorum arbitrio, non autem ſolo regis nutu cauſæ ad illum pertinētes dirimuntur. Cùm enim Europei reges ſint iuſtiſſimi, nolunt aliquē vel à ſe iniuſtè vexari, vel ab aliquo facinoroſo homine ſuas facultates atteri, vel ſubripi: quocirca omnes controuerſiæ, cauſæque ad reges attinentes non eorum effrænatis cupiditatibus, ſed iuſtiſſimis legibus, & iure antiquo iudicantur. MARTINVS. Illud etiam ego addam circa iuſtitiam à regibus obſeruatam: nimirum quotieſcunque aliquis

ſiue in bello, ſiue in alijs negotijs de regia maieſtate benemeretur, dignuſq; eſt, cuius fortunam rex honoribus amplificet, vel illi mercedem aliquam perſoluat: liberum eſſe huiuſmodi homini benemerito operæ, ac laboris ſui teſtimonijs, ac tabulis propoſitis cũ rege de amplificatione honoris, aut mercedis agere, & poſtulata ſua ad regios magiſtratus deferre: qui, quo præmio, quaue remuneratione ille dignus ſit, ſtatuũt, atq; vt à rege illi præſtetur, efficiunt. Imò verò, ſi forte huiuſmodi vir de rege benemeritus minùs iuſtè, ac debitè ſecum actũ eſſe intelligat, licet adhuc illi querimonias ad magiſtratus deferre, & de muneris, ac ſtipendij exiguitate cum illis expoſtulare, donec ei debitum dignitatis locum, vel præmium, aut mercedẽ impetret. LEO. Iſte quidem ordo non poteſt non admirabilis videri, eoq; ſeruato, non dubium eſt, quin totius offenſionis, iniuſtitiæq; tã in puniendis, quàm in remunerãdis hominibus occaſio omnino auferatur. IVLIANVS. Mirus ſanè eſt in rebus omnibus ordo ab Europeis regibus ſeruari ſolitus non ſolùm in ijs, quæ dicta ſunt, verũ etiam in quocũq; alio officiorum genere: ſic enim ſpectato cuiuſq; loco, atq; gradu cum optimatibus, alijſq; hominibus ſe gerunt, vt ne minimã quidem officij partẽ prætermittãt. MICHAEL. Dicãtia aliquid de cauſis, quæ ad crimina pertinent: hæ enim, vel accuſatione, vel denuntiatione, vel denique iudicis inquiſitione mouentur: quibus omnibus modis, vt ſuperiùs dictum eſt, rationes vtriq; allatæ, & teſtimonia proferuntur: quæ ſi aliqua ex parte crimen commiſſum eſſe oſtendant, reus in carcerem conijcitur, vel alibi, iuxta vniuſcuiuſq; dignitatem, in cuſtodiam datur, vt ita tutiùs de eius crimine diſceptari poſſit: nec enim quiſquam temerè, aut immaturè, ſed re diu, multumq; conſiderata capitis damnatur. Vnde fit, vt, cùm Europei homines intelligant, ſecũ recto iure agendũ eſſe, nõ adeò moleſtè ſe in carcerem duci patiantur: cùm inde nõ nullos ad pœnã vocari, alios impunitos, ac liberos abire, iuxta vniuſcuiuſq; merita à iudicibus rectè examinata, frequẽter videant. LEO. Longè ſanè abſunt noſtri Iaponenſes ab Europeorum patientia: iſti enim, vt ais, ſe in carcerem condi, non ita acerbè ferunt: noſtri verò homines eos habent ſpiritus, vt etiam vnius diei moram in carcere, ſanguinis, & vitæ profuſione ſæpe redimãt. MICHAEL. Non eſt mirum, ſi id noſtri homines faciant, cùm in noſtra Iaponia in

admi-

administrationis regnorum, & in iure dicendo Europæ ordo nõ ser-
uetur. Scientes enim nostri Iaponenses, qui ad vincula vocantur, se
ad non dubiam mortem ire, capitisq; sententiam iam in ipsos esse latã,
non dubitant periculum vitæ antecertere, & vim sibi inferendam,
vi, armisq; repellere: ne in se experiatur eam iuris, iustitiæq; pertur ba
tionem, quam alijs immeritò ad mortem damnatis, vel cruciatis ne-
cariis passim euenire vidêt. MANCIVS. Ea est sanè causa, quare nostri
Iaponenses tam indignè vincula sibi iniici patiantur: dynastæ nanq;
nostri, & Toni, siue alij principes sæpenumerò non iure, aut legibus,
sed suorum animorum affectionibus, ac perturbationibus, nimirum
ira, odio, timore, aliisq; similibus, cæterorum hominum errores metien-
tes, in eos acerbitatis suæ virus euomũt, grauissimisq; supplicijs innocẽ-
tes mulctãt. LEO. Verũ quidem est, culpam aliqua ex parte in dyna-
stas, principesq; esse conijciendam, sed eius etiam participes sunt reli-
qui homines, qui principibus subsunt: eius enim sunt naturæ, vt
etiam minima suspicione de pœna aliqua sibi inferenda in animis ex-
orta, facilè à proprijs principibus ad alios defectionem faciant. Quo fit,
vt non sit mirum, si principes rerum capitalium quæstionibus breui-
ter, ac leuiter habitis, criminibusq; cognitis, in suæ ditionis homines
grauiter animaduertant. MICHAEL. Non ego eius sum sententiæ, vt
populàrium animos ad rebellionẽ faciendam propensos, excusandos
arbitrer, sed totius peruersitatis causam, ex perturbatione iuris dicen-
di prorsus oriri, mihi persuadeo: si enim principes in iudicandis caus-
ijs, legesq; obseruarent, facilè homines sub ipsorum iurisdictione vi-
uunt, se legibus coërceri paterentur, intelligentes non regum pertur
batis animis, sed recto iure debitas pœnas à se esse repetendas. Cùm au-
tem videant, nec sibi depellendi, aut diluendi criminis locũ dari, nec
suspectis testimonijs fidem derogari, nec denique innocentiæ ostenden
dæ vllum esse remedium, vim, iniurias q; sibi inferẽdas animis ãse pro
pulsant. LINVS. Credo sanè, iuxtà vestram narrationem, etiam in Eu
ropa supplicionum totam rationem à principibus, regibusq; pendere:
cùm ad illos tanquã ad supremos iudices omnium negotiorum sum
ma deferatur. MICHAEL. longè aliter se res habet in Europa, ac in
Iapõnia: in Europa nanq;, vt iam dixi, reges constitutos, ac designa
tos habent magistratus, eosq; viros iuris peritissimos, qui causas om-

nes

nes, siue capitales, siue eas, quæ ciuiles appellantur, cognitis vtriuq; rationibus, & testimoniis, diligenter expediunt: quam ob rem regum iracundiæ, aut furori nullus locus datur, sed omnia recto iure circumscribuntur. Vnde fit, vt reges nec pœna capitis, nec exilij, nec proscriptionis bonorum, nec alia simili quenquam mulctare soleant, nisi id iudicum, vel magistratuum consilio sanciatur: etiam si ipsi rei de rege occidendo, & regno occupando conspirasse dicantur. Quod vero attinet ad testimonia, quæ nam sufficientia ad has, vel illas pœnas infligendas, esse debeant, non tantum magistratuum iudicio, sed antiquarum legum sanctionibus præscribitur, quas ipsi iudices integrè, & incorruptè obseruare debent: deniq; ipsæmet pœnæ, quibus singula crimina plectenda sunt, legibus, & patrum institutis taxantur. LEO. Iste quidem ordo à te propositus non solùm cum ratione congruens, sed etiam diuinus, ac cælestis censeri debet. Sed quæro vltrà, an reges ita legibus teneantur, vt nunquá contra eas possint, & inconsultis magistratibus, homines interficere? MICHAEL. Possunt quidem, si velint regum personam deponere, alioquin longè diuersam tyrannorum induere: hoc enim nomine, vt dixi, notantur, qui contemptis legibus, suis effrænatis cupiditatibus administrationem miscuntur. Nec verò tantũ reges, si legibus violatis regna gubernare vellent, illud infestissimũ tyrannorum nomen assumerent: verum etiam à sacerdotibus, qui eorum priuatas peccatorum confessiones excipiũt, & ab episcopis, archiepiscopisq;, qui totius regni sacram administrationem obtinent, cum summo rubore, ac dedecore criminis notarentur: imò verò ita hæc in re immoderati esse possent, vt in populariũ hominũ offensionem incurrentes, eorum animos, ac arma in se concitarent: quin & ipse summus pontifex eorum potestatem, dominatumq; abrogaret: vnde fit, vt multa sint in Europa, quæ reges etiam potentissimos in officio contineant. LINVS. Ista quidem recte se habent, si tamen subiectorum hominum, erga ipsos reges reuerentiam, venerationemq; non minuant, atq; extenuent. MICHAEL. Nihil eorum est, quod de veneratione erga reges possit detrahere, cùm tã multa sint, quæ huiusmodi obseruantiam, & cultum omni ex parte cõmendent, nimirũ lex diuina, id ipsum præcipiẽs: deinde corũdẽ regũ maiestas, & potentia: demum amor ipse Europæorũ hominũ animis erga reges insi-

inſitus, præſertim cùm videant, ſe tam benevolè, atq; amanter gubernari: quæ omnia ad regum reuerentiam Europeos maximè impellunt. Si autem velitis aliqua ex parte cognoſcere, quanta ſit Europeorum hominum erga ſuos principes benevolentia, ex his, quæ in Iaponia eueniunt, poteſtis manifeſtè colligere: nam ſolet ſibi mutuò aduerſantia inter ſe collata, multò melius perſpici. In Iaponia enim videmus paſſim, dominos à famulis interfici, principes, ac dynaſtas ab ijs, qui ſub eorum iuriſdictione ſunt, loco ſuo pelli, & extrudi, & ad hæc frequentiſſimas cõiurationes cõflari. In Europa autem omnia lõgè ſecus ſe habent: nam qui ſub ditione aliquorum principum ſunt, eos tãquã parentes peramanter obſeruant, & nullus eſt, qui de coniuratione, ac factione cogitet. Principes autem ipſi ea ſunt morum ſuauitate, vt ſibi ſubditos homines tãquã filios indulgẽter tractent: & in ea ſecuritate, atq; animi tranquillitate viuunt, vt vnicuique ſibi perſuadeant, aliquem tam facinoroſum fore, qui proditionem machinetur: denique ipſi priuati, ac populares viri nullo mortis ſibi ſubitò à principib⁹ inferendæ timore ſolicitantur: ſciunt enim, ſi in aliquo deliquerint primùm ſeruato iuris ordine quæſtionem eſſe habendam, deinde, ſi iuſtũ ſit, ſe in carcerem eſſe conijciendos, vnde licet vnicuique ſuam cauſam defendere, vel etiã in libera eſſe cuſtodia, & iudicibus ſe ſiſtere. Quod ſi rei, & criminoſi homines aliquid reformident, illud ſanè erit diuturnitas carceris, moleſtia criminis diluendi, denique ignominia ipſa, quæ etiam iure optimo illata, ſolet homines graui timore concutere. Cõtra verò in noſtra Iaponia nec principes, nec eorum iuriſdictioni ſubiecti ſecuri viuunt: illi quidem timentes perfidiæ machinationem aliquam: ij verò pœnam ex iracundi principis acerbitate, vel aduerſariorum ea kimnia ſibi iniuſtè infligendam. Vnde fit, vt media ſæpe concinnia ſanguinis profuſione redundent, & cantus, ſymphoniaq; in luctus, & vlulatus conuertantur. MANCIVS. Ita prorſus omnia ſe habent. Quapropter eũ Europeam illam pacem, ſecuritatemq; mente repeto, nõ poſſum non ſummoperè mirari: cùm verò noſtrorum hominum mores conſidero, planè intelligo, de amore, de fide, de arte denique conſuetudine, parum noſtros homines eſſe ſolicitos. Hinc autem fit, vt nullus ſit locus, nullus ſtatus, nulla familia, quæ non magnopere periclietur, ſtatuumq; ac familiarum tales ſint mutationes, vt vix omnia-

natus à proauis, & atauis, ad nepotes, & pronepotes transferatur: cùm tamen in Europa per multa ſecula poteſtas, honorificuſque locus ſæpe à maioribus ad vltimos vſq; poſteros traducatur, & ſine vlla intermiſsione propagetur. LEO. O beatam terram illam, felicemq; regionem, vbi pax, tranquillitas, & ſecuritas tantoperè efflorescit, ſo liceſque principes, qui tales homines ſub ſua ditione habent, fortunatum deniq; populum, qui tam amanter, & benevolè à principibus gubernatur! Sed ſcire velim, quoties crimina non ſint manifeſtè nota, ſed ſuſpicione tantùm inueſtigata, quo modo ſe Europæi judices gerant? MICHAEL. In omnibus iſtis, aliiſq; euentibus certæ ſunt normæ traditæ: aliter enim integris teſtimonijs, aliter obſcura criminis cognitione, aliter deniq; leuibus ſuſpicionibus in reos agitur: ſupplet tamen interdum teſtimoniorũ partem ipſa criminis confeſsio à reo vel ſpõte prolata, vel cruciatib' extorta: quòd ſi viri ſint tales, vt in eos tormentis agi non liceat, iuxta ſuſpicionum, indiciorumq; grauitatem pœna aliqua leuiori plectuntur. LINVS. Vtinam in noſtra Iaponia ordo iſte ſeruaretur: nec enim innocentes, vel leuiſſima criminis ſuſpicione cõmota, capitis, aut exilij pœna plecterentur. Sed explica, an quo[illegible] in Europa capitis damnãtur, in crucem noſtro more agãtur, vel lebete incluſi torreantur, vel deniq; ad experiendam gladiorum aciem in partes concidantur? MICHAEL. Cùm in Europa iuſtitia, non iræ perturbatio attendatur, quicunq; capitis condemnantur, ſummã in ſe principum, ac magiſtratuũ humanitatem experiuntur: nec enim ſubitò ad mortem rapiuntur, ſed priùs benevolè ab aliquo ſacerdote admonentur, fore, vt propter commiſſum crimen capitalis pœna ab illis repetatur: qua de cauſa expedire, vt animorum maculas confeſsione abluant, & ſupplices Deo preces pro peccatorum venia adhibeant, omniumq; diuorum patrocinium implorent: quibus verbis bene animati patienter ſententiam in ſe promulgatam audiunt, deinde è carcere cum magno hominum, aliquorumq; religioſorum comitatu ad pœnæ locum, quod patibulum dicimus, educũtur, vbi pro varietate prouinciarum, & perſonarum, vel è furca ſuſpenduntur, vel obtrũcãtur, vel alio mortis genere, abſq; crudelitatis nota, puniũtur: non tamen lebete concremantur, nec in crucem tolluntur, cùm illa ſit noſtræ ſalutis ſignum, & ideo ſanctè, auguſtèq;

ab omnibus colatur: nec fas eſt, in alicuius corpore ſiue viuentis, ſiue mortui gladiorum aciem tentari: imò verò cadauera, etiam ab hoſtibus, cum pietate ſepelienda traduntur. LEO. Rogandum adhuc occurrit, qua ratione magiſtratus erga filios, & vxores capite damnatorũ ſe geant: nimirũ an etiam hi mortis, bonorũ proſcriptionis, & ſeruitutis pœnam, vt in noſtra Iaponia fieri ſolet, in Europa patiantur? MICHAEL. Quod attinet ad damnatorũ filios, & vxores, nec mortis, nec ſeruitutis pœna ob parẽtũ crimina mulctari poſſunt: nulla item eſt bonorũ publicatio, niſi cõmiſſo crimine proditionis, vel alio atrociſſimo, quo tamen admiſſo, vxores bonorum partem retinent: pars autẽ illa, quæ maritorum erat, in regis ærario reconditur: nec enim iuſtum eſſe cenſent Europei, vt vxores nullius criminis affines, eandem cum maritis criminoſis pœnam ſubeant. Leges enim ea de cauſa ſanciũtur, vt crimina de medio tollantur, non vt crudelitati, & auaritiæ principum locus detur. LINVS. Ita omnia cum ratione maximè conueniunt, vt videlicet ille, qui culpam cõmiſit, debito ſupplicio plectatur, innocentium verò ſalus, & peculium immunia permaneant. Secus tamen in noſtra Iaponia fieri videmus, vbi, occaſione ex criminibus etiam leuibus captata, multorum innocentum capita, & bona proſcribũtur, iuſq; vnicuiq; debitũ ſæpiſſime peruertitur. MANCIVS. Quid mirum, ſi inter noſtros Iaponenſes adhuc ethnicos iſta iuris, vel iniuſtitiæ potiùs ratio habeatur, qui nec futuræ, atq; æternæ vitæ cõſulunt, nec ad reſtituendũ alienum legibus coërceri poſſunt, nec denique ad miniſtrationem populi ad commune bonum, ſed ad priuatam vtilitatẽ referunt. Precemur ergo Deum, vt tandem aliquando omnibus noſtris Iaponenſibus lumen Chriſtianæ fidei affulgeat, quo illuſtrati, quid iuſ naturæ poſtulet, quidue communi bono ſit conſentaneum, facilè cognoſcent. LEO. Faxit Deus, vt ita eueniat: Chriſtianæ nanque religionis vtilitates in republica adminiſtranda, iam magna ex parte experimur in his principibus, qui in Chriſtianorum numerum ſunt relati: quorum modus in populo gubernando, longè diuerſus eſt ab eo, quem ethnici homines obſeruant. Erit aliquãdo tempus, cùm omnes mores iuri contrarios ſimul cum falſa religione noſtri homines omnino exuant, & Chriſtianæ conſuetudines via cum vera pietate in Iaponiã penitus introducantur. Sed nunc ſcire velim, an Europei

reges interdum etiam graui neceſsitate oppreſsi, alienas poſſeſsiones occupent. & ſi forte aliqui viri nobiles minus iis ſint grati, poſsint ne eos de ſtatu deijcere, aliosq; in eorum locum ſubſtituere? MICHAEL. Iſtud ſanè longè ab Europeorum conſuetudine alienum eſt: nec enim reges, aut principes abiq; crimine commiſſo, aut ante ſententiã in reos latam, aliquem poſſunt è poſſeſsionibus ſuis extrudere: quoties verò graue aliquod periculum regno imminet, ad quod depellendum pecunię magna ſummа neceſsaria eſt, ciuiles ordines conuentus indicũt, omniumq; ciuitatum procuratoribus congregatis, aliquid ſubſidium à populo poſtulant, qui per actores, & procuratores ſuos pecuniæ ſummam decernit, & per ſingula capita, nulla offenſione alicui illata, tranquillè, & quietè corrogatur. Interdum rex repulſam patitur, populo iudicante non tam graue periculum, tamq; intolerabilem neceſsitatem eſſe, vt coacta pecunia illi ſubueniri debeat. Quod verò attinet ad eos, qui non ita grati regibus ſunt, poſſunt quidem reges minùs cum illis familiariter agere, pauciores honores deferre, denique in greſſu adſe, & colloquio prohibere. Sitamen nullius criminis ſint aſſines, nec bona illis auferre, nec in aliorum vſum conuertere liberum eſt: vnde fit, vt cùm magna ſecuritate inter Europeos vita traducatur. LEO. Miror equidem, in tanta potentia Europeorum regum, nullum, quò ad hæc, priuatis cupiditatibus, & animi affectionibus locũ patere. MANCIVS. Tantopere Europei reges priuatas affectiones in adminiſtrando fugiunt, vt ne pecuniam quidem ex proprio ærario depromi iubeant, ac diſtribui, niſi diligenti habita deliberatione, examinatiſq; meritis eorũ, qui pecunia ſunt donãdi. LEO. Egregius profectò eſt iſte adminiſtrandi modus. Sed illud ad calcẽ huius colloquij interrogo, regum ne potentia tanta ſit, vt nonnunquam capite damnatos poſsint pœna legum abſoluere, & impunitos dimittere? MICHAEL. Iſta quidem facultas in regum poteſtatem cadit, & ideò regibus Europeis non eſt vllo iure ſublata. Cùm tamen iuſtitiæ, iuriſq; reges illi valde ſint obſeruãtes, cõſideratiſsimè pœnã à iudicib⁹ taxatam omnino tollunt: niſi forte aliquando talia ſint in reo ſiue naturæ dona, ſiue merita, vt cauſa communis vtilitatis vita eius conſeruari debeat, vel alia ſit iuſta ratio illum pœna eximendi. Quoties autem crimen à reo commiſſum eiuſmodi eſt, vt alicui damnum

tuerit

fuerit iniunctum, nunquàm ſolent rei, niſi priùs reſarciatur damnũ, pœna liberari. LEO. Adhuc quærendum ſupereſt, poſsint ne duces, marchiones, & comites in locis ſuæ ditioni ſubiectis etiam crimineſos homines morte mulctare? itemq; an liceat cuicunq; nobili viro pœnã mortis à famulo culpã aliquam committente repoſcere? MICHAEL. Quod attinet ad duces, marchiones, & comites, ſiue alios dynaſtas, qui ditionem aliquam, vel iuriſdictionem habent, regibus tamen parent, is ordo ſeruatur: vt magiſtratus ab his ducibus, & dominis conſtituti, qui quidem iuris conſulti eſſe debent, poſsint quidẽ in aliquibus euẽtibus reos etiam capite damnare: dum modò tamen ad ſenatum regium, ſupremoſq; iudices locus prouocandi detur: vt in reliquis ciuitatibus, quæ regibus abſq; dynaſtarũ iuriſdictione ſubſunt, fieri conſueuit. Supremorum verò iudicum auctoritate, vel ſententia confirmatur, vel omnino, aut ex aliqua parte commutatur: atq; ita debito ſemper ordine ius attenditur. Reliqui autẽ viri quãtuis nobiles, ſi iuriſdictionem à rege ſibi datã non exerceant, nequaquàm poſſunt capitis ſupplicio homines ſibi ſubiectos plectere, ſed ſolum velut paterna aliqua pœna citra ſanguinis effuſionem eos afficere. LINVS. Ex dictis tuis ego manifeſtè colligo, nullum eſſe patrem familiãs, qui domeſticum famulum commiſſo aliquo crimine interficere poſsit, vt in noſtra Iaponia in more poſitũ eſt. MICHAEL. Rectè colligis Line. Mos enim iſte in noſtra Iaponia vſurpatus à ratione prorſus abhorret, ſolos namque illos, qui ſupremã, vel cõmiſſam ſibi poteſtatẽ habent, in homines ſibi ſubiectos necis pœnã exercere, iuſtũ eſt: reliquis autem, quales ſunt patres familiãs, verberibus tantùm, aliiſq; leuioribus pœnis famulorum crimina corrigere datũ eſt. Quòd ſi famuli his pœnis affecti ad meliorem frugem, honeſtioremq; viuendi rationem ſe non recipiant, facile eſt illos è familia, domoq; expellere, & ita reliquos officij admonere. Illud tamen præcipuum eſt inter Europeos, vt amore potiùs, quã pœnæ timore ad bonum virtutis ſectandum alliciantur. MANCIVS. Addam etiam ego illud vltimum ad hanc iuris dicendi materiam intelligendam, quod vobis non minorẽ mouere debet admirationẽ. Quoties enim magiſtratus muneribus ſuis ſunt perfuncti, ſeuera ratio ab illis exigitur præteritæ adminiſtrationis, data etiam his, qui detrimento aliquo ſunt affecti, accuſandi facultate: actis verò confectis, teſti-

teſtimonijſq; in tabulas relatis, de magiſtratibus vel ad altiorē dignitatē euehendis, vel puniendis deliberatur: nec enim volūt reges Chriſtiani temerè, & inconſultò prauis hominibus huiuſmodi honores, tanquā furioſis gladios, deferri: ab eiſq; obtentu iuris, ac iuſtitiæ populo dānum aliquod importari. LEO. Placet ſummoperè nobis totus iſte gubernandi ordo, planèq; videtur cum ratione, & Chriſtiana pietate cōuenire: dignuſq; eſt, quem nos omnes Iaponenſes totis animis complectamur. Sed ad arma, bellicoſq; apparatus à te explicandos tendit animus, niſi fortè rem hanc tanquam longiori ſermone indigentem in poſterum diem differendā iudicas. MICHAEL. Iudico, & ita neceſſarium eſſe arbitror, tum vt quieti aliquantulum vacemus, tum etiam ne breuiùs tanti ponderis materia tractata eſſe videatur.

De bellis in Europa geri ſolitis, et ordine exercitus componendi, prælijſque terreſtribus. Colloquium decimum tertium.

LEO.

QVando quidem de regnorum adminiſtratione à te actū eſt, Michaël, & de his, quæ ad pacem, quietemq; publicam pertinent: ſequitur, vt de bellorum ordine, exercituū, prælioruмq; diſpoſitione in Europa vſurpata te dicentem iucundiſsimè audiamus. MICHAEL. Dicā de hac materia eò libentiùs, quò Iaponenſes noſtros rei bellicæ ſtudioſiores eſſe conſtat, voſq; auidiùs audituros eſſe, ſpero. Primò igitur illud dignum laude, & commendatione in Europa videtur, quod nō quicunq; nobiles, & honeſto loco nati viri, nec etiam magni magiſtratus inter ſe bella mouere poſsint, ſed tantùm reges, principeſq; liberi, & reſpublicæ immunes, nulli alij ſuperiori parentes: reliqui autē

dynaſtæ

dynaſtæ, duces, marchiones, & comites ſub regum, vel rerum publicarū iuriſdictione viuētes, à bellis ſuo nutu, & arbitrio cōcitādis omnino prohibentur. Atque ex hoc loco poteſtis perſpicere diſcrimen manifeſtum inter Europeos, noſtroſq; Iaponenſes: ex noſtris namq; ferè omnes illi, quos Conixuos, & Yacattas dicimus, belli ſibi mutuo inferendi poteſtatem habent, vel, vt verius dicam, eam ipſi ſibi vendicant. Cùm autem horum numerus magnus ſit in tota Iaponia, non poteſt non eſſe magna bellorum frequētia, & velut quoddam incendium, quo hæc regio conflagrat. In Europa autem ſecus accidit, vbi belli commouendi facultatem habentes, pauci ſunt, illiq; tantoperè Chriſtianæ pietati, communiq; tranquillitati dediti, vt non ſine iuſtiſſimis cauſis, diuq; examinatis bella ſuſcipiant. LEO. Quid cauſæ eſt, cur duces, marchiones, & comites nequeant mutuis bellis ſecum decertare, & iniurias vltro, citroq; illatas ferro, atq; armis perſequi? MICHAEL. Cauſa, quam requiris, ex ſuperiori colloquio colligi manifeſtè poteſt. Cùm enim duces, marchiones, & comites, in homines ditionis ſuæ non habeant omnino liberam vitæ, necisq; poteſtatem: ſed à capitali ſententia, ab ipſis, vel eorum magiſtratibus lata, ad reges, aut regium ſenatum prouocari poſſit: multò minùs liberum erit huiuſmodi dynaſtis, aliis ſibi paribus, vel ſimiles concitato bello lacеſſere. Atque hoc ſanè cum natura maximè congruit. Sicut enim in humano corpore à capite, in quo ſenſuum, & intelligentiæ vis maximè viget, ad cætera membra motus, moderatioq; deriuatur: ita etiā æquum eſt, vt in regno à regibus, qui capitis locum obtinēt, ad cæteros primates, tanquam ad coniuncta membra, tota adminiſtratio ſiue belli, ſiue pacis reuocetur. Quapropter, ſi euenīat, vt huiuſmodi optimates iniurias ſibi mutuò inferant, ad regem quaſi ad communem vltorem, & vindicem concurritur: non autem priuatis oēijs exercitijs decertatur. Atque hinc fit, vt præter reges, ſupremos principes, reſpublicaſq; liberas, nulli alij primates, niſi ipſis mandatum fuerit, & commiſſum, exercitum alere, arces munire, aut milites in præſidijs habere poſſint: quoties verò id faciunt, non tanquam liberi domini, ſed tanquam duces à regibus, & ſupremis principibus, aut rebus publicis deſignati, id præſtare conſueſcunt. Ex qua conſuetudine illud etiam vtilitatis colligitur, quòd non facilè dynaſtæ defectionem

à regi-

à regibus facere, rebellionemq; exercere posſint, ſublatis his occaſionibus, quib⁹ veluti facibus naturæ immoderatæ cupiditates ſæpiſſime inflammantur. In noſtra verò Iaponia ſecus omnia accidũt: habentes enim Toni milites in præſidijs, arceſq; ſuo nomine munientes, facilè contra Yacattas bella, ſeditionesq; concitant: atq; ideò nulla pace fruimur, ſed omnia coniurationibus, ac bellorum tumultibus perturbantur, dũ Toni frequenter in ſuſpicionẽ proditionis veniunt, & Yacattæ nequaq; iam ſe eſſe ſecuros credunt. LINVS. Vera ſanè refers: nam ſæpiſſime, etiã totius noſtræ vniuerſitatis, quã Tenchã dicimus, dominij huiuſmodi Tonos, & inferiores dynaſtas cohibere voluerũt, ne in tanta bellorum gerendorum occaſione verſarentur, præſidiaq;, & arces illis auferre, nec tamen omnino aſſequi potuerunt: eò quòd hæc prauæ conſuetudo præſidia, arceſq; proprio nomine tuendi, iam diu in Iaponia inter Tonos inueterauerit. MICHAEL. Ego ſanè mihi perſuadeo, hanc conſuetudinem iam inde ortũ habuiſſe, cùm primũ proprius, ac legitimus Iaponiæ rex, quem Dayrum dicimus, à Cubis Guengio, & Fequio de Iaponico imperio acquirẽdo inter ſe certãtib⁹, è poſſeſſione ſua antiqua dejectus eſt, & tam multæ, variæq; iuriſdictiones ſunt intro lactæ. Vnde factũ eſt, vt iam à quingentis annis in hac rerũ omniũ confuſione, perturbationeq; verſemur. Hoc autem in Europa ideò non reperitur, quòd reges parẽtibus hæreditario iure plerũq; ſuccedentes, ſtabilem, ac firmam regiam ſedem obtineant, eaq; ſint potentia præditi, vt difficillimè à dynaſtis loco ſuo moueri poſsint. MANCIVS. Mihi quidem noſtrarũ perturbationũ cauſas conſideranti, tres potiſſimæ occurrunt, quibus fit, vt tã frequenter dynaſtæ ſuo nutu, atque arbitrio bella commoueant. Primùm, quòd in popularium gubernatione, belliq; adminiſtratione, non ita noſtri Toni à Yacattis, ſicut Europei dynaſtæ à regibus pendeant. Deinde quia Europei populares, qui ſub comitum, marchionum, aut ducum iuriſdictione viuunt, quãuis illos venerentur, & obſeruent: multò tamen magis communem dominum, hoc eſt, regem ipſum reuerentur. Vnde fit, vt dynaſtas, ſi fortè defectionem facere vellent, non ſolùm non ſequerentur, ſed ab illis, tanquã à fidei regib⁹ debitæ violatoribus, ſummopere abhorrerẽt. In noſtra verò Iaponia populus, qui Tonis, aliiſq; ſimilibus dominis eſt obnoxius, eis ita adhæret, vt ad ipſorum nutum ſe totum fingat,

quibus

quibus videlicet in bonis, iuriſq; adminiſtratione multò magis ſubeſt. Quapropter Tonis ad alios Yacattas deficientibus, ipſi etiam populares abſq; dubio deficiũt. Deniq; Europei dynaſtæ, qui regib⁹ ſubſunt, præterquam quòd acceptam dignitatem ab ipſis regibus, & per maiorum velut manus traditam tueantur, ſinguli cùm primùm huiuſmodi honores recipiunt, iure iurando interpoſito fidem ſuam ipſis regibus obſtringunt: qua religione obligati nihil ignominioſius defectione, & coniuratione in reges eſſe creduũt. Noſtri verò Toni, ſiue antiquo iure, & origine Yacattis ſubditi ſint, ſiue ſponte ſua ad eorum obſequium ſe adiungant, nulla iuriſiurandi religione obligantur: vnde facilè, ſi commodiùs ſibi eſſe ducãt, vel bella concitant, vel ad alios Yacattas deſciſcunt, nihilq; inde dedecoris, aut infamiæ in ſe redundare credunt. LEO. Iſta omnia rectè ſe habent. Sed nunc de arcibus Europeis, earũq; munitione, velim differas. MICHAEL. Cũ inter Europeam, Iaponicamq; ædificandi rationem multum interſit: facilè eſt etiam cognoſcere, quodnam arcium ædificandarum, muniendarũq; ſit diſcrimen. Inter nos enim arces potiùs natura, quàm arte ſunt munitæ: inter Europeos verò molibus, & machinis miro artificio extructis roborantur: quibus vrbes optimè defenduntur, grauiſſimus tormentorum bellicorum impetus ſuſtinetur, deniq; ipſi hoſtes maximis acceptis cladibus offenduntur. Neq; verò aliter Europei homines vrbes ſuas tutari poterant contra tormenta bellica, quæ tam vaſtæ ſunt magnitudinis, & ex tali materia, hoc eſt, ære, varijſq; metallis conflata, tam grauis deniq; eorum impetus emiſſione globorum, pulueriſque ſulfurei, vt non niſi firmiſſimæ ædificiorum molis tantam vim ſuſtinere, & repellere poſſint. Diſponuntur enim aliquando huiuſmodi bellica tormenta, vehiculis quibuſdam portata, per tam varias partes, tantaq; vi, ac ſonitu muros vrbium concutiunt, vt cælum diſrumpi, terra cõtremiſcere, totuſq; orbis labefactari videatur. Quo circa opus eſt, vt vrbes talibus muris, turribus, propugnaculis, & molibus cingantur, vt non facilè huiuſmodi tormentorũ vi oppugnatæ corruant. Solent autem præter muros, atq; ante muralia, & fortiſſima propugnacula, arces quædam eſſe editiſſimæ, quaſi præcipua vrbium munimẽta, inſtar eorũ, quæ nos Iaponicè Tenxu dicimus, quanuis lõgè aliter ſint ædificatæ, in quibus aſſiduè ſunt præfectiarij militer ad arma ſemper accincti,

cinĉti, excubias interdiu, noctuq; viciſsim agentes, ea cura, ac diligentia, quaſi vrbes obſidione premantur, cùm tamen nullũ præſens periculũ immineat. LEO. Quorſum tanta eſt in arcibus vigiliarũ diligentia, tantaq; ad arma alacritas, cũ Europei principes nullas ditionis ſuę hominũ inſidias reformident, nec regnorũ fines hoſtiũ incurſionibus ſint infeſti, & ad huiuſmodi militũ ſubſidia conſeruanda magnos ſumptus fieri, neceſſe ſit? MICHAEL. Volunt Europei principes militarem diſciplinam in ſuis regnis ſummoperè vigere, nec animos militum ſegnes, deſidioſq; reddi, ſed ſemper alacres, & promptos ad pugnam eſſe: atq; ideò, ita gaudent militarem artem in ſuis regnis exerceri, quaſi præſens periculum ſemper impendeat. Perſuadent enim ſibi meritò, eos, qui pace, & tranquillitate fruentes bellicam exercitationem intermittũt, non poſſe facilè tempore belli rurſus ad arma aſſuefieri: ſicutq; nemo aliarum bonarum artium ſcientia breui tempore imbuitur, nec repentè, teſte Diuo Hieronymo, fit ſummus: ita etiam nullum poſſe in bellicis rebus inſignem eſſe, niſi diu, multùmq; in eiſdem ſit verſatus: præſertim cùm otium, quod tantoperè in Europa fugitur, adoleſcentium animos emollire, & enetuare ſoleat. LEO. Si talis eſt in Europa exercitatio, boni ſanè milites incolæ iſtius regionis euadent. Sed ſcire aueo, quoties bellicum canitur, cogãtur ne omnes populares, atq; equites viri regem, vel ducem à rege conſtitutum cum armis ſubſequi? MICHAEL. Ad arma ſumenda inter Europeos nemo cogitur: cùm equites, ac nobiles viri ita ſuos reditus obtineant, vt annuos tantũ cenſus regi perſoluere debeant, ad alia liberi, atq; immunes: cùm item populares homines ita occupationibus ſuis diſtineantur, vt liberum vnicuiq; ſit, ſuo artificio victum quærere. Nobiles igitur, & præſertim illi, qui regiæ familiæ homines appellari ſolent, ab ipſis regibus ad arma in aliquibus euentibus, grauiſsimiſq; periculis deſignari, & mitti poſſunt, præſertim ſi rex ipſe ad bellum proficiſcatur. In cõmunibus tamen bellorum tumultibus, quoties ſignum datur, illi tantùm arma ſumunt, qui ſtipendium mereri volunt: nõ enim ſuis ſumptibus, ſed regio ſtipendio diſtributo pro ſuo quique gradu aluntur. Vnde fit, vt milites Europei non facilè arma relinquant, nec leui aliqua de cauſa domũ repetãt, quemadmodũ in noſtra Iaponia fieri ſolet: ſed diu in eadẽ exercitatione permaneant: præſertim cùm non ſolùm ſtipẽ

dium comparent, ſed etiam, ſi ſtrenuè ſe in bello gerant, multis honoribus cumulentur. Quaproter, etiam ſi per decem, aut quindecim ānos bellum perſeueret, ijdem milites rei bellicæ ſunt ſemper intenti, & è tyronibus veterani in bello exercitatiſsimi euadunt: & ex veteranis tandem emeriti fiunt, & rude donantur, ita vt ad ſenectutem vſq; extremam domi agentes ſtipendia mereant. LEO. Non dubium eſt, quin iſto modo milites bellicam artē exercentes, ſcientiā, atq; vſum rei militaris aſſequantur. Sed quî fieri poteſt, vt reges diu magnos exercitus ex ſuo ærario alant? MICHAEL. facilè id præſtant Europei reges propter redituum opulentiam, ærariaq;, auro, atq; argēto refertiſsima: vnde fit, vt multos annos ingentem militum multitudinem in armis, & caſtris habeant. LINVS. Cupimus ſcire, quænam eſſe ſoleat in vnoquoq; exercitu militum multitudo, quiſue ſtipendij ſoluendi modus? MICHAEL. Multitudo militum in exercitibus certa ſtatui non poteſt: cùm nonnunquam quindecim millia, interdum viginti, triginta, imò & quinquaginta, & centum millia expleat, iuxta belli periculum, ac regum inter ſe pugnantium potentiā. His autē militibus, quos pedites eſſe intelligite, adiunguntur equitum alæ, peditum multitudini reſpondentes, & modò duo millia, tria, ſex, octo, aut decem millia, & eò plura equitum continentes. Cùmq; hi equites, & pedites accommodatis armis ſint muniti, mirum eſt, quale ornamentum, quámq; iucundam oculis ſpeciem exercitus rectè diſpoſitus præ ſe ferat. Quales verò ſint huiuſmodi milites, ex delectu diligentiſsimè habito intelligi poteſt: non enim quicunq; rudes, & imbecilles, ſed viribus valentes, & aliqua ex parte armis aſſueti deliguntur. Solet nanq; in primis dux ſupremus militiæ deſignari, qui ſemper eſt nobili, atq; illuſtri loco natus: deinde inferiores alij præfecti, quorū nomina longū eſſet enumerare: ex quibus aliqui delectū militū habituri, per omnes regni partes mittuntur, & præcipuos quoſq; milites, parte ſtipendij ſtatim ſoluta, conducunt, & ad deſignatum locum cogunt: qui verò ſtipendio accepto ſe ſe occultant, vel effugium aliquod, euadendiq; inſultā occaſionem quærunt, capitali pœna plectuntur. Inter hos autem milites varij ſunt ordines, & gradus: nam præter varietatem equitū, & peditum, quidam ſclopis vtuntur, alij haſtis, vel bipennibus, aut pilis, alij arcubus, vel alio telorū genere: vt omittā arma, quæ ad defen-

ſionem corporum pertinent, vt galeas, caſſides, thoraces ferreos, lorica hamis tenuiſſimis optimè confectas, & alia huiuſmodi. Inter equites quidam ſunt velites, ſiue leuis armaturæ, alij cataphracti, ſiue grauis armaturæ: illi vnico equo, hi duobus, illiſque frequenter mutatis vtuntur, illi leuiores haſtas, hi grauiores geſtãt, quib⁹ poſt quàm hoſtẽ petũt, ad gladios varij etiam generis venitur, & cominùs acerbiſſimè pugnatur: cùm autem horum militum varij ſint ordines, variaq; armorum genera, ſtipendiorum etiã vnicuiq; ordini deſignata eſt varietas. Nam haſtarij cõmunibus militibus præponuntur, haſtarijs quiſcloppis vtuntur, his velites, velitibus cataphracti ita vt nullus ſit, qui ſaltem ſingulis menſibus trium aureorum ſtipendium non obtineat, & aliqui, ſcilicet grauis armaturæ equites, ad decem aureorum mercedem menſtruam perueniant. Vltra hoc autem ſtipendium ſingulis perſolutum, ſingularium cohortium præfectis, quorum ſtipendia ſunt multò maiora, ducenti, vel trecenti aurei traduntur in milites diſtribuendi, iuxta meritorum magnitudinem. Nec verò his ſtipẽdijs contenti ſunt reges, ſed ducibus, præfectiſq; magnos honores deferunt, & ampliſſimos reditus attribuunt: quò magis cæteri ad arma, & bellicas laudes excitentur. LINVS. Age nunc Michaël de militum ordinibus, eorumq; magiſtratibus. MICHAEL. Quod attinet ad militũ ordines, diſponuntur illi quidem optimè per ſuas legiones, cohortes, centurias, manipulos, quibus ſingulis ſinguli præfecti adiunguntur, vltra cohortium diſpoſitores, & ſigniferos, ſiue vexillarios, qui poſt præfectos, proximum in cohortibus locum obtinent. Præter hos autem ſunt alij pluribus cohortibus præpoſiti, ſupra quos quidam peditatui, alius verò equitatui, ſiue velitum, ſiue cataphractorũ præeſt, qui omnes pro ſua dignitate, conſilio, & authoritate valent. Vltra hos etiam eſt quidam, qui caſtrorum metator dicitur, alius quæſtor, quorum prior locum caſtris metandis deſignat, aggeribuſq;, & vallis, cùm neceſſe eſt, munit: alter ſtipendijs ſoluendis præficitur. His ergo omnibus ſuũ ordinẽ tenentibus ſupremus dux præſidet, qui cùm ſanguine, fortitudine, alijſq; dotibus præcellat, regiamq; maieſtatem referat, apud omnes præfectos ſumma quadam authoritate pollet. Eſt autem in omnibus militibus erga tribunos, centuriones, & reliquos magiſtratus, de quibus dixi, & in his erga ſupremum ducem reuerẽ-

tia, atq; obedientia talis, vt vix verbis explicari possit: tum quòd omnes ij, qui rei bellicæ dãt operam, huiusmodi venerationem, obseruantiamq; præstare, dignitatis, & honoris sui maximè esse credant: tum etiam quòd illi, qui ex abiectione animi minùs dedecoris notam fortasse pertimescunt, timore certissimæ pœnæ, à quacunq; leui culpa arceantur. Solet enim inter Europeos ita disciplina militaris vigere, vt grauiter, & seuerè in milites quacunq; ratione ab officio, vel ab statione sua declinantes animaduertatur. Siue igitur sint in castris, siue iter faciant, siue deniq; hostem aggrediantur, & manum conserant, mirũ est, qualis ordo, qualisq; omnium dispositio seruetur: ad quod præstandum maximè conducit castrorũ magistri, siue metatoris cura, & diligentia, qui è supremi ducis mandato stationes singulis seruãdas præscribit, & nequaquã patitur, milites passim, ac temerè de illis decedere. LEO. Accede iam Michaël ad aciem Europeo more instruẽdã. MICHAEL. Quod attinet ad aciem, totiusq; exercitus dispositionem, quamuis variarum prouinciarum, regnorumq; varia sit consuetudo: tamen plerunq; exercitus instar lunæ mediæ sui parte lucentis, duo cornua habere consueuerunt, quæ equitum alis muniuntur, pedites bus in medium locum relectis, ijsq; ordinem suum diligenter seruantibus, Verùm enim verò in toto exercitu trium partium ratio habetur, primæ videlicet, postremæ, & mediæ. Prima est illa, quæ alis equitũ vtrinq; cincta, tormenta bellica secum gestat: in media dux totius exercitus, & rex, si fortè adsit, statione habet, cum præcipuis quibusq; optimatibus: in postrema, quæ etiam magnam vim militũ continet, portantur ea, quæ ad alendum exercitum sunt necessaria. Mirum est enim, quàm multæ, variæq; res tum ad victum, tum ad cultum pertinentes in exercitu, præsertim amplo, deferantur, quàm multiq; mercatores ad merces suas vendendas eò cõfluant: ita vt non partẽ exercitus, sed nundinas, & publicũ mercatũ esse dixeris: tabernæ autẽ eo ordine disponuntur, vt locus ille non in castris, sed in nobili aliqua vrbe situs esse videatur. Iam verò quid dicam de toto exercitu tam varijs tẽtorijs, tantoq; artificio confectis exornato? quorum speciem intueri potuistis in eo à nobis allato, quod superioribus diebus non sine maxima commendatione, & admiratione vidistis. Vltra quod ornamentum, decorem etiam non paruum addunt exercitui varia signa, & vexil-

vexilla, quæ in ſingulis cohortibus deportantur, quæq; milites intuentes, ſigniferum ſuum, ſtationemq; recognoſcunt: arma item ſplendidiſsima ſolis luce coruſcãtia, veſtes denique pretioſiſsimæ, quibus non nulli armã tegere cauſa maioris ornatus ſolent. LINVS. Omnia iſta à te commemorata iucundiſsima ſunt: ſed agè iam modum cõmittendi prælij, conſerendæque manus expone. MICHAEL. Cùm primùm exercitibus ad congreſſum accedentibus confligendum eſt, ante omnia ſupremus dux milites ad pugnam fortiter, & ſtrenuè cõmittendam adhortatur, tum propoſita ſpe victoriæ, tum etiam reuocata in memoriam diuina gloria, quam Chriſtiani homines cum Chriſtiani nominis hoſtibus pugnãtes, ante oculos habere conſueſcunt. Militibus iam ad pugnam excitatis, primò bellicis tormentis pugnatur, globiſq; miræ magnitudinis iactis, hoſtium ordines diſsipantur: vlterius anteriores partis cornua, ideſt vtriuſq; alæ equites aduerſarios magno impetu haſtis aggrediũtur, quantãq; poſſunt ſtragem edunt: hos ſequuntur pedites ſclopis vtentes, gladeſq; ferreas in hoſtes iacientes: donec eminno propter hoſtium propinquitatem ad ſtringendos gladios, manũque conſerendam deueniatur. Interim autẽ dux maximus præter cæteros omnes vigilans, cui loco ſubueniendum ſit, & quò præſidia militum ſint mittenda, diligenter prouidet: & nunc huc, nunc illuc ſubſidiarios milites ire iubet: atq; ita in prælio perſeueratur, donec omnibus copijs inter ſe commiſtis, & cõmiſtis, quasnam partes victoria ſequatur, cognoſci poſsit. Præterea aliqua, quæ etiam ad prælij grauitatem faciunt, quales ſunt crebri ſonitus claſsicorum, tubarũ, tympanorum, atque ſimilium inſtrumentorum, quibus aſsiduè pulſatis magnoperè militum animi ad pugnandum concitantur. Mitto item, ante communem prælium, varias excurſiones, & priuata certamina, quæ ſæpiſsime ineuntur ad militum virtutem periclitandam. Taceo denique eum ordinem, qui ſeruatur, dum receptui canitur, & ſinguli in ſuas ſtationes redeunt: in quibus omnibus artificium cum magno vſu coniunctum ſpectari ſolet. LEO. Admirabilis eſt ſanè iſte congrediendi modus, nec enim iſtos homines ex carnibus, neruiſq; conpoſitos, ſed veluti ferreos, & adamantinos dixerim, qui talium tormentorum, globorumq; vim non dubitant ſuſtinere, vt laudem, & victoriam conſequãtur. MICHAEL. Multò admirabilior eſt ſanè oppugnatio arcium, multòq;

tòq; magis in illis expugnandis de vita, & ſanguine decertatur. Quis enim non miretur homines ita fortes, mortiſq; contemptores, vt arcē muris, propugnaculiſq; circumvallatam tormentis bellicis munitam, multitudine militum ſtipatam, ita adoriantur, vt velut cùm certiſſima morte ſint pugnaturi, nec dubitent portas perrūpere, ſcalas admouere, & quocunq; modo ſibi aditum ad arces præfaccre? cùm tamen qui intra eas ſunt, non ſegniter, aut molliter ſe gerāt, ſed quātis poſſunt viribus, neruiſq; hoſtium impetum tormentis, ſclopis, aliiſq; armis à ſe repellant: quo congreſſu non dubium eſt, quin maxima copia ſanguinis profundatur, & per media cadauera via ad arcem, victoriamq; aperiatur. Facit ad huiuſmodi arcium propugnationem illud etiam, quod non quicunq; milites, ſed ſelectiſſimi quiq; intra mœnia retineantur. Si enim inter Chriſtianos homines ſit bellum, illæ tantùm arces, vrbeſq; militum præſidijs muniūtur, quæ hoſtium impetum ſuſtinere poſſunt: reliqua verò oppida, quæ non ita munita ſunt, abſque proditionis crimine, deditionem faciunt: nec proinde incolarum libertas, aut vita periclitatur, cùm in medijs etiam bellorum tumultibus, qui propter varios caſus non poſſunt non concitari, mutuæ charitatis, Chriſtianæque germanitatis non mediocria ſigna eluceant. LEO. Miram ſanè animorum magnitudinem eſſe iudico in Europeis hominibus, qui tam graues obſidiones ſuſtinent, tam fortiterq; vrbes oppugnāt. Sed quæro, an illæ obſidiones ſoleāt eſſe diuturnæ? MICHAEL. Cùm arces ita ſint munitæ, fortesq; milites, & fide in reges præſtātes, non poſſunt certamina non in longum tempus produci: præſertim cùm noſter Iaponicus mos inter eos non ſeruetur, cuiuſq; generis viros, ac fœminas intra arcem includendi, ſed primarios milites, vt dixi, ex flore, & robore conductos. Quam ob cauſam in noſtra Iaponia propter victus penuriam facilè à tuendis arcibus deſiſtitur: etſi cùm huiuſmodi non eſt inopia, ſæpe in propugnatione diu, multumq; perſeueratur. Sed nunc, ſi placet, requieſcamus, & huius noctis quiete interpoſita, ad naualia certamina cras accedemus.

LINVS. Placet.

De naualibus certaminibus in Europa committi ſolitis. Colloquium decimum quartum.

LINVS.

MAgnam ſanè nobis mouit admirationem heſterna tua narratio de prælijs in Europa cõmitti ſolitis: ſed quoniã terra, mariq; illa miri dixiſti, de naualibus certaminibus narrationem tuam hodie futuram auidiſſimè oppetimus. MICHAEL. Proſequar libenter inſtitutum narrationis curſum, dicaq; de ijs, quæ ad naualia certamina pertinent: illudq; inprimis admonebo, cùm Europæ partim Oceano, partim Mediterraneo mari alluatur: & vtrunque ſæpe prædonum, atq; hoſtium claſſibus ſit infeſtũ, neceſſariò Europeos reges, ac principes claſſes etiam ſuas munitiſsimas apparare, quibus hoſtiles impetus propulſent, & in piratas tenere, atq; audacter graſſantes animaduertant. Hanc ob cauſam aliæ ſunt naues, quæ oneribus, ac mercibus huc, atq; illuc portandis conducunt, onerariæq; dicuntur: aliæ verò, quæ certaminibus ineundis, prælijſq; committendis inſeruiunt. Atq; hæ quidem cùm variæ ſint, tum frequentiſsimè duplicem habent formam. Quædam enim excelſæ admodùm ſunt, longæ, atq; roſtratæ, & ſolùm ad velificandum accõmodatæ: has Europei vulgari ſermone Galeones vocant: ſolent autem huiuſmodi naues multa, & maxima bellica tormenta portare: ex illis verò ſuperioribus annis celebratiſsima fuit quædã huius formæ, tẽpore Sebaſtiani clariſsimi Luſitaniæ regis confecta, & tot torméta bellica portare ſolita, quot dies in anni periodo numerãtur. LINVS. Deus bone! quæ claſsis tanta erit, quæ poſſit vnã ex iſtis nauibus expugnare, ac deprimere? MICHAEL. Noſtræ quidem naues non poſſent propter imbecillem, & fragilem earum ſtructuram: Europeæ autem quoniam robuſtiſsimæ, etſi non eiuſdem magnitudinis ſunt, quamcunq; grauiſsimam vim vincere, ac repellere poſſunt

poſſunt. MANCIVS. Equidem iuxta id, quod audiuimus, miræ magnitudinis fuit illa roſtrata nauis Sebaſtiani regis: ſed multò maior alia ab illuſtriſsima Republica Venetorum fieri iuſſa, quæ quingenta bellica tormenta portare dicebatur. LEO. Iſtius profectò nauis magnitudo incredibilis eſſe debuit: nec enim etiam ipſæ magnæ vrbes talem tormentorum numerum continent. MICHAEL. Quod dictum eſt à Mancio veriſimum eſt: ne tamen exiſtimetis, omnes roſtratas naues eiuſdem eſſe molis: ſunt enim aliæ minores, & plerunque triginta, vel quadraginta bellica tormenta ferunt: quanuis interdum non nullæ conficiantur vaſtæ illius figuræ, quibus terror hoſtibus incutiatur. Alterius formæ naues militares ſunt longæ illæ quidem, ſed minùs excelſę, in quibus non velorum tãtùm, ſed etiam remorum eſt vſus, quorum tantus eſt numerus, vt in ſingulis lateribus viginti quinq;, & complures remi numerentur, quorũ ſinguli à tribus, vel quatuor remigibus agitantur, & impellũtur: vnde & ipſę naues triremes, vel quadriremes dicuntur: ſuntq; huiuſmodi nauigia ad dimicandum accõmodatiſsima. Cum enim exelſiores illæ naues velificationi tãtùm conducãt, quoties ventus reſidet, & in mari eſt malacia, earũ nullus eſt vſus ad hoſtes aggrediendos: at verò triremes, vel quadriremes, etiam nullo flante vento, ita remis aguntur, vt interdum hoſtes adoriri, & tormentis vexare, non nunquam regredi, & refugere, denique huc, atq; illuc concurſare, & commeare poſsint. Hac de cauſa huiuſmodi nauigia frequentiſsima ſunt apud Europeos in certaminibus cõmittendis: ſolẽt, q; principes Europei iuxta rei neceſsitatẽ nonnunquã decem, triginta, ſexaginta, & eò plures triremes ad defendendam regni ſui maritimam oram paratiſsimas habere. Fuit autẽ videuiginti ab hinc annos horũ nauigiorũ inſigne quoddã certamen, quo tempore ex Chriſtianis principibuss, Hiſpaniæ rex Philippus, & Reſpublica Venera, cum ſummo pontifice ſolennem ſocietatem contra Saracenos Chriſtiani nominis infeſtiſsimos hoſtes inierunt, & triremes ducentas, ac decem inſtruxerunt. Huic toti claſsi potentiſsimæ, ex ipſius fœderis conditionibus, præfectus fuit clariſsimus Ioannes Auſtriacus Philippi regis frater, eius locum proximum tenente illuſtriſsimo duce Marco Antonio Columna ſummi pontificis triremibus præpoſito, & nobiliſsimo viro Sebaſtiano Venerio Venetam claſſem ductante:

qui

qui poſteà ob inſignem illam pugnã dux Reipublicæ Venetæ fuit creatus. Erat triremium Saracenarũ multò maior numerus: ſed Chriſto duce(qui nobis, niſi peccata noſtra impedimento ſint, ſemper opitulari ſolet) Chriſtiani ſempiternã memoriã dignam victoriam reportarunt, centum,& ſeptuaginta hoſtium triremes, cum viginti myopa ronibus capientes,quadraginta alias triremes deprimentes,triginta Saracenorũ millia trucidãtes, quatuor ferè millibus vincula injicientes, quindecim Chriſtianorũ millia ab hoſtibus per diuerſas regiones capta in libertatem vindicantes, præda denic; optima cruſti in patriam redeuntes: quæ quidem victoria digna eſt, quæ cum præcipuis olim memoriæ proditis conferatur: & qui hiſtoriam de ea ſcriptam legunt, non poſſunt non ſummoperè demirari triremium multitudinẽ, bellicum apparatum, ſtragem in hoſtibus editam, aliaque ſtupẽda, quæ in eo prælio contigerunt: præcipuè autem quòd tam multi ex hoſtibus ſint interfecti,& tam pauci ex Chriſtianis,quinq; enim tantũ millia fuerũt,vna ex noſtris triremibus deſiderata: qui numerus tot millibus captiuorũ, qui ex hoſtili ſeruitute liberati ſunt, & tot triremibus in Chriſtianorũ poteſtatẽ redactis egregiè fuit ſuppletus. LEO. Equidem mirã fuiſſe iſtam nauale pugnam exiſtimo: ſi enim vnam mercatorum nauem ad nos aduentantem videntes, & bellicorum tormentorum ſonitum percipientes admiramur:quid eſſet pluſquàm quadringentarũ triremium pugnam intueri? ſed cupimus ſcire, quænam ſit iſta gens Saracenorum,de qua mentionem feciſti? MICHAEL. Gens eſt quædam barbara,& crudelis,partẽ Aſiæ, Africæq; incolens, olim quidẽ Romano imperatori ſubiecta, ſed varijs caſib⁹ ſubſecutis, poſt Romani imperij inclinationẽ ſui iuris facta, duce peſtilẽtiſſimo homine Mahometo,cuius aſſeclæ Mahometani dicti ſunt. Ille, vt faciliùs hanc gentem ignaram,imperitãq; in errorem inducerer,finxit,ſe hominem à Deo miſſum, & libertatem vinẽdi cum quibuſdam ritibus externis coniungens,treſq;pugnantes inter ſe leges Chriſtianam,Ethnicam,& Iudaicam, prout modò à Iudæis traditur,peruerſe commiſcens,falſam quandam ſectam confinxit, in qua aliquam noſtræ veritatis partem multis erroribus inquinauit: & Deum ad ſuum arbitrium fingens, multa falſa, & fabuloſa illi attribuit. Cõtra huius ſectæ obſeruatores cùm à Romano imperio defecerint, & Chriſtiani nominis ſint hoſtes,

perpetuũ Chriſtiani bellum gerunt. LEO. Peſtilentem ego quidem, & facinoroſam iſtam gentem arbitror, quæ tam diuerſas religiones commiſcuit, & in vnam contulit, veritatiq; aliquam partem cum falſitate, & erroribus copulauit. Sed rogo, an etiam Chriſtianis principibus cum alijs gentibus ſit bellum? MICHAEL. Commune, & aſſiduè ſuſceptũ bellum Chriſtianis regibus contra Saracenos eſt, quòd non ſolùm à Chriſti religione ſint alieni, ſed etiam terra, mariq; latrocinia exerceant, & ex rapto viuat, præterea alijs perditiſſimis moribus ſint dediti: adeò, vt etiam ipſos ethnicos Deorum falſo cultui addictos, morum peruerſitate ſuperent. Non tamen deficiunt alia etiam bella inter ipſos Chriſtianos principes iuſtis aliquibus de cauſis nonnunquã coorta, quæ tamen cauſæ diligenter perpenduntur, nec, niſi dignæ, aç debitæ, maturo conſilio adhibito, iudicentur, ab ipſis arma ſumuntur. LEO. Locus hic occaſionem præbet mihi interrogandi, quam conditionem ſubeant captiui, ſiue deditiij, mortiſine, an perpetuæ ſeruitutis, vt in noſtra Iaponia fieri conſueuit? MICHAEL. Neutram iſtarum conditionum ſubeunt illi, qui in bello inter Chriſtianos geſto capiuntur, aut neceſſitate compulſi ſe dedunt. Omnes enim hi vel alijs captiuis, ſi forte ſint, cõmutantur, vel liberi dimittuntur, vel deniq; perſoluta aliqua pecuniæ ſumma ſe redimunt: antiqua nanque conſuetudine vim legis obtinẽte inter Europeos ſtatutũ eſt, ne quis Chriſtianus in bello captus ſeruire cogatur. Aliter tamen res agitur cum illis, qui ex Mahometanis, ſiue Saracenis ſunt: hi enim cũ ſint barbari, & Chriſtiani nominis hoſtes, poſt prælij conflictum capti, in perpetua ſeruitute manẽt. LEO. Nullus ergo eſt Chriſtianus, qui, quoniam ſit in bello captus, inter Chriſtianos ſeruitutis legibus teneatur? MICHAEL. Nullus prorſus eſt ita capite minutus: atq; id, certa, & veteri, vt dixi, conſuetudine obſeruatur: imò verò miratur Luſitani, atq; Europei omnes, tantam eſſe in noſtris hominibus auaritiam, pecuniæq; comparandæ cupiditatem, vt mutuò ſe vendant, grauemq; Iaponico nomini infamiæ notam imponant. Præterea nos ipſi ſæpe per varias itineris noſtri partes Iaponenſes homines venditos, & in ſeruitutem redactos intuentes, non potuimus non graui iracundiæ ardore in noſtram gentem exclamare, quæ totius pietatis oblita, indigenas homines eiuſdem ſanguinis, & linguæ tã vili pretio à ſe abdicat, quaſi

ſint pecudes, vel iumenta. MANCIVS. Iure optimo de noſtra gente conqueritur Michaël, quæ cùm alioqui ſit cultus, & humanitatis ſtudioſa, hac in re totam humanitatem, politioremq; cultũ exuere prorſus videtur: & cupiditatis ſuæ præconium per omnes ferè gentes mittit. MARTINVS. Ita ſanè eſt: quis enim non miſeratione cõmouea tur, videns tam multos noſtræ gentis viros, ac fœminas, pueros, & puellas in tam varias orbis partes, tam paruo pretio abripi, ac diſtrahi, miſeramque ſeruitutem patiſ? nec enim ſolùm Luſitanis vendũtur, id nanq; facilius tolerari poſſet, cùm Luſitanorũ natio erga ſeruos clemens, ſit, ac benigna, eoſq; Chriſtianæ doctrinæ præceptis imbuat. Sed quis æquo animo ferat, noſtros homines per tam diuerſa regna, abiecta tum etiam gentiũ, fallæq; religioni deditarũ diſſipari, ibiq; non ſolùm inter barbaros. & nigro colore homines triſtem ſeruitutẽ ſuſtinere, ſed etiam falſis erroribus imbui? LEO. Equidem rectè dixiſtis: ſuperenim in Iaponia vitio vertere ſoliti ſumus huiuſmodi vẽdẽdi Iapones ſes homines conſuetudinem: ſed ſunt qui culpam hanc totam in Luſitanos, & patres Societatis conijciant: quorum alij tam auidè Iapones ſes homines emũt, alij verò eiuſmodi emptiones auctoritate ſuâ non impediunt. MICHAEL. Luſitanorum prorſus nulla culpa eſt: cùm enim ſint mercatores, non eſt illis in vitio ponendum, ſi noſtros homines ſpe lucri emant, & poſteà in India, alijſq; locis ex eorum vẽditione quæſtum faciant: tota ergo culpa noſtrorum eſt, qui etiam ipſos filios, quos chariſsimos habere deberent, paruo accepto pretio è matrum gremio diuelli, tam facilè patiuntur. Quod verò ad patres Societatis attinet: vt intelligatis, quàm aduerſa ſit eorũ mens ab eiuſmodi venditionibus, & emptionibus, ſcire etiã vos oportet, eos magna cura, ac diligentia à rege Luſitaniæ regium diploma impetrauiſſe, quo graui pœna prohibetur, ne quis mercator in Iaponiam veniens, ſeruum Iaponenſem emat. Sed quid prodeſt huius edicti ſeueritas? cùm noſtri homines ea ſint cupiditate, vt fratres, conſanguineos, ſocios, alios deniq; vi, ac dolo raptos, clàm, & latenter in naues Luſitanorum inferant, ipſoſq; Luſitanos partim precibus, partim pretij leuitate ad emptionem ſeruorum ſolicitent. Quæ potiſsimùm excuſatione Luſitani culpam violatæ legis tegunt, affirmantes, ſibi ab ipſis Iaponenſibus importunis precibus quodammodo vim inferri. Nec ve-

rò inter Luſitanos cum noſtris hominibus malè agitur: nam præterquàm quòd Chriſtianæ doctrinæ documenta perducunt, indulgentia ſumma quaſi liberi inter eos habentur, & paucis elapſis annis liberi dimittuntur. Non tamen ideo eluitur macula, quam huiuſmodi ſeruituti anſam præbentes, noſtri homines contrahunt, ideoq; graui inter nos pœna mulctandi eſſent, quicunq; huius criminis rei fierent. LEO. Inter alias leges à Quambacũdono vniuerſæ Iaponiæ principe ſancitas, non eſt minima ea, qua Iaponenſium venditiones prohibentur. MICHAEL. Optima quidem lex iſta eſſet, ſi inferiores magiſtratus, ad quos eius obſeruatio pertinet, in ea ſeruanda non conniuerent, nec venditores impunitos abire paterentur. Quapropter neceſſe eſt, vt tum ipſi magiſtratus legem ſeueriſsimè obſeruandam curent: tum etiam dynaſtæ, portuumq;, ad quos naues appelluntur, domini id ipſum cuſtodiri, grauiſsimis indictis pœnis præcipiant. LEO. Æquum eſt, vt id noſtris dynaſtis, ac principibus tanquam Iaponiæ vtile, ac neceſſarium ſubijciatis. MICHAEL. Nos quidem ſubijciendum, inculcandumque curabimus: timeo tamen, ne apud nos plus valeat priuatæ vtilitatis ſpes, quàm cõmunis boni ratio: hæc enim cùm Europeis ante oculos ſemper ſit, nequaquá prauas has conſuetudines in regna ſua introduci permittunt. Sed redeamus ad ea, de quibus nobis erat ſermo. LINVS. Agebamus de vi naualium certaminum, quæ cùm tanta ſit, tum in maritimis, tum in terreſtribus prælijs, facile profectò erit, etiam ampliſsimum regnum vno prælio corruere, & concidere. MICHAEL. Nequaquàm id facile eſt, nec enim tota vis regni in vno conflando, muniendoq; exercitu, atq; vno prælio cõmittendo ponitur, ſed magna etiam in muniendis arcibus collocatur. Quæ cùm multæ ſint, ac fortiſsimæ, vſitatũ à regibus, & principibus eſt, omiſſo prælio, in arces ſe recipere, & ibi diu abſq; periculo cõmorari, æquiſq; conditionibus cum aduerſarijs paciſci. Præſertim cùm, ſi inter Chriſtianos res agatur, ſummus ipſe pontifex autoritate ſua interpoſita, cui maximè reges ſe ſubmittunt, in gratiam eos reconciliet, & totam controuerſiam dirimat. LEO. Quid? quòd difficillimè admodùm poterunt opes, facultatesq; regiæ ſuppetere, ad tam graues ſumptus faciendos, tum ad bella naualia, tum etiam ad terreſtria. MICHAEL. Sumptus quidem magni ſunt, ſed opes regiæ ſufficiunt: ita ſunt vberes, & opulentæ

lentæ! nam in ſingulis triremibus quotánis quinq; aureorũ millia con ſumuntur: ex quo videre licet, quæ expenſæ in magna triremiũ claſſe fiant, quas ſuperant ſumptus in roſtra, is nauibus, alijſq; eiuſdem magnitudinis apparandis. MANCIVS. Sed quid dici poteſt de his ſumptibus, quos item faciunt in armarijs omni bellico apparatu refercien dis? quæ ſanè ita ſunt armis, militaribuſq; rebus inſtructa, vt ſemper Europei principes ad bellum accincti eſſe videantur. Huius abundantiæ, copiæque admirabilis nos ipſi oculati teſtes ſumus: qui in aliqua armorum promptuaria ita rebus bellicis ornata ſumus intro ducti, vt quinquaginta hominum millia, & eò plura ibidem armis nu niri poſſe iudicaremus. LINVS. Profectò mirari non deſino mecum ipſe conſiderans, quæ nam ſint ærariæ ad tam graues expenſas ſuppetentia. MICHAEL. In progreſſu noſtrorum colloquiorũ vobis latiùs explicabimus multa de magnificentia ſumptuum Europeorũ, & copia earum rerum, quæ ad rem militarem pertinent, de qua modò Mancius breuem mentionem fecit. LEO. Agè nunc explica, bellis confectis, & peractis, quomodo ſe reges cum militibus gerant, qua ve mercede, & præmio eos remunerent? MICHAEL. Remunerãt eos eo præmio, quod Europæorum principum magnificentiam decet: præſertim ſi ſint milites veterani, & qui diu ſtipendia meruerint, eos enim iam emeritos annuis reditibus donant, & quibus poſſunt cõmodis labores, moleſtiaſq; in bello ſuſceptas compenſant: deniq; nullus eſt, qui non regiam in ſe liberalitatem experiatur. Quòd ſi erga milites ita ſe habent, facilè colligere poteſtis, quæ nam ſit erga nobiles, atq; equites, alioſq; viros illuſtres eorum beneficentia, quæ quidem tanta eſt, vt ex propenſa regum voluntate in homines præclarè in bello ſe gerentes, comitum, aliorumq; dynaſtarum dominatum magna ex parte ortũ, & originem habuiſſe, certiſſimum ſit. LEO. Quandoquidem de emeritis militibus dixiſti: ſcire cupimus, an etiam in Europa reges, & alij principes muneribus ſuis perfuncti ſe ſe abdicent, & filijs, vt in noſtra Iaponia fieri ſolet, regni adminiſtrationem committant? MICHAEL. Iſta conſuetudo, quæ inter noſtros obſeruatur, prorſus inter Europeos nõ eſt: nec enim æquũ iudicãt, vt rex poſt aliquot ãnos in regni adminiſtratione conſumptos, cùm primùm rerũ experientia, negotiorumq; tractatione edoctus eſt, tunc regio munere ſibi abro

gato

gato filio adoleſcenti inexperto, & minimè in rebus verſato gubernaculum regni tradat, & ſanè ſi velimus noſtrorũ Iaponenſium bellorum cauſam exquirere, non minimam eſſe inuenietis: quòd reges & dynaſtæ qui propter ætatem, & negotiorum cognitionem authorite valent, priuati viuant, & iuuenes regni clauum tractantes, nondum maturo iudicio, rerumq; vſu præditi, omnia cõmiſceãt, & conturbent. LEO. Iſta ratio à te reddita valde mihi placet, ſed vnum ſcrupulum, dubitationemq; mihi iniecit iſta Europea conſuetudo: videtur namque regum filijs dominatus occupandi, proditionisq; machinandæ occaſionem dare: cùm enim natura comparatum ſit, vt adoleſcentes, præſertim tam nobili, & excelſo loco nati, iugum imperij difficile pati antur, & primam ſedem vehementer appetant, facile erit aduerſus parentes coniurationẽ conflare, atq; eos per ſummũ ſcelus de medio tollere. MICHAEL. Nullum profectò iſtius mali eſt periculum, rebus Europæ diligenter cognitis. Nam inprimis, vt iam ſuperiùs diximus, & aliquoties repetendum eſt, tantus eſt filiorum in parentes amor, tãtaq; viciſſim parentum erga filios benignitas, vt nulla tanti criminis ſuſpicio in Europeos mores cadat, quod vel ex eo exẽplo perſpicere poteſtis Luſitanorum monumentis tradito. Cũ enim Alfonſus Luſitaniæ rex, huius nominis quintus, iã ferè quinquageſimũ annũ agens, belli grauiſſimi, quod ſuſceperat, adminiſtrandiq; regni tædio afficeretur, & iter Hieroſolymam ad ſanctum Chriſti ſepulchrum inſtitueret, filio Ioanni, iuueni prudentia, alijſq; naturæ bonis cumulato gubernaculum regni reliquit, ſtatuens in ea regione, quæ Chriſti in terris olim agentis eſt inſignita veſtigijs, reliquum vitæ ſpatium piè, ſanctèq; traducere: ſed cùm omnium ferè Europeorum regum, ipſius que ſummi pontificis precibus ab incepto itinere reuocaretur, effici oſa quædam, & pietate pleniſſima inter parentem, filiumq; orta eſt cõtentio: dum parens priuatus in regno viuere ſub filij adminiſtratione cupit: filius contrà regium munus exercere patre viuente penitus reculat: filij tamẽ preces adeò vehementes fuerunt, vt patrẽ ad locum regium rurſus obtinendum, etiam tergiuerſantem compulerint. Vnde colligere poteſtis, quàm aliena ſit Europeorũ mens à crimine proditionis. Huc accedit, quòd principes regum filij, à parentibus peramanter, & perhonorificè tractentur, ita vt poſtquàm adoleſcunt, pro-

pria

pria domicilia, proprioſq; aulicos magiſtratus habeant, amplos redit' poſsideant, in partem curarum, gubernandique conſilium à parentibus uocentur, denique paulatim ad futuram integram gubernationem ſe exerceant: quo fit, vt in magno erga parentes amore, & populi bene uolentia, & veneratione viuant. LEO. Magna iucunditate nos iſta à te dicta afficiunt: ſed explica, obſecro, quomodo filij regum in parentum mortuorũ locum ſuccedant? MICHAEL. hîc te mihi offerebat campus ad dicendum de conſuetudine, quæ, regibus morbo oppreſsis, & extremum ſpiritum profundentibus, obſeruari ſolet, de delicijs, quibus morborum moleſtiæ ſublenantur, de vario medicamentorum genere, de funere amplo, & magnifico, quo eorum cadauera efferũtur, de precibus pro illis à toto populo ad Deum adhibitis, de lugubri ac pulla veſte, quam omnes homines in eorum morte induũt, de ſepulchrorum magnifico apparatu, ad eorum perpetuam memoriam conſeruandam. Sed hæc, ne plus debitò narrationem proferã, ſilentio prætereo. Eorum verò partem aliquam intelligetis ex tabellis quibuſdam à nobis allatis, in quib' funus Caroli quinti Imperatoris, & Philippi Hiſpaniæ regis patris, eidem parenti à filio factum, celebratumq; mirificè depictum eſt. Vide funerum Europeorum magnificentiam, & ornatum velut ex ſigno quodam conijcere licebit. Quoniam autem non nulla ex ijs à me hîc tantùm per capita breuiter recitata, in ſequentibus colloquijs attingẽtur, ſolùm illud dicã, mirum eſſe populi applauſum, cõmunemq; celebritatem, cùm principes regum filij parentibus mortuis per medias vrbes, & oppida reges proclamantur, & totius populi conuentus diuturnam illis ſedem, vitamque precatur. Hæc tamen etiam ex ſequentibus magna ex parte intelligetis: nunc ad ipſarũ vrbiũ, oppidorumq; magnificentiam accedã, ſi tamen narrationem huius noctis quiete interimerimus. LEO. Nos tibi tam iucunda narranti felicem noctẽ, quietemque precamur.

De magnitudine vrbium, & templorum ornatu, aliorumque ædificiorũ magnificentia. Colloquium decimum quintum.

LEO.



Vidimus eas tabulas, in quibus funus Carolo quinto Imperatori factum optimè depictum eſt, & ex eis facilè coniecimus, quàm magnifici ſint ſumptus Europeorum in morte principum decernda: vnde etiã ſatis conſtat, quam graues, atq; amplæ ſint eorum expenſæ in ipſa vita tuenda, & conſeruanda. Verùm cupimus aliquid à te audire de vrbium, templorum, aliorumq; ædificiorum magnificentia, eam enim non minùs mirabilem in Europa eſſe ſuſpicamur. MICHAEL. Mihi quidem de iſta tam graui materia dicere aggredienti occurrit illud Timantis clariſsimi pictoris exemplum, quod Europeorum libris proditũ eſt: qui cùm in tabula quadam, mortem cuiuſdam fœminæ nobiliſsimæ, nomine Iphigeniæ, Agamẽnonis Argiuorum regis filiæ depingeret, & conſanguineos circunſtantes triſtes admodũ, & mœrentes expreſſiſſet, ad patrem perueniens, eius luctum, & triſtitiam penicillo ſe aſſequi non poſſe exiſtimans, artificioſè ſimul, & prudenter vultum velo contexit, magnum aliquod mœroris, atq; luctus argumentum eo integumento indicans. Non ſecus ego de Europæ vrbibus, ædificijſq; mira arte, & varietate extructis coram vobis dicturus, eorum venuſtatem, ſplendorem, atq, elegantiã ne adumbrare quidem dicendo me poſſe, mihi perſuadens, velo quodam taciturnitatis, & ſilentij hæc omnia obuoluere ſatius eſſe ducerẽ, ſi per vos mihi liceret. Verùm quoniam ſemel de Europæ rebus dicere cœpi, audacter iam vlteriùs progrediendum mihi eſt, & aliquid de ædificiorum magnitudine dicendum. Narrationis tamen meæ penuriam, ac ieiunitatem

nitatem ſupplebunt magna ex parte libri, quos attulimus de ædificijs, atq; vrbibus Europeis, quas partim vidimus, partim auditione accepimus: in quibus, quantum typorum ars attingere poteſt, ædificiorum Europeorum nobilitas, & magnificentia expreſſa eſt. Atq; vt in primis de vrbibus communia quædam dicam, minutiora ad progreſſum narrationis reſeruans, magnum ſanè diſcrimen eſt inter modos habitationis ab Europeis, & Iaponenſibus vſurpari ſolitos: noſtri nanq; Iaponenſes præſertim nobiles non tanta frequentia in vrbibus, atq; oppidis habitant, ſed plerunq; in ſuis agris, atq; prædijs locum ſibi deligere ſolent, ibiq; libentiùs, & iucundiùs commorari. Europei autem nobiles longè diuerſum habitandi vſum habent: quanuis enim interdū agraria habitatione, & ruſtica quiete delectentur, vt animos negotiorum moleſtijs oppreſſos releuare, & relaxare poſſint: quia tamen communis, & vſitata illorum habitatio, eſt vrbana, non minorem dili gentiam ad extruenda in vrbibus domicilia, quàm ad deliciarum, & voluptatum ruſtica diuerticula conferre conſueſcunt. Hinc fit, vt, cùm nobiles viri, atq; dynaſtæ de vrbanis ædificijs tantopere ſint ſolliciti, vrbes non ſolùm populoribus, & mercatoribus, vt noſtræ Iaponenſes, frequententur, verùm etiam nobiliſſima magnatum, & primatum turba decorentur, ita vt non modò illæ, in quibus reges habitant, ſed etiam aliæ per totum regnum ſparſæ valde celebres, & frequentes ſint. Cùm verò de hac re nobiles inter ſe æmulatione quadam, atq; inuidia decertare ſoleant, mirum eſt, quàm magnæ ſint ædificiorum machinæ, quæ cùm binas, ac ternas contignationes habere ſoleant, vrbes ipſæ nō ſolùm multitudine domuū celebrimq, verùm etiam aſpectu pulcherrimæ redduntur. Accedit ad nobilitatem vrbium Europearum multitudo religioſarum domuum, earumq; mirabilis amplitudo: in multis enim vrbibus quinquaginta, centum, & in aliquibus ducenta templa numerare licet: in oppidis autem minoribus decem, viginti, & triginta paſſim reperies huiuſmodi tamen templa non vnicam tantùm domum ſacram ad preces recitandas habere, exiſtimandum eſt, ſed cùm à religioſis viris, & fœminis incolantur, multa continent domicilia, multaq; receptacula, ad eorum opportunam habitationem: quæ quot ſint, & qualia, ex numero ipſorum religioſorum hominum conijcere poſſis. Viuunt enim in eodem cœnobio, vel collegio viri aliquando cen-

tum, imò & ducenti: nec minor eſt numerus ſacrarum virginum, quæ in partheonib⁹ delitescũt: cùmq; vtraq; multitudo ex nobilibus ſæpe cõfletur, & ex amplis reditib⁹, vel eleemoſynis viuat, facilè intelligetis, qualis ſit horũ ædificiorũ ſtructura. Vltra hæc autem cœnobia, ſunt etiam alia templa, velut vrbanarum parœciarum capita, vbi ſacerdotes ordinis diui Petri, vt vocant, diuinas preces recitare ſolent: quibus omnibus præeſt epiſcopus, ſiue pontifex in ſummo templo propriam ſedẽ habens. Atq; hinc eſt, quòd tanta ſacris addictorũ hominũ multitudo in vrbibus inueniatur. LEO. Mihi ſanè iſte religioſorum hominũ, templorumq; numerus admirationem mouet: & ex iſtis tantùm hominibus, atq; locis vrbem integram conſtare poſſe, mihi perſuadeo. MICHAEL. Huius rei ſicut aliarum habetis teſtes præſentes, qui me vltra veritatem loqui non patiẽtur. MANCIVS. Nos id ipſum teſtimonio confirmamus, imò addimus, illarũ religioſarũ domorum magnificentiã eam eſſe, vt nobis etiam cõmemorantibus vix ad fidem adiungendam, adduci poſſitis: niſi nos ante omnia, in narratione hac veritatem conſectari, omnino vobis perſuaſeatis. Sunt enim pleraque cœnobia in Europa, quorũ ſtructuram centum, & ducentis millibus aureorum conſtitiſſe, certum eſt. Imò non nulla ſunt à regibus, & ſummis pontificibus confecta, quæ ad millies, & bis millies ſeſtertiũm peruenerunt. LINVS. Ita ſanè pecuniã vos numerantes audio, quaſi oryzæ granorum numerum colligatis, nec aliunde id prouenire credo, niſi ex Europearum diuitiarũ amplitudine, quam veſtris oculis eſtis intuiti. MICHAEL. Lepidè ſanè dicis, nos oryzæ granorum eſſe ſupputatores, dum ſumptuum Europeorum ſummam facimus: verùm hæc à fide non eſſe aliena, aliud iam dictũ confirmat, quòd etiam priuatorũ hominũ domicilia triginta ſæpe, & ſexaginta aureorũ millibus æſtimari poſſe, liquidò conſtet. Vnde de regijs palatijs vos ipſi iudicium ferre poteſtis, nec tantopere admirari, ſi in templis, quæ Europei tam religioſe colunt, tantam pecuniæ ſummã conſumptam audiatis. Præter templa, ſacraſq; & profanas domos, ſunt etiã aliæ variarũ ſocietatũ vſũ deſignatæ: dico autem ſocietates, priorum hominum conuentus, qui & ſi religioſam vitam non agunt, operibus tamen pietatis erga miſeros, & calamitoſos homines exercẽdis ſe dedicant. Quædã enim e- his ſocietatibus pecuniam diſtribuunt in homines inopes, qui alioquĩ honeſto

neſto loco nati, emendicatis eleemoſynis viuere erubeſcunt: aliæ ægrotis hominibus inuiſendis, eorumq; moleſtijs ſubleuandis: non nullæ cadaueribus cum ſolenni pompa efferendis, & ſepeliendis diſtinentur: non paucæ in puellis ex honeſta, ſed inopi familia matrimonio iungendis, ne earum fama, virtuſq; periclitetur, operam collocant, & ſingulis annis viginti, & triginta, & eò plures, viris etiam virtute, & honeſtate præditis in matrimonium tradunt: denicq; aliæ alijs pijs operibus, iuxta cuiuſq; inſtitutum, diligenter incumbunt. Sunt etiam aliæ quædã ſocietates præſertim in Italia, vulgari nomine Mentes pietatis appellatæ, quæ in pecunia indigentibus mutuò danda, aqua ex parte occupantur: qua in re ille ordo ſeruatur, vt & receptis pignoribus pecunia abſq; periculo ad Montem pietatis redeat, & pro centenario quirán numero, ſeptenario vltrà ſingulis annis comparato, adminiſtri, qui huic negotio ſunt intenti, vitam alant: quo fit, vt non ratione mutui, ſed ſumptuum, qui fieri ſolent, pecunia vltra ſortẽ corrogata nullũ vſuræ periculũ pariat. Pleraq; etiam ex his ſocietatibus templa, ſiue alia ſimilia loca habent, ad quæ omnes germanitatis quedã iure coniuncti, ſtatis diebus confluunt, & de negotijs ad ſuum inſtitutum pertinentibus vtiliſsimos congreſſus habẽt. Ex quo colligere licet, quàm celebribus locis Europeæ vrbes nobilitentur. Sunt etiam alia multa domicilia in eiſdem vrbibus digniſsima, quæ vobis referantur. Quædam enim appellãtur xenodochia, quæ peregrinis hominibus benignè, & perhoſpitaliter excipiẽdis ſunt deſignata: vbi per aliquot dies externi homines vires reficere, moleſtiaſq; longi itineris alleuare poſſunt. Alia dicuntur noſocomia, in quibus quocunq; morbo oppreſſi diligenter curantur, & medicamenta omnia, aliaq; remedia abſq; vllo ſumptu paratiſsima inueniunt. Et quoniam varia ſunt morborũ genera, varia ſunt etiam noſocomia, vel diuerſis pergulis diſtincta, inquibus ordini, munditiæ, & curationi ægrotorum ægregiè conſulitur. Quæ ſanè domicilia recto ordine diſtributa, morbo laborantibus accommodata, magnamq; hominum multitudinem capientia dignum præbent ſpectaculum, quod ab omnibus externis hominibus cum magna iucunditate videatur. Sunt alia, quæ dicuntur brephotrophia, in quibus pueri infantes à matribus penuria, vel caſu alio expoſiti accuratè recipiuntur, & varijs nutricibus alendi cõmittuntur: quod pieta-

tis genus magni ponderis est, cùm ea ætas tam tenera sit, totq; periculis obnoxia. Sunt deniq; alia, quæ, cùm parthenonũ nomine non sint digna, gynæcea cõmuni vocabulo appellari possunt: ad quæ se se colligunt, facultate habita, fœminæ multæ, quæ ante actæ vitæ annis minùs pulchrè viuentes, ad meliorem viuendi normam se recipiunt, & sacras virgines imitantes in diuinis laudibus, alijsq; operibus vitam traducũt. LEO. Vtilissima ego profectò ista omnia loca esse iudico, quibus tam multa mala, quæ in nostra Iaponia euenire solent, in Europa vitãtur: qualia sunt, stupra virginũ, turpiũ mulierũ prostibula, herbis, aut alijs pestiferis medicamẽtis adhibitis miseræ abortiones, teneris infantulis, vel suffocatione, vel alio crudelitatis genere à propris matribus atrocissimæ neces allatæ: de ægrotis deniq;, & alijs calamitosis hominibus passim præ inopia pereũtibus ab omni humanitate prorsus remotis iniuria: cũ quibus malis Europæ bona collata, Christianæ religionis veritatẽ cõmendant. MICHAEL. Præclarè ista confers, & non parum fructus ex nostris colloquijs videris metere, res Europeas iam recta lance perpendens. Sed non omittam alia vrbium Europearũ loca, quæ nunc communi nomine Academiæ appellantur: & in varijs Europæ regnis, ac præcipuis vrbibus ædificari solent: sunt autem huiusmodi Academiæ amplissima quædam domicilia, & palatia studiosorum iuuenum doctrinæ, cultuiq; designata. Cùm enim Europei nõ solùm disciplinam militarem ad bella gerenda valde necessariam colant: sed etiam multas alias ingenuas artes ad populum gubernandũ, pacemq;, & iustitiam tuendã discant: eorundem studiosorum adolescentum bonis artibus vacantium multitudini, loca hæc celeberrima patẽt: ad quæ vndiq; confluentes omnium disciplinarum præceptis à primis elementis excoluntur. Harum Academiarum in primis ædificia amplissima, & magnificentissima sunt, in eisq; præter capacissima peristylia, & exedras, atria sunt pulcherrima, & aspectu dignissima, quæ discipulorũ conuenientiũ multitudinem percommodè capiunt, scamnis ad sedendum, pluteisq; ad scribendum aptissimè collocatis, cathedris verò excelsioribus, vnde magistri docent, ab omnibusq; audiuntur, opportuno loco repositis. LEO. Quid est quod magistri isti discipulos docent? MICHAEL. Rectè rogas Leo, præbesque mihi materiam dicendi tibi non nulla, pro temporis breuitate, de ingenuis artibus, quæ ab Europeis diligentissimè, studiosissimèq; coluntur: & si

materia

materia hæc integrum saltem colloquiũ requirebat: sed eam in hũc locum inseruisse sit satis: cùm enim de itinere nostro præsertim institutus sit sermo, reliqua omnia quasi cursim dicta accipienda sunt. Antequàm tamen aliquid de ingenuis artibus dicam, præfabor non nihil de Europeis literis, quæ sunt primum, ac certum bonarum disciplinarum fundamentum, quasq; pueri ab ineunte ætate diligenter discunt. Sũt autem huiusmodi characteres ab Europeorum hominum maioribus, primisq; Europæ cultoribus artificiosissimè inuenti. Nec enim, sicut apud Sinas, & nos magna ex parte fieri consueuit, tot sunt rerum figuræ, ac literæ, quot res ipsæ: hoc nanq; præterquàm quòd facile fuerit inuentu, literas nostras, Sinicasq; discentibus est laboriosissimum: adeò, vt multi anni ad legendum, & scribendum vel mediocriter requirantur: nisi forte vti velimus illis syllabis, quæ Canæ apud nos dicuntur, cuius tamen modi scribendi inter doctiores non est vsus. Europei verò viginti tres tantùm habent literas, easq; simplices, quas ita ingeniosè, & artificiosè commiscent, & copulant, vt ex eis primum syllabas, deinde omnia rerum vocabula, dictionesq; conficiant. Quo fit, vt posit harũ literarum notitiam, multò facilius legere, & scribere suo modo possint. LINVS. Rectè ais, nam non nullos ex nostris pueris in seminarijs inuentos fuisse, audiui, qui Europea elementa perlegere, & fingere, mense vno, aut duobus didicerunt. Nostri verò frequentiores characteres, & Sinici longissimum tempus postulant: vnde fit, vt præclarè nobiscum agi posset, si literas Europeas, dummodò illis noster Iapponicus sermo rectè exprimeretur, à patribus Societatis doceremur, quandoquidem in illis discendis est tanta facilitas. MICHAEL. Attigisti sanè rem commodissimam: tam longum enim nostrarum literarum, Sinicarumq; est curriculũ, vt ad alias artes, disciplinasq;, quas nobis patres tradere studeant, ætas nõ supersit. Quædam tamen est in nostris literis vtilitas non contemnenda, quòd multa nostra vocabula, quæ ambigua propter similitudinem soni sunt, commodè, & sine ambiguitate aliqua, illis significentur. LINVS. Non ergo poterunt istis Europeis literis nostra similis, ambiguiq; soni vocabula exprimi? MICHAEL. Fateor aliquantulum difficile esse, ijsdem literis vocabula, quæ ambigũ sonum efferunt, declarari, atq; exprimi vt tamen id adhibitis varijs accentibus, ac notis, effici possit, patres labore suo assecutu-

cuturos esse non dubito. Sed ex literis ad bonas artes transeamus. LEO. Id iã expecto, velimq; istarũ Europearũ artium nobis numerũ propo nas. MICHAEL. Res est, vt dixi, quæ integrum colloquium, imò plu ra postulabat, sed in breuem quandam summam vestri gratia omnes artes referam, vt, quàm multiplex Europeorum studium sit, cognoscatis. Atq; illi quidem in duo ampliſſima membra artes diuidunt: altero eas, quæ de sermone agunt, altero verò illas, quæ de rebus disserunt, complectentes. Sub primo membro Grãmaticam, Rhetoricam, Dialecticã, & quascunq; alias artes, quæ ad sermonem pertinent, comprehendunt. Posterius membrum maius adhuc est, & capacius, multò plures artes continens, quæ breuitatis, & perspicuitatis causa in tres partes secari possunt, primam, quæ de natura agit: secundã, quæ de moribus: tertiam, quę de rebus supra naturam elatis disserit. Ad eam partem, quæ de natura agit, spectant omnes disciplinæ, quæ solo rationis lumine naturas rerum considerant, & contemplãtur (sic enim liceat hoc loco artes, quæ de natura agunt, accipere). Huius ordinis sunt in primis quatuor illæ, quæ Mathematicæ nuncupantur, id est, Geometria, Arithmetica, Musica, & Astrologia: quarum prima de magnitudine, secunda de numeris, tertia de sonis, quarta de his, quæ in cælo notãtur, disputat. Has autem simul cum tribus illis, quæ in sermone versantur, Grammatica videlicet, Rhetorica, & Dialectica, coniunga tis, septenarium efficietis earum artium, quæ, quòd ingenium hominem deceant, liberales communi nomine appellantur. Ad hunc similiter ordinem adiungite Philosophiã, quæ res forma, & materia constantes cõmentatur, illamque aliam, quæ prima Philosophia dicitur, siue, vt vulgari nomine vtar, Metaphysice, quæ res ab omni corporis concretione seiunctas sibi vendicauit: denique medendi artem, quæ morborum genera, medicinæq; varietatem pertractat. Iam verò pars illa, quæ de moribus agit, non solùm Philosophiã, quę à plerisq; moralis dicitur, cùm politica, & œconomica, sed etiam præcipuã vtriusq; iuris, Cæsarei videlicet, & Pontificij tractationem amplectitur: & in vtroq; ad rerum publicarum gubernationem multorum annorum spatium, assiduamq; operam Europei collocare solent. Inter omnes has doctrinas, disciplinasq; locum, principatumq; obtinet illa, quæ res supra naturã positas, fidei lumine intuetur, in qua post Philosophiæ curricula,

se exer-

ſe exercent, præſertim illi, qui religioſam vitam profitentur. LINVS. Dic aliquid de ordine diſcendi, ac tempore, quo in curriculis iſtarum artium perſeueratur. MICHAEL. Poſt literas, de quibus dixi, ſequitur earum artium ſtudium, quæ in ſermone verſantur: poſt quas auditores, iuxta propenſas in varium vitæ genus voluntates, vel iuri Cæſareo, & Pontificio operam nauant, vel peractis Philoſophiæ curriculis omnium artiũ principem Theologiam conſectantur: vel deniq;, ſi placet, medendi arti ſe dedicant. Atq; in harum artium doctrina, quinq;, ſex, decem, & plures nonnunquam annos, poſt grãmaticæ latinæ fundamentum, Europei cõmunit: demumque antecedẽte examine, eruditio miſque pericitatione, laureas ſuas, ſiue gradus tres, infimum, medium, & ſupremum, qui doctoris, ſiue magiſtri dicitur, ſumma cũ laude obtinent, vt vlteriùs aliquoties attingemus: demum publicis muneribus, vel ſacris, vel profanis, iuxta cuiuſq; captũ, perſonæ dignitatem, artium q;, varietatem, funguntur. Atq; hæc breuiter dicta ſint de bonis artibus, dum celebriora loca vrbium Europearũ percurrimus. LINVS. Delectati ſumus mirum in modum iſtarum omnium ingenuarum artium enumeratione, quibus Europei exculti, ſimulq; fidei lũmine illuſtrati, in regnorum, rerumq; publicarum adminiſtratione laudatiſſimè ſe gerunt. Nec mirum eſt, noſtros homines his omnibus præſidijs deſtitutos in rebus ad gubernationem, naturæq; cognitionẽ pertinentibus, tam operè allucinari. MICHAEL. Imò potiùs mirandum eſt, noſtros homines vtroq; hoc auxilio carentes, adeò nobilitatis, vrbanitatisq; gradus, & ordinem aſſecutos, vt hac in re Europeorum quã ſimillimos inter omnes, quos vidimus gentes, eſſe iudicemus. LEO. Iucundiſſimum nobis eſt iſtud veſtrũ iudicium: ſed vlteriùs illud quæ rendũ occurrit, habeantne etiam iſtæ vrbes opificũ frequẽtes officinas, quibus non mediocriter huiuſmodi conuentus decorari ſolent? MICHAEL. Videris velle Leo, vt vobis etiam aliquid de fabrilibus artibus, aliiſq; manu exercitis hoc loco agam. Nec etiam hoc vrbibus Europæis ornamentum deeſt, imò verò aſpectu iucundiſſimum eſt, in celebribus oppidis, tam multos vicos, tam varijs fabris deſtinatos videre, in quibus, quidam aurum, alij argẽtum, alij colores, corium, lapides, pannum, ferrum, & quamcunq; aliam materiã, ex qua opera fiunt, diligenter tractãt, ſingulíq; in ſuis artibus præſtãtiſſimi euadere

re conãtur,eò quòd insignes artifices à regibus,& principibus magnifiant, præsertim illi, qui in nobilioribus artibus versantur. Hîc ego multa vobis de arte texendi, & militari, nautica, agraria, de lanificij opere dicere possem,nisi iam multus mihi ipsi viderer:nunc ad publica opera redeamus. LEO. Mira sanè sunt, quæ de vrbium Europearum ædificijs, celebribusq; locis dixisti, quæ non vrbes tantùm frequentes, & nobiles reddere, sed etiam ciuibus maximam afferre vtilitatem, certissimum est, dum tam multorum necessitatibus subuenitur. Sed scire studeo, quo sumptu, publicone, an priuato huiusmodi opera extruantur? MICHAEL. Opera superius à me dicta vario sumptu fiunt,quædam pontificio, alia regio, non nulla publico, vel etiam priuato optimatum,ac nobilium virorum. Cùm enim,vt iam diximus, Europeæ dignitates tam variæ sint, siue sacræ, siue profanæ, amplissimiq; reditus illis adiuncti, ærariaq; principum locupletissima, ad hæc magnificentissima opera extruenda pecunia satis,superq; suppetit.LEO. Istam ego operum magnificentiam non tantùm Europeæ opulentiæ, sed etiam tranquillitati attribuo: vtinam nostra Iaponia eo statu esset, quo cœperat,statu, nec regis communis, quem Dayrum appellamus, amplissima potestas in tot membra dissecta esset:non solùm enim antiqua opera,quę etiã magni nominis fuerũt,sarta tecta seruarentur, permanerentq;, verùm etiam quotidie excrescerent.Sed perturbato Iaponico statu,non mirum est,si pleraq; labefactata corruerint, & antiquã illam Iaponicorum operum amplitudinem, magnificentiãq; desidere mus. Sed vestigia illa, quæ ex tot bellorum incendijs sunt relicta, satis ostendunt, quàm magnifici fuerint nostrorum Iaponensium animi in ædificiorum molibus extruendis, templique antiquæ superstitionis apprimè, & affabrè ædificandis. MICHAEL. Vtinam non solùm illa tranquillitas, qua olim nostri potiti sunt, nobis restituatur,sed etiam Christiana religio per omnes Iaponiæ partes, membraq; penetret: tunc enim,si illam animorum magnitudinem in operibus conficiendis cum pietate coniunxerimus, non dubiũ est, quin etiam ad Europeã celebritatem accedamus. Sed operæpretium erit, sacrum ornatũ attingere, & reliquam huius materiæ partem in alium locum reseruare. Equidem non aliam meliorem rationem sacri ornatus explicandi in mẽnio,quàm si regum,vel aliorum principum apparatum,de quo dixi,

memo-

memoria repetamus. Si enim vterq; ornatus inter se conferatur, vix discerni poterit, vter eorum amplitudine, atq; abundantia alteri antecellat. Cùm enim præter summum pontificem, & eos, qui sunt è cardinalium numero, multi sint archipræsules, præsules, abbates, canonici, aliiq; milites sacerdotes, non minori numero, quàm profani dynastæ, nec minoribus reditibus abundantes, vix diiudicare licet, quinam eorum splendidius, & opulentius viuant. His adiunge templorum, cœnobiorum q. supellectilem, quæ in sacris peragendis vsur pari solet, in qua tantum auri, atq; argenti, serici, & cuiusq; alterius pretiosæ vestis consumitur, vt in hoc ornatu tam magnifico veritas Christianæ religionis quodãmodo splendeat. Quamuis enim ipsa externa per se sumpta nihil solidę veritati conferant, hęc tamen in illis veluti in signis optimè elucet, sicut Dei potentiam, & pulchritudinẽ in rebus creatis enitere dicimus. Vnde fit, vt, quemadmodum ex sapientiũ hominũ testimonio, qui totius huius orbis machinam rectis oculis intuetur, Deum eius moderatorem fateatur, necesse est, sic etiam, qui cultũ in Christianorum templis Deo adhiberi solitum, populi frequentiam, & pietatem, sacrificiorum assiduitatem, sacrarum vestium ornamentum, & in his omnibus singularem ordinem seruari solitum fuerit contemplatus, cultum illum veri, ac viui Dei esse, abiq; dubio confiteri oporteat. Sed quoniam de his, quæ ad diuina, & sacra pertinent, & de ædificijs Europeis agendi locus vlteriùs occurret, his rerum Europearũ capitibus, vtcunq; propositis, ad itineris nostri narrationem prosequendã crastino die cõmodiùs accedemus.

✠ K

Reditur ad proceſſum itineris, & deſcribitur Olyſippo caput Luſitani regni. Colloquium decimum ſextum.

LINVS.

QVæ hactenus dixiſti, Michaël, ſummatim de rebus Europeis, magnam mẽtibus noſtris lucem ad earum magnitudinem cognoſcendam attulerũt. Sed ſi placet, progredere iam vlteriùs, & veſtri itineris ad Romanam vſq; curiam rationem redde, nihil tamen, quod ad vrbiũ nobilitatem, inſigneſq; res pertineat, quantum horum colloquiorum breuitas patitur, prætermittens. Vt autem ad eundem locum, vnde egreſſus es, regrediaris: memineris te in portu illo celeberrimo Olyſipponenſi, & domus profeſſorum Societatis Ieſu gratiſſimo hoſpitio cõſtitiſſe. MICHAEL. Repetã libenter eum locum, ex quo ad alia diuertã, de rebus Europeis generatim à vobis rogatus. Sed non minimam vtilitatem noſtræ digreſſionis fuiſſe, exiſtimandum eſt, cùm omniũ ſequentium rerum valde neceſſaria fundamenta iecerimus, ſine quibus nihil ad culmen perduci poteſt. Conducet etiã ad vlteriores res pernoſcendas, in quibus de vrbibus Europeis ſigillatim agendum eſt, aſpectus eorum librorum, quos vobis de oppidis, operibuſq; Europæ ſuperioribus diebus oſtendimus. LEO. Placuerunt nobis ſummoperè illi libri, ex iiſdemq; intelleximus, Europeam gentem rerum elegantium ſtudio, ingenio, manuumq; arte, & dexteritate valere: cùm non ſolùm opera magnificentiſſima extruant, ſed etiam typis inſignibus effingant: ſed iam ad optatam de Olyſipponenſibus rebus narrationẽ accede. MICHAEL. Graue ſanè onus mihi imponis, dum, quæ librũ integrum exigebant, tam breui ſermone à me exponenda requiritis. Illud tamen me excitat, atq; erigit, quòd quocunq; labore à me ſuſcepto vrbs illa clariſſima, de toto Oriente benemerita, digna ſit. Eſt enim caput Luſitani regni, ex quo, velut ex vberrimo fonte Chriſtiana reli-

ſia religio per has omnes Orietis regiones, & prouincias deriuata eſt. Quo fit, vt immortali memoria digni ſint Luſitani reges, qui non ſolũ Mahometanam gentẽ, Chriſtiano nomini aduersam, regni ſui finibus cum tanta laude exterminarũt, ſed ſalutis noſtræ ſigna, miſsis claſsibus in remotiſsimas terras intulerunt. Quorũ omnium primo Alfonſo Henrico inuictiſsimo regi multò plus Olyſippo debet, quam Vlyſſi vetuſtiſsimo Græcorum duci, à quo eam fuiſſe fundatam, veterum monimentis traditum eſt. Ille enim eam à Saracenis oppreſſam, & velut extinctam in Chriſtianam libertatẽ, lucemq; vindicauit: quẽ deinde imitati ſunt poſteri, ſedem illam regiam obtinentes, quos honoris cauſa nomino, Sanctius videlicet eius filius, Alfonſus ſecundus, Sanctius ſecundus, Alfonſus tertius: Dionyſius, qui vxorẽ habuit Eliſabetham, in ſanctorum numerum relatam: Alfonſus quartus eius filius, celebri ex Mauris ad Salſum fluuium victoria nobilitatus: Petrus iuris obſeruãtiſsimus, Ferdinandus ſingularis manſuetudinis: Ioannes primus, qui primus etiam in Africam traiecit, Septamq; vrbẽ munitiſsimam armis cepit: Eduardus præclara poſteroru̇ ſobole inſignis: Alfonſus quintus, qui in Africam ter tranſmiſit, & multa oppida ſuę ditioni adiunxit: Ioannes ſecundus, admirabilis animi roboris, fortitudiniſq;, & non minoris prudentiæ, & ſanctitatis: Emanuel felicitate præter cæteros maiores clarus: Ioannes tertius religione inſignis: Sebaſtianus inuictiſsimi animi rex, qui ſtudio propagandi regni, & Chriſtianæ fidei in ipſo præliorum fortiſsimè mortem oppetijt: deniq; Henricus omniũ virtutum genere cumulatus, quos omnes Olyſippo, veluti parentes, & cultores egregios merituſsimò recognoſcit. Cùm verò hi reges Luſitanũ regnũ iam ferè à quingentis annis inſtitutum, vrbemq; Olyſipponem caput totius regni, ſumma pace domi fruentes, auxerint, & nobilitauerint; facile eſt conijcere, quæ ſit Olyſipponenſis vrbis nobilitas, amplitudo, frequentia, in qua tam longo tempore Luſitani reges ſi dem ſibi conſtituerunt. Ad eandem nobilitatem facit etiam ſitus ille præclariſsimus: eſt enim in media Hiſpaniæ ora maritima, in eo tractu, in quo Tagus clari nominis fluuius, poſt longiſsimum Hiſpaniæ ſpatium aquis irrigatum, magna aquarum abundãtia, alueiq; amplitudine in Oceanũ influit, portumq; Olyſipponenſem celeberrimum reddit, & ab omnibus ferè Europæ gentibus frequentatum. Eò enim confluunt, vt lo-

cas classes, aliasq; Oceani Orientalis omittam, Germani, Belgæ, Galli, Cantabri, Astures, Itali, præsertim Genuenses, ac Veneti, quarũ gentium tanta est multitudo ad merces vel conuehendas, vel coëmendas, vt nonnullæ peculiaria sacella instituerint, in quibus rei diuinæ interessent: nam in parœcia Diui Iuliani Belgæ suum habent sacellum, & sodalitatem: in cœnobio Diui Dominici Germani: in parœcia Beatæ Virginis Lauretanæ Itali: deniq; Hispani omnes extra Lusitaniam in cœnobio Diui Francisci proprium sacellum obtinent, vbi diuinæ preces cum suo cantu recitantur. Eædem externæ gentes propter suam multitudinẽ peculiares habent magistratus, à quibus earum causæ iudicantur. Hæc autem exterorum hominum frequentia, postquã Lusitaniæ regnum penes Philippum regẽ esse cœpit, multò maiora sumpsit incrementa, quòd commercium cum alijs orbis terrarum partibus multò magis apertum, & amplificatum fuerit. Quanuis ergo in Europa multæ sint illustrissimæ vrbes, aliæ alijs rebus præter cæteras insignes: tamẽ hæc ita omnib⁹, quibus vrbs nobilitari potest, circumfluit, vt nulli cedat, & plerisque celeberrimis palmam præripiat. Cùm enim ex situ, vetustate, munimento, frequentia, rerum abundantia, & amœnitate, addite, si placet, quod caput est, religione, & diuino cultu vrbes celebrari soleant: his omnibus vrbs hæc florentissima [illegible] operè ornatur, quantum ipsi ex ijs, quæ dicam, facilè assequemini. [illegible] autem à cõmunibus incipiam, duas quodammodo vrbes non mediocres, cum suis mœnibus, muris, & propugnaculis includit, vbi portæ triginta octo, & turres septuaginta septem numerantur. Habet templa vltra centum, & triginta, quorum quadraginta ferè ad parœcias pertinent, reliqui vel cœnobijs religiosorum hominum, vel sacrarum virginum parthenonibus, vel deniq; alijs similibus conuentuum, aut Societatum domibus sunt adiuncta. Continet præterea sex magnificentissima regia palatia, duo ad oram maritimam, quatuor verò alia in locis mediterraneis extructa. Quod verò attinet ad dynastarũ domos, vix certus numerus colligi potest. Solent enim omnes dynastæ, qui per Lusitaniam dispersi, iurisdictionem exercent, in ea vrbe, quæ metropolis regni est, & amœnitate, cæloq; salubri maximè viget, magnis sumptibus ædes operosissimas erigere, præsertim cùm tempore Lusitanorũ regũ ab eorum latere vix discedere consueuerint. Amplectitur septem

nosa-

nosocomia, de quorum maximo mox mihi dicendū est, pluraq; alia sumptu publico, vel regio confecta loca, ad varios vsus reipublicæ vtiles designata. Ex quibus omnibus mirum est, quàm celebris, nobilis, ac frequēs vrbs illa reddatur: vt meritò regina quædā Lusitaniæ dixisse feratur, regem, qui illi tantùm vrbi dominaretur, inter potētissimos posse numerari. Quoniam autem hæc prima est Europea vrbs, quam describendam suscepi, proponam vobis, qua breuitate potuero, quandam eius formam, vt facilius amplitudinem operum, varietatē, numerum, aliaque huius vrbis, imò & cæterarū nobilium totius Europæ insignes res animo concipere possitis. LINVS. Gratissimum nobis feceris Michaël, si de ista prima vrbe, cuius nomen toties à patribus vsurpatū audiuimus, expressam imaginē nostris animis inscripseris, vt ex ijs, quæ de hac dixeris, etiam de alijs facilius iudicium ferre possimus. MICHAEL. Exequar quod postulas, agamq; primum de Tagi ostio celeberrimo, quod occasum versus ante vrbem est, & vtrinque arcibus munitissimis, altera diui Sebastiani, altera verò Bethlemica tutissimè claudi tur. Ex ijs Bethlemica, quæ in citeriori ripa, & Olysipponensi tractu est, admirabilis profectò est fabricæ, cùm in ipso mari posita sint eius fundamenta, & tam multis propugnaculis vndique sit ornata, vt bellicorum tormentorum numero, assiduoq; militum præsidio totam illam oram maritimam hostili incursione liberam tueatur. Nulla est enim nauis siue Lusitana, siue peregrina, quæ portum illum ingressa, bellici saltem tormenti signo dato, & nonnunquam demissis velis, imò & scapha cum aliquibus vectoribus ad arcem missa, eam tā quam toti mari dominantē non recognoscat: aliter pœnas daturā, ferreisq; globis ex arce coniectis subitò demergenda. Non longè ab hac arce situm est cel[illegible]um cœnobium religiosorum ex diui Hieronymi familia, qu[illegible] virgini Bethlemicæ, vnde etiam arx nomen habuit, dedicatu[illegible]ter Olysipponis sacra opera principem locū obtinere cēseri[illegible]it autem extructum hoc cœnobium ab Ema nuele clarissimo [illegible] ab eius filio Ioanne tertio magnificè amplificatum. Cùm e[illegible] periùs dixi, post multas, celebresq; in Africa victorias à pri[illegible]gibus partas, ad Indicam expeditionem Emanuel rex pote[illegible] animum appulisset, & eius felicissimo tempore India patef[illegible], nihil antiquius duxit, quā vt in primo Olysponen-

ponensis portus ingressu, cœnobium illud sanctitatis, & religionis augustissimũ sacratium ædificaret, in quo omnes inde in varias orbis terrarũ partes soluẽtes, diuinis rebus peractis, precibusq; Deo oblatis, nauigationẽ suã feliciter auspicarẽtur. Multa sunt sanè, quæ cœnobiũ hoc insigne nobilitant. Inprimis enim patrum dom icilia amplissima sunt, & in eis pergula quædam tantæ longitudinis reperitur, vt à primo eius aditu hominem in ima parte constitutũ acie acutissima nequeas cognoscere. Eiusdem cœnobij peristylium, eo est fornice, ijsq; columnis nixum, & eo pauimento substratũ, illis deniq; pictis tabulis Christi pro nobis passi multiplicem imaginem exprimentibus decoratum, vt manifestè regiam magnificentiam commendet. Quid dicam de eiusdem cœnobij templo? cuius singulæ partes integrum colloquium postulant: inter quas excellit sacellum maximum, sepulchris Lusitanorum regum à prima huius cœnobij ædificatione dedicatum. Est illud quidem totum ex pario lapide ita perpolitum, vt instar iaspidis longè, latèq; colluceat. Sunt in eo quatuor regum, reginarumq; sepulchra, singula duobus elephantis miri artificij suffulta, quibus ex eodem pretioso lapide cõfectis, dentes ex ebore ingeniosè sunt inserti: sepulchrorũ verò tegumenta regijs coronis auro, egregio opere distinctis sunt ornata. Locupletatum est idem cœnobium multis sacris reliquijs, præsertim tribus capitibus vndecim millium Virginum, alijsq; multis regũ diligentia, laboreq; in eum locum collatis. Iam verò supellex ex auro, & argento, vestis sacra, tum serica, tum Phrygio opere facta, talis est, qualis regum ibidem sepultorum munificentiam decebat. Inter hæc autem opera sacra, pretiosissimus est calix quidam, admirabili ingenio cælatus, ex primo auro ab Oriente deportato, iussu Emanuelis regis cõfectus, & instar primi fructus ex Indica nauigatione, ab eodem rege Beatæ Virgini oblatus. Accedam tamen ad vrbis descriptionem, quã instar arcus cum sagitta se habere fingite, si tar[illegible]bana opera, quam suburbana numerentur. Maritima nanq; or[illegible]rida protenditur, media verò vrbis pars ad modũ sagittæ p[illegible] latera autẽ, quæ amplissimos duos montes continent, arcus fa[illegible]ficiunt. Faciam' ergo tridui quodammodo iter (nec enim br[illegible]mpore ad celebria percurrenda loca opus erit) & videamus, [illegible]claris ædificijs vrbs illa decoretur. Atq; vt in primis ab ora [illegible]incipiamus, à

Beth-

Bethlemico cœnobio milliari interiecto, primus est aditus suburbiorũ Olysipponensium, vbi Diuo Mauro templum dedicatum est: ex quo loco paulatim templa, celebriaq; loca se se ostendunt: quæ tamẽ prudens omitto, ad nauale, quod iuxta regium palatium est, accedens. Est illud quidem area quædam amplissima, partim muro vrbis, partim regijs operibus conclusa, & ad ipsam vsq; maris aequam porrecta, in qua cuiusc[illegible] generis nauigia conficiuntur, præsertim naues illæ vastæ mag[illegible], quibus primũ Indica nauigatio aperta est, & adhuc fi[illegible] sine intermissione mittis conseruatur: quarum singul[illegible] viginti aureorum millibus constare dicitur. Mira [illegible] eo loco rerum omnium ad classem apparandam abundantia. Nec enim malorum, antẽnarumq; copia, non crassissimi, longiq; rudentes, nullum picis, aut naphthæ genus, nullus ferri, aut stuppis molliendi modus, nulla denique, tollẽdorum onerum machina, artificium vè desideratur. His enim omnibus rebus vel in Lusitania ipsa natis, vel aliunde exportatis, vrbs illa copiosissimè abundat. Venio iam ad regium palatium, quod amplitudine, magnificentia, loci; cõmoditate ita excellit, vt illud semper Lusitani reges incolere sint soliti. Eius inprimis area littus maris attingens, ita est spatiosa, vt equitibus, patritijsq; Lusitanis equo vectis, deambulandi, animosq; relaxandi opportunissimum locum præbeat: præsertim cùm æstiuo tempore tum amœnitate auræ è mari flantis, tum quotidiana aspersione aquæ curribus delatæ, ad se omnium animos inuitet. Quid verò de regio domicilio dicam? quod tales habet porticus, atria, peristylia, solaria, cubicula totius generis, aliaq; quàmplurima receptacula, vt regem, reginãq; cũ amplissima familia, regios fratres, ac filios capere consueuerit. Nunc verò arce quadam munitissima, ad littus vsq; maris porrecta, bellicisq; tormẽtis, & machinis omnibus instructa magnoperè exornatur. Nec etiam ei deest amœnissimus hortus, non tantùm arboribus, herbisq; maximi odoris consitus, sed etiam itineribus variis diuersi coloris tesserà constratis, miro opere ornatus. Habet præterea sacellum diuinis precibus dedicatum, multis, grauissimisq; sacerdotibus abundans, quibus plerunque præest magnæ alicuius autoritatis episcopus, in quo sacræ preces eo ordine, ea cantus suauitate, ea musicorum instrumentorum varietate fecitatur, vt templum aliquod maximum, non sacellum

lum

lum possis dicere. Regio palatio finitima sunt alia miræ celebritatis loca: inter quæ primas partes obtinet regium armarium, in quo omnia instrumenta, quæ ad rem bellicam exercendam pertinent, diligentissime conseruantur. Ibi videre licet vastissima quædã tormenta bellica ex optimis metallis conflata, quorum quædam hostibus erepta, tã quam victoriarum monimenta ostenduntur: alia regio sumptu confecta, ad quemcunq; bellicum tumultum sunt parata. Ibi diuersorum armorum varia receptacula cernuntur, in quorum quibusdam sclopi, in alijs hastæ, in alijs demũq; enses, omniq; grauis, & leuis, offendes, ac defendes armatura cõcluditur. Ibi cõspicuæ sunt cataphractorum equitum miræ statuæ equis ligneis impositæ, ita ad viuum expressæ, vt ad veram pugnam accincti homines existimari possint. Deinde sunt loca illa regijs armis referta, vt superioribus fultum annis etiam septuaginta hominum millia continentem, ibi ad pugnam parari, armisq; instrui potuisse, certissima fama sit. Quæ propter locus magnæ est inter Lusitanos celebritatis: nec immerito, ex eo enim, ea quæ vrbe affirmare possumus, tanquam ex equo Troiano, clarissimos totius Orientis victores armis munitos prodijsse: quodq; admirabilius est, etiam hoc tempore trib⁹ fere Lusitanorũ millib⁹ quotannis ex portu Olysiponensi soluentibus, & in Indiam, Brasiliam, aliasq; Lusitanorum colonias, excepta Africana expeditione, missis, quæ à maioribus parta sunt, cùm summa laude conseruantur. Eidem armario coniuncta est domus quædam, quæ Indica dicitur, in quam merces, & aromata omnia ex toto Oriente nauibus delata, accuratissimè inuehuntur: & in Belgium, Galliam, Germaniam, aliasq; Europæ partes importata, & vendita, regium ærariũ magnoperè locupletant. In eodem regio palatio spectantur multa domicilia, varijs senatorũ concilijs designata. Ad quoddam enim conueniunt multi iuris, legumq; peritissimi viri, qui aulici senatores appellantur, & grauissima quæq; ad ius, legesq; spectantia, vt ea, quæ ad criminum remissionẽ, meritoriũq; remunerationẽ pertinẽt, diligenter agitant, & nomine regis decernũt. Ad secundum concurrunt alij non minus iuris prudentia, legumq; scientia præstantes viri, qui res ad tres militares ordines clarissimos, qui præcipui in Lusitania sunt, & regi ipsi, tanquam eorũ supremo magistro sunt commissi, aliasq; omnes peculiares res, ex quib⁹ regiæ cõscien-

cientiæ ſcrupulus aliquis inijci poſſet, expediunt, atq; explicant, regę eorum iudicium, deliberationemq; comprobante, atq; ita multò melius, & ſecuriùs officij ſui partes tuente. Tertium frequentant dies clariſſimi dynaſtæ, cum alijs multis magiſtratibus, quorum curæ regij reditus, vectigalia, ærarij, facultates omnes commiſſæ ſunt, & concreditæ, deq; aliis amplificandis, locandis, exigendis, ac diſtribuendis maturè deliberant, & quid facto opus ſit, ſtatuunt. Supremum omnium, honorificentiſſimumq; concilium eſt illud, quod regale dicitur, ex grauiſſimis dynaſtis, ſapientiſſimiſq; patribus conflatum, cui olim reges, nunc illis extinctis, Albertus clariſſimus cardinalis Philippi totius Hiſpaniæ regis perſonam gerens, præſidet, in eoq; de grauiſſimis totius regni, ſtatuſq;, & iuriſdictionis Luſitaniæ negotijs conſideratiſſimè agitur, Africæq;, Indiæ, & aliarum prouinciarum rebus diligentiſſimè prouidetur. Vtera regium palatium, cuius areâ, multæ aliæ magnificentiſſimæ domus conſpiciuntur, ante quas foraſſint quàm plurima ſuis locis, & mitibus q; diſtributa, in quibus olera, fructus prope innumeri, quibus Olyſippo cenſus pagus ſummoperè excellit, animantes ſiue cicures, ſiue ex venatione captæ, aues ſiue domeſticæ, ſiue aucupio comparatæ, eſculenta varij generis ex lacte confecta, quibus Europei magnoperè delectantur, bellaria quotidiana multiplicis mundi, ac ſaporis, & reliqua omnia, quæ ad victum pertinent, nitore quodam mire, & abundantia q; venduntur. Iam verò carnium copia tanta eſt, vt tota ampliſſima macella illis implentur, in quibus ſubinde vbi partibus conſtituta. Quòd verò attinet ad pisces, eorum ſiue recentium, ſiue ſalſorum tanta eſt multitudo, & varietas cum ſuæ cuiuſq; ſaporis ſuauitate coniuncta, vt non ſolùm in multa Luſitaniæ mediterranea oppida, ſed etiam quàmplurimas Europæ vrbes terra, marique exportetur. Accedamus nunc ad domum frumentariam, quæ verè totius Luſitaniæ horreum dici poteſt, in quam non ſolùm ex multis Luſitaniæ partibus, præſertim tritici, ſed ex Gallia, verùm etiam ex pluribus alijs prouincijs frumentum conferitur. Nec enim illud prætereundum eſt, vt nos oryza, ſic etiam Europeos, ſubinde ex tritici ſubacta farina confectis, vitam alere qui Olyſipponæ exercitatiſſimis, & peritiſſimis totius Hiſpaniæ piſtoribus tam ſuauis, ſaporis ſunt. Non longè hinc, vico interiecto, ſe oculis intuenti offert templum, domuſq; celebris illius ſodalitatis, quæ ex nuchi

sermone Misericordiæ societas nuncupatur, quòd misericordiæ, pietatis que operibus diligentissimè vacet, qualia sunt, eleemosynis paupertum inopiam sublevare, ægrotis medicamenta adhibere, mortuorũ cadavera sepelire, captiuos soluto pretio redimere, pupillas virgines in matrimoniũ dare: leniq; omnia alia, quæ ad pietatis officiũ pertinent, exsplere. Hæc verò Olysipponensis sodalitas est veluti mater cæterarũ omnium, quæ per totam Lusitanicam ditionem, eiusq; vrbes, atq; oppida sparsæ sunt. Vt autem templi, domusq; fabricam, quæ vere regia est, præterea illud animaduersione dignum est, homines non solùm plebeios, sed etiam nobilissimos quosq; ad munera illius domus gerenda designari, præsertim eum, qui supremi œconomi personam gerit, & singulis annis pluribus suffragijs deligitur: hic enim plerunq; dynasta aliquis est, vel dynastæ filius. Illud verò summa admiratione dignissimum est, sodalitatem eam, cùm nullos annuos reditus habeat, nec habere ex suo instituto possit, ex pecunia tamen, vel vita functorũ hominum testamentis legata, vel alias impensa, tam amplum peculiũ habere, vt annis singulis triginta, quadraginta, imò & nonnunquam sexaginta aureorum millia in pauperes, viduas, pupillas virgines, peregrinos homines, & quoscunq; alios penuria, & egestate oppressos distribuat. Vnde fit, vt tanta fides illi domui, sodalibusq; habeatur, vt plerisq;, præteritis amicis, propinquisq;, testamentorum suorum curam, expeditionemq; eis multis precibus commendent, præclarèq; secũ actũ arbitrentur, si hanc curam sodalitas illa suscipiat. Exornatur eiusdẽ littoris tractus ad Orientem vergens multis alijs, pretiosissimisq; operibus, quale est basilicæ illius, huc domus regiæ, in cuius inferiore partem merces omnes, præter Indicas, quæ peculiarem aliam habent domum ad soluenda vectigalia, conferuntur: cùmq; Olysipponensis portus, vt dixi, à tam multis Europæ gentibus frequentetur, mirũ est, quã ea sit mercatorum eò confluentium frequentia, quanto pereque regiũ peculium his portorijs augeatur. Superiorem huius domicilij partem, quæ anteà iuri dicendo dicata erat, occupant nunc quæstores regij, erariiq; præfecti, rationes suas accepti, & expensi quotidie subducentes, & in tabulas fide, atq; autoritate dignas referentes: quæ quidem re nũmaria multi, graueq; viri distinentur. LEO. Non possum me eo habere Michaël, quin sermonem tuum, quo sum modo rectè recreor, in-

terpellem, iſtarũ rerũ, quas hactenus cõmemoraſti, admiratione. Quis enim iſtis auditis non obſtupeſcat, & tres eximias res, ſolertiam, prudentiam, & pietatem ſimul cum ſumma magnificentia, & rerũ omnium copia coniunctas in iſta nobiliſsima vrbe, quam deſcribis, maximè elucere, non intelligat? ſolertiam nanq; ex armis, & alimentis tam ſtudioſè comparatis, prudentiam ex tam multis conciliis ad res omnes ſapienter pertractandas intentis, pietatem denique ex iſta tam celebri ſodalitate, cuius modò mentionem feciſti, ego manifeſtè colligo. MICHAEL. Optimè colligis Leo, prudentiſsimèq; ratiocinaris. Sed hæc omnia, aliaque ſimilia admiratione digniſsima ex progreſſu huius narrationis coniicies. LINVS. Equidem vt de me etiam dicam, nunc velut in ſpeculo valde lucido, quæ de Europeis vrbibus generatim dixiſti, ſigillatim, & perſpicuè in iſtius vrbis deſcriptione intueor. Quòd ſi reliquæ Europeæ vrbes eundem ordinem, tenoremq; ſeruant, non ab hominibus inuentus, ſed è cælo datus videri debet. MICHAEL. Seruant ſine dubio, rectèq; dicis, hunc ordinem è cælo datum, cùm hæc omnia huius vrbis, ac reliquarum commoda, & ornamenta ex ipſa Chriſtiana religione, quæ è cælo eſt, quaſi ex vberrimo fonte profluxerint: ſed reliqua huius primi itineris parte conficiamus. Venio igitur ad publicos fontes, præſertim eum, qui regius appellatur, in quem artificioſiſsimè ex marmore confectum, aqua, cuius in eo tractu maxima eſt copia, non longè ſcaturiens recipitur, & per ora latiſsima affabrè elaborata fluit, ab infinitis propè ſeruis, & famulis, nocte etiam concubia (tanta eſt illius populi multitudo!) cõfluentibus haurẽda. Eſt autẽ illius aquæ natura, præter maximã abundantiam, hominum valetudini valde ſalutaris, præſertim aliquandiu domi ſeruata: etſi aliorum optimorum fontium in Olyſipponenſibus ſuburbanis non deeſt copia: præcipuè verò eſt quidam ali⁹ proxim⁹ fons minoris frequentiæ, in quo a longinquis nauigationes ineundas fieri ſolet aquatio. Vltra hunc locũ, ſequuntur etiam alia celeberrima, quæ ſigillatim recenſere, longum eſſet, præſertim pars illa vrbis à piſcatoribus frequẽtata, qui peculiarẽ habent præciam diuo Stephano dedicatam: cùmq; non modicos cenſus regi ſoluant, ita tamen diuites ſunt, & pecunioſi, vt eorũ ſupplicatio eo die quotannis habita, quo ſanctiſsimi Chriſti corporis memoria recolitur, terũ omnium magnificentia cum ipſa vrbana ſuppli-

cariſſime ferè ex æquo contendit: quòd homines illi piſcatoriæ rei dedi-
tiſſimi, quibus ea die maximam pecuniæ copiam inſumere. Præterea
loca illa, in quibus quorumcunq; lignorum materia venditur, alia, in
quibus tormenta bellica conflantur, plurimæ; ſimilia hominum multi-
tudine referciſſima: prætermitto cœnobia, parthenonesq; illi littori vi-
cinos, præſertim quendam celebratiſſimum, in quo nobiliſſimæ virgi-
nes viuunt, & ſacræ reliquiæ ſanctorum Veriſſimi, Iuliæ, & Maximæ
Olyſipponenſium martyrum cũ ſumma veneratione cuſtodiuntur, a-
liudq; Deiparæ dedicatum, in quo à ſacris virginibus Diui Franciſci
diſciplina ſeuerißime obſeruatur: ſolumq; addam, extremam Iliſſus littoris
partem alio regio palatio magnificentiſſimo nobilitari, quod Ioan-
nes tertius maximis expenſis extrui iuſſit, vt in eo Luſitani reges ac
cõmodatiſſimum haberent perfugium, quoties grauiſſimorum negotio-
rum mole oppreſſi, animos leuare, & recreare vellent. Iucundiſſi-
mum vobis ſane eſſet, ſi palatii illius ſingula opera à me deſcripta ani-
mis intueremini: ſic enim magnificentiam illorum ædificiorum, regũ
impenſarum faciendis largitatem, artificum deniq; ingenium aſſe-
remini: ſed cùm tam multa eſſent Olyſippone aſpectu digniſſima, nõ
fuit nobis otium, vt omnia opera ſigillatim perſcrutaremur, & minu-
tiſſima quæq; memoriæ mandaremus, rerum quodam modo magnitu-
dine, & multitudine obruti. Vltra hoc regium palatium ſunt alia duo no-
biliſſima cœnobia, alterum Diuo Franciſco, alterum verò Diuo Benedicto
dedicatum: præterea remotius aliquantulum, parthenon quidam
eſt, omnium Olyſipponenſium vetuſtate clariſſimus, vulgari nomi-
ne Chelæ, quem quondam tempore ethnicæ ſuperſtitionis Veſta-
les virgines incoluiſſe, fama eſt, ibiq; olim Achillem, vnum ex fortiſſi-
mis antiquæ vetuſtatis viris adhuc puerum ſub puellari habitu à ma-
tre fuiſſe celatum, ne belli cuiuſdam grauiſſimi, quod tunc cum Tro
ianis gerebatur, cõcius eſſet. Vbiſiſq; Olyſipponẽſis vrbis cõditoris in
duſtria piam illam matris fallaciam fuiſſe detectam: cùm autem bel-
lum illud Troianum milleſimo ſaltem ante Chriſti domini ortum an-
no fuerit, colligunt Luſitani, quantoperè Olyſippo cæteris Europæ
vrbibus vetuſtate antecellat. Atq; hæc breuiter ſunt, quæ in Olyſippo-
nenſi littore domiciliis frequentato, & ſex milliaria continente ſe pro
te nobis auguſtiis dicenda obtulerunt. LINVS. Aſpectu profectò iu-

cundissima ego istam oram maritimam iudico, quam tam celeriter o-
ratione percurristi. Sed quid? cū intima quæq; vrbis nobis exposue-
ris. MICHAEL. Intima quæq; adoriri, est in profundissimū gurgite in-
tichi, si singula enucleatè sint explicāda. Sed cum per tepus licet, cō-
ciamus secundum iter, & recta via totum illud spatium, quod simile
sagittæ esse dixi, absoluamus. Regressi ergo in aream regiam, muros,
portaq; vrbis ingrediamur, vltra quas se offerunt vici quidam om-
nium celeberrimi: primus quidem nouus nuncupatus amplitudine,
longitudine, domuumq; multarū contignationum frequentia prater
cæteros omnes nobilitatus. In cuius partem clathris ferreis diuisam
(tanta videlicet est vici illius latitudo!) conueniunt mercatores om-
nes, qui per varias Europæ vrbes mercaturam exercent, negotiū habet
cum alijs mercatoribus, præsertim cum Hispalēsibus, Burgēsibus, al-
lisq; alijs, Mechlinēsibus, Venetis, Genuēsibus, alijq;, quam plu-
rimis, qui alias Europæ vrbes, aut emporia incolunt. In eodem vico
mirum est, quam locupletes sint mercatorum tabernæ, in quibus non
solùm cuiuscunq; panni ex lana confecti, pretiosissimiq; sunt ma-
rietas, sed vestis fericæ, gausapinæ, Damascenæ, Phrygio opere tex-
tæ, multipliciſq; generis tanta est copia, vt omnium illorum mer-
catorum supellex ad emptionem exposita, millies festertium aliquo-
ties repetitum, siue, vt vulgariter loquar, plurimos aureos millione con-
tineat. Sunt in hoc vico præter alia, admirabiles domus tot contigna-
tionum, totq; inquilinos capientes, vt alij alios ne è facie quidem, aut
nomine noscere inueniantur. Secundus est aurificum, in quo aurea o-
pera pretiosissima affabrè, artificioseq; fiunt, multaq;, ac variæ mar-
garitæ poliuntur, aut vēdendæ, aut ipsis aureis operibus inserendæ: qua
in re vix dici potest, quantopere ars cum auri, gemmarūq; abundan-
tia, & cum hac, opificū multitudo decertet. Nec facilè dixerim, vter
horum vicorum alteri rerum venalium pretio, multitudineq; antecel-
lat. Tertius non est minus celeber, quem cælatores, sculptores, fabri
ærarij, anaglyphicorumq; operum effectores frequentant. Quemam
autem recta me iter facturum dixi, in alijs vicis celebratissimis is com-
morandis non immorabor: quorum sanè memoriā non mediocrem
vobis moueret admirationem, præsertim eius vici, in quo res ex lac-
chaco confectæ venduntur. Cùm enim ex multis locis, nimirum ex in

sula

ſula Diui Thomæ, quæ inde mille leucas diſtat, ex multis Braſiliæ portubus, ex inſulis Fortunatis, & ijs, quæ Materiæ dicuntur, innumerabilis ſacchari candidiſsimi copia, multis nauibus in portum Olyſipponenſem quotannis importetur, tam multa in eo vno vico elaborata ex ſaccharo conficiuntur, vt non ſolùm Olyſipponenſem populum expleant, verùm etiam in multas alias Europæ vrbes vendenda deferantur. Non minor eſſet veſtra admiratio, ſi argenti, lini, lanæq; opifices, quibus tres alij vici ſunt deſtinati, percurrerem. Nam totius generis fabros vicis, locisq; diſtinctos recenſere, infinitũ propè eſſet. Sed vt dixi, rectà pergamus ad plateam illam celeberrimam, & ferè quadratam in media vrbe, ædificijs operoſiſsimis cinctam, inter quæ duo maximè excellunt. Alterum eſt regium noſocomium, omnibus ſanctis conſecratum, & Emanuelis regis ſumptibus inſigniter ædificatum, ac reditibus omnibus neceſſarijs donatum, deniq; a Ioanne tertio tũ operis ſtructura, tum reditũ amplitudine ſummoperè auctum. Eius templum tam editis arcuum inferiorum fornicibus, per quos amplũ iter eſt, nititur, vt ad eius fores viginti ſaltem ſcalarum gradibus ex optimo lapide confectis aſcendatur. Templi huius, quod vnius tecti eſt, & receptaculi, tam laquear ex Sarmatico ligno egregiè dolato, quàm parietes ipſi, multis, inſignibuſq; figuris, præſertim Luſitanorum regũ, quos ſuprà numeraui, expreſsis imaginibus, ornantur, quæ tam preciosæ ſunt, vt cõmunib' diebus velis obtectæ, feſtiuis tantùm ſpectandæ proponantur. Sacelli verò maximi ara ſuprema eo eſt ſitu, eaſq; feneſtras ex tribus lateribus aptatas habet, vt ſacerdos ſacroſanctã hoſtiã immolans ab omnibus ferè ægrotis lecto decũbentibus videri poſsit. Nec verò ſolùm quotidie ſacrum fit, verùm etiam ſacræ preces a ſacerdotibus multis illi templo aſcriptis recitantur, feſtiq; diebus a magna cantorum copia, muſicis inſtrumentis adiunctis, efferuntur. Quod attinet ad pergulas, tres inprimis ſunt longiſsimæ, quas ad ſummam templi aram pertingere dixi, in quarum vna vulneribus, alijſq; morbis ad Chirurgiam pertinentibus, remedia adhibentur; in ſecunda homines febribus iactati, in tertia mulieres eodem morbo laborantes decumbunt: præter has ſunt aliæ duæ ijs, qui malo cõtagioſo ſũt affecti, deſtinatæ. Sub harum pergularum contignationibus domicilium eſt quoddam ampliſ-

ſimum

simum, quod propriè xenodochium vocari debet, in quo pauperes omnes siue indigenæ, siue aduenę peropportunum hospitium habent. Est aliud receptaculum proprie brephotrophium, in quo pueri infantes siue exposita, siue casu alio, remedio carentes à nutricibus conductis alũtur, & postea, cùm grandiores natu sunt, honesta aliqua arte instituendi variis hominibus, ac fœminis traduntur. Est etiam alia domus ijs, qui mente capti sunt, curandis, & ad pristinam sanitatem restituendis designata. Constitutum item est quoddam domicilium nobilibus viris, qui commodè domi suæ curari nequeunt, vbi illis omnia medicamenta abundè suppeditantur, ita tamen, vt si peculium habeant, sumptus illos postea pecunia compensent, ne quid de pauperum bonis detrahatur. Separatum est præterea aliud receptaculum insanabili morbo laborantibus, in quo vsq; ad extremum è vita exitum, quæ ad victum pertinent, illis administrantur. Deniq; religiosis viris præsertim ijs, qui seueriorem Diui Francisci disciplinam sectantur, constitutus est peculiaris locus, in quo à cæterorum hominum multitudine semoti valetudini, curationiq; dant operam. Quid dicam de ordine ijs omnibus ægrotis administrandi? qui sanè mirus est, cùm viri viros, fœminæ fœminas sue curæ cõmissas habeant: cùm ita ægroti cubilibus sint distincti, vt morientium cadauera latenter pseudothyro extrahantur, ne reliqui periclitantes mortis timore animos despondeant. Quod verò attinet ad medicos, chirurgos, & quos vocant, seplasiarios, illi optimi quique ex tota vrbe magno conducti pretio deliguntur. Totius huius amplissimæ domus sumptus ex reditibus à regibus Emanuele, & Ioanne tertio eidem adiunctis fiunt, ideoq; omnibus in rebus abundantia, mundities, ornatus, cæteraq; regia domo digna spectari possunt. Huic regio nosocomio finitimum est cœnobium quoddam commemoratione dignissimum, religiosorũ hominũ ex Diui Dominici familia, quod operis magnitudine, patrum virtute, & literis præstantium numero, populi eò confluentis frequentia, cum amplissimis quibusq; Olyssipponensibus cœnobijs parem locum habet. Vt autem de eo minutiùs dicam, florent in illo magnoperè Philosophiæ, & Theologiæ studia, adeò vt multi ibi Theologici doctores, seu vt appellant, magistri reperiãtur: cõcionatores verò quàmplurimi, qui per totã vrbem, & pagum Olyssipponensem disperguntur. omnes verò simul ex ea familia vicenarium

numerum supra centũ implent: quos tunc præsentia sua exornabat religiosissimus vir, quem inuisimus, Ludouicus Granatensis, vitæ sanctitate, librorum eruditione, & concionandi vi per totum orbẽ notus. Supellex sacra templi amplissima est, viginti duas argenteas lampades, quadraginta calices, quindecim lychnuchos ex eodẽ argẽto inter alia cõtinens. Alterum eiusdẽ areæ latus regio quodam sumptuosissimo palatio, hortisque eius amœnissimis decoratur, cuius amplitudinem, artificium q; describendi non est locus. Cõfectum est hoc palatiũ à clarissimo principe Petro Ioannis primi filio, vt in eo externi omnes legati cõmode, & perhospitaliter exciperentur, & interseptem præcipua Olysipponensia opera numeratur. Huic palatio iunctum esse consuevit regium equile, eam equorum multitudinem continens, quantum tã amplis facultatibus, opulentiaq; congruebat. Non omittã aliud, quod eandem aream, & circum, de quo hactenus dixi, tum moueri nobilitat. Est autem mercatus, qui ibidem octauo quoq; die videlicet, Mars habetur, tanta hominum frequentia, tabernarũq; ita dispositis, rerum venalium tanta multitudine, & varietate, vt non in diem, sed in mensem, & annum institutum esse credas: adeò vt non solùm populares & patritij, sed nobiles etiam fœminæ ab aliq; famulãtium apparatu illuc eant: imo & aliquando regina eius videndi studio ibidem constituisse dicatur. Vlteriùs, si extra vrbis muros progrediamur, nonnulla occurrent cœnobia florentissima, præsertim illud, quod Beatæ virginis Annuntiationi dicatum est, quod à primario quodam homine extructum, tanta progressu temporis habet incrementa, vt nũc nobilissimas quasq; virgines recipiat, in eos, mirè sanctitatis signa exstant quæ, quoniam viuentes laudare prohibemur, ab eis in posterum cõmemoranda, typisq; mandanda prætermitto. Post hunc locum vicus sequitur longissimus, cuius ædes rusticanæ potius, quam vrbanæ nitent magnificentiæ, propter hortos amœnissimos, villasq; delicijs refertissimas, quas plerique nobiles in eo loco minùs iam domuum multitudine impedito ædificant. Sed veniamus iam ad Iagittæ, quã dixi, cuspidẽ, in qua cœnobiũ quoddam nobilissimum patrum, qui Christi ordinis dicuntur, nuper elaboratum est, & sumptibus clarissimæ principis Mariæ Emanuelis regis filiæ, quæ sexagenaria virgo, multisq; bonis naturæ, animiq;, & externis diuitijs cumulata ante duo-

decim

decim annos mortem obijt, nouis nunc ædificijs amplificatum. Continet hoc iter, quod conficimus, quatuor milliaria, hoc est leucam, & tertiam eius partem, quo recto omnino cursu mediterranea Olyssipponis percurruntur. LEO. Videris profectò Michaël duas iam amplissimas vrbes descripsisse, easq; tales, vt studium nostrum ad ipsarũ aspectum magnoperè excitaueris. MICHAEL. Quidnirum, si ita iudicetis, cùm Olyssippo instar multarum vrbium sit. Audite nunc de tertia eius parte, quam multò ampliorem vrbem celebritis: quanuis propter temporis angustias breuius fortasse, quàm par est, à me fit enarranda. Erit autem hoc tertium iter à nobis faciendum, non solùm acclive, sed etiam flexuosum, omniũq; superiorum longissimum, quo rursus à littore incipientes mediterranea loca in gyrum perlustremus, cuius quidẽ iteris in orbẽ, quãtũ sit spatij, ex dictis colligi potest: cũ oræ maritimæ chorda sex milliaria, cuspis verò sagittæ quatuor cõplectatur. Contẽplamini igitur animis interuallũ quoddã inter Bethlemi cum cœnobium, & aream regiam interiectum, in quo virgines sacræ parthenonem Beatæ Virgini, absidẽ cognomen habenti, dedicatum incolunt. Hic ergo accluis via se offert, ad mediterranea, & montana, quæ Olyssipponem in gyrum sepiunt, à nobis animis peragrãda. Certissimum nanq; est, Olyssipponem pluribus collibus, de quorum numero varie scribitur, ambire: tres tamẽ, aut quatuor sunt potissimi, plura alia capita in diuersas partes porrigentes. Nobis igitur in altum euectis, primum se obijcit spectandum cœnobium patrũ ex Diui Benedicti ordine, qui quidem ordo tantoperè floruit in Lusitania, vt in sola prouincia quadam, quæ interamnis dicitur, inter Durium videlicet, ac Minium, quadraginta octo cœnobia, cum amplissimis reditibus, hæc religiosorum familia possederit. Si ex hoc cœnobio ad portã celeberrimam vrbis, quæ à Diua Catharina nomen accepit, nos conferamus, paulatimq; ad verticem montis huius ascendamus, spectanda se oculis proponit domus amplissima professorum Societatis IESV, Diuo Rocho consecrata, vbi superiùs dixi, gratissimum nobis hospitium fuisse, quòq; diutiùs in ea morati sumus, eò plura de ea dicenda mihi occurrunt. Habitant in ea plures, quàm septuaginta patres, fratresque Societatis ex flore totius Lusitaniæ, tum quò ad ætatis maturitatem, tum etiam quò ad sapientiam, sacrarumq; rerum exercitationem

collecti. Quò fit, vt in concionibus habendis, confessionibus audiendis, carceri, tirennibus, capitalíq; pœnæ addictis hominibus iuuandis, aliísque pijs operibus exercendis diligenti simè operâ nauent, ijsq; nonnullis, populo, dynastis, regibusq; Lusitanis semper fuerint gratissimi, eorumq; adiumento domum illam fabricæ magnificentissimæ extruxerint. Si eorũ patrum domicilia conſideres, tam amplũ est peristylium, tot sunt pergulæ, tam denique spatiosa cubicula, vt plures ad hunc commodissimè capere possint: si verò in templũ oculos conijcias, admirabilis cuiusdam operis esse cognosces, vnius quidẽ tecti, sed eius amplitudinis, vt, propter difficultatem fornicis ex lateribus, aut lapide conficiendi, ex trabibus fuerit optimè compositum, quæ propter sui longitudinem, ex ipsa Cimbrica chersonesọ magnis sumptibus sunt allatæ, & ex laqueari exornatæ, vt cameram lapideam, aut testudinem lateritiam, nequaquàm desideres. Decoratur vlteriùs templum multis, optimáq; confectis sacellis, in quibus admirabilis sacrarum reliquiarum thesaurus nunc seruatur, de quo in progressu agẽdi prepriùs locus se mihi offeret. Sacra verò supellex tam opulenta est, vt nõ eorum, qui ex corrogatis eleemosynis, sed ex maximis reditibus viuunt, esse videatur. Habet templum idem sibi adiunctam turrem in ingentis altitudinis, ex qua in totam ferè vrbem iucundissimus prospectus patet, & tintinnabula egregiè conflata continet, quorũ audito sono ad concliones audiendas quinque plerunq; hominum millia conuenire, certũ est. Inter alia mira emolumenta, quæ à patribus huius domus populo Olysipponensi attributa sunt, est puerorum totius vrbis institutio, eruditio quæ earum omnium rerum, quæ ad Christianæ doctrinæ rudimenta pertinent. Quamuis enim vbiq; terrarum patres Societatis eam curã suscepérint, in ea tamen domo peculiaris est hac in re diligentia, qua & pueri per totam vrbem conuocari, & non solùm in Diui Rochi templo, sed etiam per parœcias, plateasq; doceri, laureis, honorarijsq; muneribus donari, & ad perfectam horum rudimentorum intelligentiã iuxta eius ætatis captũ, excitari solent. Quam ob causam patres egregios quosdam libellos, crebris interrogationibus, responsionibusq; distinctos cum carminibus Lusitanis ad cantum accommodatis, non minùs diligenter, quàm piè composuerunt. Propè septum huius domus professorum, accepimus, aliam etiã, quam tirocinij vocant, propediem

ædificandâ ſumptib⁹ cuiuſdâ patritij viri, qui ex quinquaginta aureorũ millib⁹ in hac Orietali plaga cõparatis, in eius domus fabricâ, recituſq; bonâ parte intumere cõſtituit, & rebus omnibus humanis contemptis, Societati nomen dare. Diſcedamus iam ex hoc loco, ne præter modũ videar velle hoſpitibus noſtris gratificari, & ad ſimilia alia loca ad huc recenſenda accedamus. Si paulatim inde deſcendas, virum habebis cœnobium eius religioſæ familiæ, quæ à Sanctiſsima Trinitate ſibi nomen vendicauit, quæ quidem vltra alia, quæ ad Dei cultum pertinent, miſeros homines à Saracenis captos pretio redimendi peculiarem curam ſuſcepit. Vnde fit, vt hi religioſi viri non ſolum Chriſtiano populo ſint valde grati, ſed etiam ad ipſas Saracenorum terras liberũ aditum, ingreſſumq; habeant, & ſingulis annis magnam hominũ multitudinem è iugo ſeruitutis liberent. Si paululum hinc progrediaris, & celebrem Lauretanæ Virginis parœciam, & eam, quæ à martyribus nomen obtinet, prætergrediaris, ad ampliſsimũ cœnobium familiæ Diui Francisci peruenies, in quo quid primùm mireris, reliqueſcit, nec hominũ multitudinem, operis molem, templiq; capacitatem, an eleemoſynarum quotidie collectarum opulentiam, vix tecum ſtatues. Nam ſuprà is religioſi viri vltra ducentos ſunt: templi verò tribus tectis diſtincti amplitudo tanta eſt, vt nullũ aliud capaciu Olyſippo habeat, in quo plurima, pretioſiſsimaq; ſacella numerantur, ex quibus præter maximum, quod egregij operis eſt, celebre eſt etiam quoddam à Martino Alfonſo Sozio, olim totius Indiæ gubernatore confectum, auroq; totum circumuſtitum. Sed tranſeamus ad aliam eiuſdem montis partẽ, vbi ſpectabile eſt cœnobiũ eiusdem religioſæ familiæ, quæ Beatæ Virgini à Carmelo nomen habere ſe addixit: cuius quidem opus præter immenſam ipſius molem, reliqua omnia opera Olyſipponenſia, templo maximo excepto, vetuſtate ſuperat. Eius autor fuit clariſsimus quidã dynaſta, inter Lusitanos nominis celeberrimi, Nonius Alburus Pereiranus, à quo partem generis ducunt Brigantini duces, de quibus in proceſſu agendum eſt. Hic enim poſtquàm Ioanni primo huius nominis regi in multis, grauiſsimiſq; bellis domi, foriq; geſtis ſe fidelisſimum ſocium præbuit, ampliſsimarumq; laudum, & victoriarum cum eo fuit particeps, affecta iam ætate, rebus omnibus humanis ſalutẽ dicta, cœnobium hoc ſuis ſumptibus, iisque grauiſsimis, & maximis

laboribus ædificauit. Cùm enim aliquoties fundamenta labefactarẽtur, ferri etiam ingentem copiam ad eorum firmitatem adhibitã esse, traditur. Idem autem illustrissimus dynasta, impositò propè operi fastigio, in eodem cœnobio piè, religioseque ad extremum vsque spiritũ vixit. Transeamus hinc ad alia montana loca, quæ magis ad Orientẽ vergunt: & ad eum locum conscendamus, in quo Diuæ Annæ Beatæ Virginis matri templum, cœnobiũq; consecratum est, cuius festus dies ab Olysipponensibus mira hominum frequentia, operumq; varietate celebratur: præsertim cùm locus ille editissimus, spatiosissimusq; spectaculis omnibus peropportunum campum præbeat. Non procul hinc videre licet catadromum, siue stadium, in quo nobiles, patritijq; Olysipponenses equestri cursu sẽ omnib⁹ festis diebus exercere solẽt. Ad quem locum mira sanè est frequentia, tum equitum, tum spectatorum, incredibilisq; de primis partibus ferendis inter ipsos nobiles, patritiosque contentio. Cùm enim in Africana expeditione, cuius Olysippo præcipua altrix est, equorum maximus sit vsus, solent Olysipponenses, qui frequentissimè in Africam, causa belli cum Saracenis gerendi, transmittunt, equestri cursu magnoperè se exercere. Quod vt agilius faciant, quidam nonnunquam Saraceni personam fingit, alter Christianis cũ eo decertantis, & vterq; mutuis incursionibus, effugijs, flexionibus, alijsque equestris cursus modis se, equumq; ad veram pugnam committendam dexteriorẽ reddit. Sed procedamus ad ardua, quæ sequuntur loca, dum modò tamen vallem quandam interiectam, & aliquibus rebus nobilitatam non prætermittamus, in qua primùm se offert stabulum quoddam amplissimum, ad quod totum pecus, quod Olysippone ad victũ occidi solet, ex Olysipponensi pago, alijsque locis confertur: numerum autem facilè conijcere potestis, scientes arietum tantum quinque millia quotidie iugulari, & in tria macella, de quibus dixi, deferri. Est autem non parum iucundum spectaculum hoc loco canes exercitatissimos cum tauris aliquando ferocissimis congredientes videre, & auribus eos ita mordicus tenentes, vt eadem effugere nequaquàm possint: etsi nonnunquam canes minùs fortes cornibus in altum euehant, illisque mortifera vulnera infligãt. In eadem valle situm est nosocomium illud ægrotorum, qui elephãtiasi laborant, qui morbus vulgò Diui Lazari appellatur, quòd vlcera illa

ta illa, ex quibus mendicus Lazarus, vt eſt in ſacro Euangelio, laborabat, ab hoc morbo prouenisſe, aliquorum doctorũ ſit opinio. Hoc igitur in loco ægroti hi quicunq; ſunt diligentiſsimè curantur, nec morbus ille, à quo fatidica hominum natura tantopere abhorret, impedimento eſt, quominùs omnia illis cum ſumma pietate, & charitate ſuo miniſtrentur. Sed ad prærupta loca redeamus, emiſſoque eo, in quo Beatæ Virgini à monte cognomen habenti templum ſacratum eſt, quod remotiùs aliquantulum diſtet, & multiplici ſigmo opere, ad eius radices artificioſe facto, quòd argilla illa Olyſipponenſis ad ea vaſcula ſit accommodatiſsima, venio ad montem illum, qui operoſiſsimo cœnobio Diui Auguſtini familiæ nobilitatẽ eſt. eius enim opus, præcipua alia ſacra, quæ Olyſippone ſunt, adæquat: nam præter ampliſsimũ templũ, quod tribũ tectis operitur, & multa, quę habet, pretioſiſsima ſacella, eius periſtyliũ ita affabrè ędificatũ eſt, vt quarta tantùm pars, cum contignatione viginti quinq; millibus aureorũ ſteterit. Sacræ autem veſtis, & ſupellectilis domicilium ea habet receptacula, ijs figuris, & imaginibus diſtinctum eſt, eius pauimentum ita teſſerulis variatum, vt omnibus externis iucunditatem, & admirationem pariat: præſertim cùm ſacello quodam, in quo nobiliſsima quædã virgo Ioannis ſecundi regis neptis, ſepulta eſt, maximè exornetur. Quod attinet ad patres illius familiæ, centum & viginti numerãtur, triginta q; aureorum millibus aſſiduè aluntur, ibidemq; latinæ linguæ, philoſophiæ, & theologiæ curricula, cum magna diſcentium, docentiumq; laude peraguntur, concioneſque ad populum gratiſsimæ habẽtur. Eſt in eo cœnobio ſodalitas quædam, quæ Chriſto ad vitam redeunti peculiariter ſe deuouit, & nobiliſsimos quoſque dynaſtas in ſua ſocietate habere conſueuit. Quam ob cauſam dies ille, qui Chriſti ex morte triumpho ſacer eſt, tam ſumptuosè, magnificèq; peragitur, peculiariterque lucernarum, ac lampadum admirabili varietate, vt totum Olyſipponenſem populum ad eam celebritatem alliciat. Hinc paulò vlteriùs in gyrum progredientibus ſe offert rupes illa celeberrima, in qua arx Olyſipponenſis omniũ munitiſsima extructa eſt, Caſtellumque vulgariter dicitur: in quo opere ſpectantur multa propugnacula, & munimenta, multæ turres celſiſsimæ, præſertim illa, in cuius ſummo culmine adhuc veteriſsimus ille enſis conſpicitur, qui in

ea Saracenorum interneccione facta, cùm Olysippo ab Alfonso primo recepta est, magna hostilis sanguinis copia fuit perfusus. In eodem loco situm est quartum regium palatium, nulli magnificentia cedēs: vetustate autem, prospectu longissimo in totam illam oram maritimam, & ulteriorem Tagi ripam, multaque oppida in eius tractu sita, cæteris omnibus longè, multùmq; præstans. In eodē palatio domus est, quam regium tabularium dicere possumus, in qua prototypæ omnes tabulæ regni historias, antiquitatesq; facta continentes, quasi quædā certissima veritatis monumenta conseruantur: vnde quicquid ad antiquam aliquam possessionem, regū donationem, iuriū; comparationem pertiner, expromere cuicunque licet. Ad huius rupis radices Septentrione versus extructum est Societatis IESV collegium, quod Diuo Antonio Archimandritæ sacrum est. In eo sexaginta ex Societate viuunt, & in publicis scholis Olysipponensem iuuentutem litterarum disciplinas docent. Distribuitur autem tota iuuentus in octo gymnasia, numerusq; omnium auditorum mille enarium superat. Accedunt etiam ducenti, & eò plures viri sacris initiati, qui Theologiæ, quæ de moribus agit, à duobus peritissimis patribus cibum percipiunt. Illud singularis præstantiæ huic collegio ascribendum est, quòd cæterorum omnium, quæ per Lusitaniam, Brasiliam, & Indiam sunt erecta, origo sit, & seminarium, & soli Romanæ domui professorum vetustate cedat. Fundatū est autem à Ioanne tertio clarissimo principum à sanctissimo viro Ignatio Societatis parente, & auctore, cuius ipsos primos præstantissimos patres Franciscum Xauierium, & Simonem Rodericum, ad Societatem per Lusitaniam, & Indiam propagandā, precibus impetrauit. Cùm enim Franciscus Xauierius, notissima sanctitate insignis in India nauigasset, Simon Rodericus in Lusitania manens, coloniam illam primam Societatis institut, quæ paulatim collegij nomen, locumq; obtinuit. Stabilitum est autem collegium hoc ab eodem Ioanne tertio, & posteà ab Henrico rege reditibus amplificatum. Qui quidem rex ea magnificentia in illud moriens vsus est, vt quingenta supra duo millia aureorum patribus testamento legauerit, ad nouam fabricam in accōmodatiore loco extruendam: & in decliui ripæ aliquantulum tractu montis Diuæ Annæ, bonam maiorem partem, ædes, turres, ædificia conducentes assignauerit. Decedentibus iam ex

illis

illa ſuprema arcis rupe ad aream Diui Andreæ, offereteq; ſe aſpectui quintum regis palatium magnificentiſsimum, in quo olim Lusitaniæ reges habitabant, deinde Academiæ Olyſipponenſis locum obtinuit: tandem mutata Academia, ad aliam opportuniorem vrbem, nomine Conimbricam de qua nobis agendum eſt, perpetuæ cuſtodiæ eorum, qui violatæ religionis rei facti ſunt, applicatum eſt. Hinc modico poſt interuallo diuerſa, ſe offerunt duo clara cœnobia, alterum familiæ Diui Eligij, non ſolùm proprio opere, ſed etiam vicinitate ſexti regij palatij nobilitatum: alterum eſt familiæ etiam Diui Auguſtini, eorum videlicet patrum, qui à populo Canonici regulares appellantur. Vbi nec operis magnificentia, nec religioſorum patrum numerus, nec ſacræ veſtis apparatus, nec vllum aliud ornamentum deeſt. Decoratur verò præcipue brachio integro Diui Sebaſtiani, quem ad peſtilentiæ malum arcendum peculiarem patronum Europæi inuocant. Veniamus iam ad locum inferiorem aliquantulùm, in quo publicus carcer, idemq; amplisſimus collocatus eſt, in cuius ſuperiori cõtignatione ſpatioſiſsima ſunt atria iuri dicendo deſignata: ad quæ Senatores grauiſsimi, ſapientiſsimique quotidie conuenientes, miſſas ex toto regno ab inferioribus magiſtratibus maioris momenti cauſas rectiſsimè expediunt, & crimi noſos homines morte, exilio, aliiſq; pœnis mulctant. His autem omnibus literatiſsimis viris, quidam alius generis nobilitate, & prudentia præcellens nomine regis præeſt, qui vulgari nomine regens dicitur, & in ſupremo tribunali ſedens, quid ſenatoribus faciendum ſit, præſcribit, ac fere in eo honore habetur, quo rex ipſe, ſi præſens adeſſet. Progrediamur vltrà ad templum maximum Olyſipponenſe operis profectò ſumptuoſiſsimi, & veteriſsimi, cuius capaciſsimum templum tres turres in altum editæ intercipiunt: duæ quidem latera primariæ portæ tenẽtes, tertia poſt ſacellum maximum ſita. Ornatur templum multis ſacellis, iiſq; ſplendidiſsimis, in quorum maximo ſumma veneratione reconditum eſt ſanctiſsimũ corpus Diui Vincentij Martyris, quod à promõtorio ſacro Olyſipponem tranſlatũ eſt. Quoniã Valentia, vbi Martyris palmã obtinuit, cymba vectũ, coruiſq; comitatũ hoc ſanctũ cadauer, nõ ſine miraculo ad promontoriũ illud deuenit, Olyſipponenſes illũ patronum ſuſcipientes, cymbæ, coruorumq; picturam in ſuis inſignibus geſtant. Dicere poſſem de reditibus archipræſulis Olyſipponenſis,

&c

& totius collegij, quod canonicorum vocant, sacra item veste, & supellectile huius templi maximi, nisi facile ex totius vrbis, reliquorũque templorum magnificentia conijcerentur. Veniamus ergo ad templum illud, eius diui, quo maximè Olyssippo gloriatur, Diui videlicet Antonij Franciscanæ familiæ floris, ac decoris. Cuius quidem templum non mediocris fabricæ in ijsdem ædibus exædificatum est, quas Diui ipsius Antonij pater, & ipse viuens olim incoluit, ideòque summa veneratione ab omnibus Lusitanis colitur. Harum ædium partem posteriorem occupant illi, quos triumuiros appellare licet, & cum alijs magistratibus ea, quæ ad vrbis, populique commune bonũ spectant, accuratè administrant. Plura dicturus essem de Diuo Antonio Olyssippone nato, ac nutrito, nisi alio in loco, cùm de Patauio dixero, vbi diem extremum felicissimè obijt, opportunitas se offerret. Scio, non ita non exigui nominis loca, præterim parthenones, & dynastarũ quaplurima palatia silentio prætermissse, sed colloquiorũ breuitas, temporis angustiæ, aliaque multa in procellu dicenda, me breuiorem, quàm par erat, reddiderunt. LEO. Istorum sanè itinerum iucunditas tanta fuit, vt nos non defatigatos, aut fastidio affectos, sed mira suauitate perfusos, deliburosq; imò plurimùm audiendorum expectatione suspenses reliquerit. Sed nunc æquum est, vt quietem Michaëli nostro concedamus.

LINVS. Non quiete tantùm, sed & laude iucundissimæ narrationis dignũ censeo.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠

Proponuntur adhuc ea, quæ Olysippone, deinde Eboræ, & Villauizosæ acta sũt: & acceditur ad regnum Castellæ, Toletũ, & Mantuam Carpetanã, siue Matritũ. Colloquiũ decimum septimum.

LEO.

TAm expressam Michaël nobis hesterna nocte Olysipponis formam proposuisti, vt siue vigilans, siue dormiens eam oculis intueri mihi visus fuerim: sed perge adhuc plura vlteriùs dicere, nec auditorum fastidium aliquod reformides, imò auiditatem plura audiendi, certã, & exploratam habe. MICHAEL. Nihil sanè minùs, quã vestram satietatem timeo, sed me impedit, atque implicat rerum magnitudo, meaque indicendo tenuitas. Addã tamen aliquid de pago Olysipponensi, qui quidem ita saluber est, & fructuum omnium ad vitã necessariorum ferax, vt alijs Europæ amœnissimis, & fertilissimis locis nequaquàm cedat. Quanta verò fructuum in eo sit varietas, ex ea sola re admirabili, conijcere licet, quod in vnico tantùm horto septuaginta sex pyrorum genera inuenta fuisse, libro fide dignissimo sit mandatum. In hoc ergo pago Olysipponensi tot nobilium virorũ villæ sunt, vt vix numerari queant. Eiusdem pagi ambitus triginta leucas continet, in quo quã plurima castella, oppidaque ad Olysipponensem iurisdictionem pertinentia reperiuntur. Nobilitatur vero præcipuè aliquibus locis, in quibus Lusitani reges curarum suarum leuamentũ, voluptatumq;, & deliciarũ opportunissimam sedem esse voluerunt. Ex his celeberrima sunt oppida Almerinum, Peralonga, & Sintra, in quibus adhabirandum

magnificentissima palatia, ad venandas cui uscunq; generis feras amplissima septa, infinitis propè volucribus auiaria refertissima, piscib⁹ innumeris stagna redundantia, aquarum abundè scaturientium gelidæ perennitates, aliaque omnia ad oblectatione facientia mirabiliter spectantur. Meus tamen animus est harum insignium rerum, quibus Europa floret, descriptionem in plura regna, prouincias; distribuere. Quapropter quidquid vltrò de insignibus villis ad rusticana oblectamenta designatis dixero, de his etia locis paulò plus, minùsue dictum credatur. Ex vno enim eiusdè generis loco, aut quauis alia re, omnium aliarum magnificentiam absque vllius offensione colligi volo. LINVS. Fadis prudenter Michael, dum omnibus pro merito satisfacere, omniumq; inuidiam vitare cupis. Nunc vt, quæ à vobis Olysippone acta sunt, dicas, expectamus. MICHAEL. Dixi superiùs, nos adijsse clarissimum Cardinalem Albertũ, qui nomine Philippi regis Lusitaniã totam, & ea, quæ sub eius iurisdictione sunt, administrat. Nũc de eò aliquid, & quàm beneuolè nos exceperit, auditote. Est clarissimus hic Cardinalis imperatoris Maximiliani filius, Rodulphiq; adhuc viuentis frater, Philippi totius Hispaniæ regis nepos ex sorore, quẽ adhuc adolescentẽ, mira tamen prudentia, alijsque naturæ, & virtutum donis præditũ, auunculus ipse toti Lusitanicæ iurisdictioni præposuit. Hic igitur princeps cùm tanta nobilitate, & dignitate tam sæcra, quàm profana sit præditus, pro eo, ac eum decebat, nos benignissimè, humanissimèq; excepit: cùmque, vt dixi, totius Lusitaniæ gubernaculum tractet, & eo domestico, famulariq; apparatu vtatur, quo olim Lusitani reges vti consueuerunt: tanta fuit in nos comitate, & beneuolentia, vt cùm ter ipsum inuiseremus vnius fere mensis spatio, quo Olysippone morati sumus, semper amantissimè nobiscum egerit, nec sacram manum osculari, fuerit passus: quem tamen morem, venerationisq;, ritũ omnes dynastæ, & optimates obseruant. Nec verò solùm ea humanitate in nos est vsus: sed præter alia, lecticam suam curulem, qua per vrbem vehi solet, nobis frequenter commodari iussit, qua vecti celebria Olysipponis loca percurrimus: & ita ab eo, atque alijs Europeis dominis fuimus accepti, vt amorem, quo Iaponensem nationem prosequuntur, facilè significarent. LINVS. Amore nostram gentem Europæi prosequuntur? at ego quidem vix nomi-

nis

nis Iaponici eos notitiam habere exiſtimabam. MICHAEL. Falleris prorſus opinione amantiſsime Line: quem enim amorē in patrum Societatis animis erga nos eſſe credis, eundem etiam patres in mētibus Europeorum hominum erga noſtram gentem excitare per literas frequenter miſſas, debes exiſtimare: quibus quidē literis ita nationē noſtram commendant, vrbanitatem q, rei militaris diſciplinam, & præſertim ad Chriſtianam fidem miram propenſionem ita extollunt, vt longiſsimo locorum interuallo diſsiti ab Europeis hominibus, cupidi nō quàm vidimus, mirificè diligamur. LEO. Iſtud ſanè à te dictum nos magnoperè recreat, ac reficit. Cùm enim aliquoties Societatis patres inter nos habitātes minùs bene de noſtris moribus ſentire, intelligeremus, credibile prorſus erat, literis à patribus ad Europam miſsis, potiùs nos in Europeorum hominum offenſionem incurrere, quàm gratiā conciliare: tu autē contrà omnino ſe rem habere affirmas. MANCIVS. Ita eſt prorſus, vt affirmat Michaël: Societatis enim patres erga nos parētum, & magiſtrorū perſonam ſuſtinent: quotieſq; nobiſcum agunt vtilitatis noſtræ ſtudioſi, mores non ad politicā vitam pertinētes, ſed cum lege diuina, & naturæ lumine pugnantes, tanquam vitioſos nobis exprobrant, & quibus poſſunt verbis, illos perſequūtur: cùm verò ad Europeos homines de Iaponicis rebus literas mittunt, paterni amoris non immemores, ita illis naturæ, & induſtriæ dona, quæ in nobis ſunt proponunt, vt vitia prorſus reticeant, & contegant. Vnde fit, vt ex eorum literis ad Europam perlatis nullum in noſtrum nomen dedecus, ſed potiùs ſumma laus, & gloria redundet. MARTINVS. Equidem ex omnibus rebus noſtris, quarum rumor ad Europam peruenit, intelleximus magnum eſſe patrum Societatis in nos amorem, quo res noſtras ita commendāt, vt plus etiam nitoris, & ſplendoris, quàm noſtræ res habent, illis adiungant: ideq; ex fama Iaponicorum dynaſtarū per totam Europam ſparſa, facilè licet colligere. Sic enim res præcipuè in bello, & in pace à Nobunanga geſtæ inter Europeos homines percrebuerunt, vt nullus alius noſtræ nationis homo tam ſingulare de illis præconium ferre potuerit. IVLIANVS. Quid verò dici poteſt de Quambacundoni celebritate, ac fama, qui nullos alios præſtantiores ſuarum laudium præcones, & buccinatores, quàm patres Societatis pertulerat reperire, quorum epiſtolis fit, vt omnis eius fama, & gloria nō

angustioribus, quâ ipsius solis cursus finibus terminetur. Quod si ille cognoscerem, absq; dubio potius patres multis beneficijs, muneribusq; cumularet, quàm falsos rumores à maleuolis hominibus de illis sparsos libenter exciperet. MICHAEL. Rectè loquuntur socij, quasi re ipsa, atq; opere Europeorum hominum in nos amorem, patrumq; præsertim velut parentum charitatem experti. Sed (vt institutum cursum prosequar) patres in ea professorũ domo Olysipponensi, non aliter no biscum è naui descendentibus se gessêrunt, quàm si filios charissimos ex grauissima maris iactatione, periculoq; diu expectatos saluos, & incolumes recepissent. Morati igitur sumus Olysippone viginti quinque dies: multò diutius ibidem permansuri, nisi nos ad inuisendum regem, summiq; Pontificis Gregorij. Xiij. sanctissimos pedes osculandos cura nostri muneris incitaret. A cardinali igitur Alberto facultate impetrata, patribusque salute dicta, patre Nonio Roderico negotiorũ cauta præeunte, cum præceptore nostro patre Iacobo Mesquita, Romanum iter nonis Septembris aggressi sumus, eadem via Philippum Hispaniæ regem, Matriti habitantem conuenturi. Voluit item reuerendus pater Sebastianus Moralis Lusitanicæ prouinciæ Societatis Iesu præpositus, quem postea Iaponensem præsulem consecratum, in Indiam venientem, diem obijsse in itinere superiùs dixi, nos vsq; ad Lusitaniæ fines comitari. Traiecimus igitur Tagũ fluuiũ, cuius Olysippone ad vlteriorem ripam, ad quam delati sumus, trium leucarum est transitus, fecimusq; aliquot dierum iter per feracissimã frumenti, & olei prouinciam Lusitaniæ Transtaganam, donec ad oppidum nomine Montẽ maiorem, peruenimus, multis equitibus Lusitanis frequens. Opperiebatur iam nos in hoc oppido œconomus quidam illustrissimi archipræsulis Eborensis, quem, ipse de nostro aduentu certior factus, nos in eo loco excepturum, benignissimèq; habiturum, cum lectica curuli, aliaq; domestica supellectili præmiserat. Fecit ille quidem iuxta id, quod beneuolentissimo in nos præsuli gratum esse intellexit, & cum eo nostri die profecti Eboram vic; quinque leucas inde distantẽ, peruenimus. Est vrbs hæc, post Olysipponem, vna ex tribus Lusitaniæ præstantissimis: iactat se conditore primo Sertorio Romanorũ claro duce, multisque vetustissimis ædificijs, alijsque nouis nobilitatur. Non est mihi in animo eius singulas partes describere, id enim in prima vrbe feci-

se, suffi-

se, sufficiat. Non tamen prætermittam, claram esse eam vrbe, aquæ, quã argenteam dicunt, vbertate, quæ quidẽ longinquo spatio vitra duas leucas extra vrbem, aqueductibus in eam inducitur. Sunt autem aquæ ductus egregij operis, leucam quidem cum dimidia sub terra reconditi, reliqua vero media paulatim sese exerentes. His ergo tanta aquæ copia in vrbẽ infertur, vt quatuor artificiosissimis fontibus in publicis areis confectis, multaque ora habentibus, vberrime effundatur, eademq; aqua cum omnibus religiosorum hominum cœnobijs, virginũq; parthenonibus peculiares fontes in suis peristylijs habentibus, abũde communicetur. Ornatur eadem vrbs aliquorum sanctorum ortu, præsertim diui Vincentij, & duarum sororum, diuitẽ Mancij matyris, cuius adhuc celebre monumentũ extat, columna videlicet, ad quam religatus, & à crudeli tyranno verberibus, aliisque tormentis cõfectus, palmam cælestis victoriæ dicitur obtinuisse. Est præterea in parthenone quodam sacrarum virginum, statua quædam ingeniosissimè cõposita, Christi domini adhuc pueri infantis formam repræsentans, quæ in summa apud populum veneratione est, quod plebis coram ea religioso animo ad Deum factis, Deus ipse miraculis nudatis editis, sæpe votis supplicum, optatisq; responderit, quosdam è gratissimis morbis liberans, alios ex alijs vitæ periculis eripiens: quæ omnia facta mirabilia certissimis tabulis sunt testata. Videre præterea licet in hac vrbe magnifica, & præclara ædificia, quæ sanè multa sunt, tum profana, propter multitudinem dynastarum Lusitanorũ, qui in ea vrbe sedem habent, tum etiam sacra religiosorum hominum, ac fœminarum: sed de collegio tãtũ Societatis, eodemq; nostro hospitio dicã. Fuit quidem illud à primis fundamentis iussu Henrici sanctissimi regis, dum munus archipræsulis Eborensis obtineret, magnificentissimè extructum. Cum enim rex hic sanctitate præcellens viuentem haberet fratrem maximum natu Ioannem tertium Lusitaniæ regem, aliosque multos fratres, sacris se addixit, & primùm quidem Bracarensis archipræsul, deinde Eborensis, tandem Cardinalis est creatus. Mortuo verò Ioanne tertio, & Sebastiano eiusdẽ nepote absq; liberis, ad Henricum Lusitaniæ regnũ deuenit, & post pauũ ad Philippũ potentissimũ Hispaniæ regem est hæreditario iure transmissum. Cũ igitur clarissimus ille Henricus Eborẽsis archipræsulis munus obiret, patresq; Societatis im-

primis

primis coleret, maximis ſumptibus collegium illud Spiritui ſancto dedicarum ædificauit. Habet illud quidem multa commemoratione digniſsima, quæ breuiter exponam. Primùmq; illud eſt, quòd nō ſolùm Societatis collegium ſit, ſed etiam publica Academia vna ex duabus Lusitaniæ, in qua multæ optimæ artes, doctrinæque iuuentuti vndique confluenti à patribus traduntur: præſertim verò vltra linguā latinam, Philoſophiæ, & vtriuſq; Theologiæ, eius videlicet, quæ Diuina ſpeculatur, & eius, quæ de moribus agit, ſtudia ſummoperè floreant. Vt autem maior eſſet auditorum frequentia, & ad operam bonis artibus dandam ardor vehementior, idem clariſsimus Henricus, quoſdam conuictorum conuentus inſtituit, in quibus iuuenes non mediocri numero, quidā Philoſophiæ, alij vtrique Theologiæ operam nauantes, reditibus ab eodem perpetuò aſcriptis, & ſtabilitis, lautè, & ſplendidè alūtur. Quæ quidem res, non parum nobilitat eam Academiam, nec mediocres ſtimulos adoleſcentibus ſtudioſis addit, vt multò impenſiùs, & accuratiùs ad bonas artes perdiſcendas incumbant. Collegij ipſius ſtructura verè regia dici poteſt: multis nanq;, & egregijs operibus exornatur. Primùm quidem ampliſsimo periſtylio, fonteq; eximij operis media ſui parte continente, in quo præter columnarum ex perpolito marmore multitudinem, videre licet capaciſsimā gymnaſia, ad quæ varij auditores magna frequentia conueniunt. Iam verò templum ipſum nuæ profectò eſt fabricæ, non ſolùm multis ſacellis vtrinq; decoratum, ſed etiam variis ſanctorum figuris, & imaginibus dextro, læuoque pariete apprimè depictis, mirificè variatum: quæ quidem picturæ tanquam pretioſiſsimæ non ſemper patent, ſed communibus diebus luteis obtectæ, feſtuis, ſolennibuſq; iucundiſsimè ſpectantur: ſupellex verò ſacra cùm eade operis magnificētia ſumptuoſè conuenit, tum vaſa ex auro, & argento, tum multiplicis modi, maximiq; pretij veſtem conſideres. Quid dicam de interioribus patrum domicilijs? vbi etiam periſtylium aliud non minus magnificum, pergulæ cum cubiculis ad habitandum commodiſsimæ, aqua multis in locis abundè profluens, cœnatio non mediocris magnitudinis, & artificij, denique omnes aliæ ad religioſorum hominum vitam neceſſariæ commoditates reperiuntur. Patres numero ſunt vltra centū & viginti, reditibus cum ab eodem Henrico rege ſatis affluenter donati, quæ

tota

tota multitudo, non solu iuuentutem illa, ciuitatemq; vniuersam optime de Christiana pietate, rerumq; diuinarum cognitione instituat, sed etiã per tota illa trastaganã regione in cõcionibus habẽdis, alijsq; actionibus animorum ataneubus se exerceat. Hoc ergo collegium ingressi socio patre prouinciali Lusitaniæ, præter lætitiam illam, qua ex aspectu collegij, patrumq; sumus affecti, recreati fuimus magnopere præsentia ipsius archipræsulis Theotonij, qui cùm sit ex regia familia, Braganticq; ducis patruus, & amplissimis reditibus abundet, nimirũ quingenta aureorum millibus quotannis, nihil potius esse duxit, quã vt nos lætitia inuiseret, & de aduentu iucundissime gratularetur, & per septem dies, quibus Eboræ fuimus, victum quotidianũ abundantissimè ad nos mitteret. Vltra quæ omnia, die exaltationi Sanctæ Crucis sacro, nos ad festum illum diem in templo maximo celebrandum, & ad epulum domesticum inuitauit. Mira sanè fuit eius diei solennitas, publica supplicatione habita, ipso archipræsule solenne Crucifigente, criminum circa fidem inquisitore concionante, qui quidem licet concionandum, ex crucis trophæo occasione captata, ita aptè ad res Iaponicas tractandas, nostrumq; aduẽtum celebrandum digressus est, vt omnium animos summa iucũditate perfuderit. Quid verò dicam de humanitate, qua clarissimus archipræsul, peracto sacrificio, nos ad conuiuium perduxit? de huius conuiuij magnificentia, quæ tali principe digna fuit? de eiusdem archipræsulis erga pauperes humanitate? Solet enim, quod eodem die fecit, dum ad mensam accumbit, duodecim pauperes ad aliam vocare, vbi ab eiusdem administris omnia illis abundè suppeditantur. Imitatur videlicet ea in re antiquos Christianæ religionis pontifices, qui clementissimos se erga pauperes præbere consueuerunt, & præsertim magnum illum Gregorium summum pontificem, qui ad prandium inuitare pauperes benignissimè solitus, nonnunquam angelos ipsos, interdum etiam dominum angelorum sub pauperis tegumento delitescentem dicitur excepisse. Intrò conuiuio idem archipræsul nos ad sacellum suum videndum detulit, quod præter operis, ornamentorumq; elegantiam, insignium sanctorũ reliquijs optimè compositis erat decoratum, quas omnes se nostræ Iaponiæ dono dare, & ad nostrum reditum tradendas, reseruare dixit, quod re ipsa præstitit. Præterea dedit nobis quatuor peristromata ex-

serico

ſerico, & auro miro opere intexta, figuriſq; optimis ornata, quæ ſanè regium apparatum præ ſe ferebant, & niſi eorum iacturam feciſſemus, naufragio cuiuſdam nauis Indicæ ad ſcopulos alliſæ, magnum profectò eſſe poſſent apud noſtros Europeæ magnificentiæ argumentum. Addidit etiam ad itineris expenſas ducentos, & quinquaginta aureos, vltra quos mille alios redeuntibus donauit, quibus nonnullas Europæ res pulchras, atq; elegantes emere, & propinquis noſtris donandas afferre poſſemus: deniq; tanta fuit huius archipraſulis erga nos beneficentia, vt meritò eius memoriam in noſtris animis penitus inſculptam eſſe affirmauerim, totamq; noſtram Iaponiam illi tam benemerito principi, tamque Iaponicarum rerum ſtudioſo deuinctã eſſe aſſeuerẽ. Venio nunc ad alterum oppidum ducis Brigantini dominatu, ac præſentia valde nobilitatũ, eſt autẽ nomine Villauizoſa, quod Lusitanè amœnum, & delectabile ſonat: ad quod Ebora profecti ſumus decimo octauo calendas Octobris, ipſius archipræſulis lectica curuli vecti, Brigantinum ducem eius ex fratre nepotem inuiſuri. Dux hic Brigantinus in Hiſpania celeberrimus eſt propter communionem ſanguinis, quæ illi vtroq; genere cum regibus Luſitaniæ intercedit. Nam præterquam quòd paternum genus à Ioanne primo huius nominis Luſitaniæ rege ducit, materno adhuc propinquius regiam ſtirpem attingit. Catharina enim eius mater, Emanuelis regis Luſitaniæ neptis eſt, & Philippi Hiſpaniæ regis ſoror patruelis. Ad hanc ſanguinis nobilitatem accedit huius ducis locupletiſsimum patrimonium, ex ampliſsimis reditibus conflatũ, quod iam inde ab antiquis auis traditum poſsidet, auctumq; conſeruat: reditus autẽ annui, quos colligit, centum aureorum millibus, & eò pluribus æſtimantur. Iam verò domus ipſius ſupellex, cuius ſemper eius maiores fuerunt ſtudioſiſsimi, ita elegans eſt, taliſq;, ac tantus famularis apparatus, vt nõ duce regi ſubiectum, ſed liberum omnino, atq; immunẽ gerere videatur. Quapropter his omnibus ornamẽtis à me cõmemoratis ita excellit, vt inter omnes Luſitaniæ dynaſtas primo loco numeretur. Hic igitur dux cùm iam per nuntios accepiſſet, nos aduentare, patruum ſuum imitatus, lecticam etiam curulem ad nos miſit, qua ad oppidum vſque veheremur. quod cùm primùm ingreſſi ſumus, templum quod iam petimus, vbi dux ipſe cum omni nobilium turba nes præſto

omnia labatur

labatur: quo in loco ad fores templi accedens, nos benignissimè excepit, & ad sacrum, quod solenniter faciendum erat, honorificentissimè inuitauit. Quid ego vobis de suauitate, & melodia cantus, quo sacrum illud celebratum est, dicam? quid de instrumentorum musicorum varietate? quid denique de sacrarum vestium pretioso ornatu? Quæ omnia non ducis tantùm, sed regiam etiam magnificentiã ostentabant. Quid etiam referam de lautissimo, & pretiosissimo apparatu, quo, post sacrum factum, intra ducis palatium excepti sumus? Vbi primùm, ita volente duce, Catharinam illustrissimam principem Emanuelis regis neptem, ipsius ducis matrem inuisimus, quæ profectò nõ minori nos amore accepit, quàm si quatuor filij è longinquo loco venientes ipsi occurrissent. Posteà conuiuium à duce ipso lautissimè, & apparatissimè nobiscum initum est, cuius varias epulas, vasa aurea, atque argentea, reliquáq; pretiosissimam supellectilem summoperè demirati sumus: adeò, vt ipsamet pelues, qua lances argenteæ abluebantur, ex optimo argento confecta esset: vt interim omittam alia regiæ planè magnificentiæ argumenta. Pomeridiano tempore post alias voluptates, & oblectamenta, voluit Catharina ducis mater nos Laponicis vestibus indutos iterum conspicere, & aliquam vespertini temporis partem familiari colloquio consumere. Recreata est illa quidem mirũ in modũ Laponicis vestibus conspectis, Laponiæq; rebus auditis, ita vt eius ardens studium totius nostræ Laponiæ ad religionem Christianam traducendæ ipso vultu, quasi certissimo indice pectoris, Christiana pietate flagrantis, bene intueremur. Nec verò parum significauit, quàm topere ad res Laponicas esset propensa, cùm vestes nostras ad se deferri iussit, & ad earum exemplũ quasdam alias elegantissimas filio suo secundo nomine Eduardo confici, & postridie, vt Laponicum quendã nobilem adolescentem videremus, benignissimè inuitauit. Cùm ecce nobis prænitibus Eduardus eius filius Laponicis vestibus egregiè indutus, in medium prodijt, mirificèq; omnes spectantes exhilarauit. Præter hæc, voluit dux rusticana nos oblectatione recreare, & in septum quoddam latissimum, quod habet varijs feris frequentatum, deduxit, centum, & quinquaginta equitibus comitatus, vbi non solùm ferarum venatu, iucundissimaq; præda, verùm etiam malorum medã eorum equestri ludo, equorumq; nostra agilitate conspecta, vehemen-

ter fuimus recreati. Post his, atque alijs similes amoris significationes, duci, matri, totiq; familiæ salutem dixim⁹, ducentosq; aureos ab ipsis dono datos ad itineris sumptus, aliaque dona amorem testificantia accepimus: nosque his duobus dominis archipræsuli videlicet Eborensi, & Brigantino duci perpetuo beneficij vinculo obligatos esse testamur. Villauizosa profecti decimo quarto Calendas Octobris, Elurum oppidum Lusitaniæ, & Pacem Augustam, vulgò Badaios, aliam vrbem Castellæ, quæ in Meritensi pago est, transiuimus, & quinto post die, nono videlicet Calend. Octob. ad celeberrimū cœnobium religiosorum ex Diui Hieronymi familia, cuius templum beatæ Virgini dedicatum est, & ab Aquæ lupi cognomē habet, læti peruenimus. Est autem hoc cœnobium multis nominibus in Hispania nobilitatum, tum propter operis magnitudinem, tum propter reditus amplitudinem, tum vel maxime propter miraculorum frequentiam, quæ Deus Optimus Maximus Beatæ Virginis precibus in eo loco edere dignatur: quæ non solum multorum testimonijs confirmata, verū etiam multis, varijsque signis, & tabulis in templo appensis, iam à multo tempore posteris sunt prodita, & noua quotidie ab oculatis testibus spectantur. Ea de causa Hispaniæ totius reges, & dynastæ templum illud multis, varijsque donis exornarunt. Ex quo factum est, vt mira sit templi illius, supellectilisq; sacræ magnificentia, & assiduè quin quaginta lampades argenteæ coram Beatæ Virginis imagine ignem conseruent. Hic animorum maculis confessione expiatis, diuinisque rite peractis, vlteriùs progressi sumus, & Toletum, Toletani regni, siue Castellæ nouæ, metropolim peruenimus. Est autem vrbs hæc tū vetustissima, tum varijs rebus admodùm insignita, vbi Societatis patres domum professorum, collegiumq; scholasticorum habent. Sunt in ea multa, variaque ædificia, inter quæ numerantur sexaginta, & eò plura templa variorum religiosorum, ac octo nosocomia: quorum omnium structurā superat templi maximi moles admirabilis, quæ præter quinq; partes, siue receptacula suis tectis distincta, tanta est laterū amplitudine, vt vltra sacellum maximum, aliudq; quod regum dici solet, viginti hinc, atque inde sacella contineat, quorum singula non parua templa dici possunt. Vnde totius templi vastam magnitudinem colligere potestis. Ad huius autem templi capacissimam molem accommodatū

commodatum est sacellum maximum, cuius ara sacra tabula talibus est depicta, & exornata imaginibus, vt nihil supra fuerimus intuiti, ad hanc materiam pertinens: meritòq; crediderimus, ingentem auri summam in eo opere fuisse expensam. Eandem maximam aram mirificè exornat tabernaculum tertium, quo sancta Eucharistia asseruatur, cuius opus admirabile profectò est. Supra portam eius collocata est quædam statua beatissimam Virginem cum dilecto filio brachijs excepto referens, cuius nomine inuocato multa ibi miracula patrantur: ideoq; omnium animi summa quadam pietate sunt erga illam affecti, & continenti igne ante eam octo argenteæ lampades lucent. Ejusdem operis scitote etiam esse reliqua omnia sacella, præsertim illud, quod regum dicitur, in quo antiqui Castellæ reges sepelirí consueuerunt. Est præterea in hoc eodem templo insigne quoddam odeum quàm plurimis sellis decoratum, in quibus canonici recitandis sacris precibus intenti sedere solent: quarum singulæ ita sunt affabrè confectæ, vt vnius cuiusq; opus mille aureis sit æstimatum: quæ omnes quatuor supra septuaginta sunt, recto ordine dispositæ. Quid vobis referam de illius templi sacra supellectile, de vasis, crucibus, reliquiarum thecis, alijsque operibus ex auro, & argento confectis? inter quæ celebratissima est pixis quædam, qua Sancta Eucharistia in publicis supplicationibus defertur. Hæc tantæ est magnitudinis, vt ad eam lectica gestandam, viginti sint necessarij sacerdotes: totq; vnionibus, & margaritis est circumtecta, vt vix eius pretium æstimari possit. Illis adiungite tum rim egregij cuiusdam operis, septemq; contignationum, in qua collocata sunt tintinabula egregiæ metallorum commistione conflata, quæ vndecim numerantur: atq; inter ea quoddam est insigne, cuius ambitus quadraginta, & sex palmos explet. Denique templum hoc maximum Toletanum inter celeberrima totius Europæ cõputatur, & plusquã millies sestertiũ in eius structura cõsumptũ esse, pro cõperto habetur, totq; sacerdotibus, diuinarumq; rerũ ministris abundat, vt incredibilis sit eorum multitudo: tam ampli verò sunt reditus, vt inter eos, qui dignitate peculiari præstant, reperiatur, cui viginti quinque millia aureorum quotannis recipiat, & ipse archipræsul ducenta millia colligat, nec solùm sacram potestatem, verùm etiam profanam in multa oppida exerceat. Vnde fit, vt non sit mirum, templum hoc tantis, tã-

que pretiosis operibus esse locupletatum. In hac Toletana vrbe viginti dies summus moraci, morbo videlicet, in quem ipse incidi, impediti, & nonnulla alia publica opera vidimus, de quorum duobus tantùm mentionem faciam. Alterum est, opus quorundam mirabilium aquæ ductum, quibus, natura veluti repugnante, aqua Tagi fluminis celebratissimi, de quo superiùs mentionem feci, cùm de Olyssippone agerem, ad altissimam vrbis aream, quæ quadrigentis, & quinquaginta palmis à ripa fluminis distat, cogitur quodammodò conscendere. In primis enim productæ sunt quædam amplissimæ scalæ à margine fluuij vsq; ad illã aream, supra quas trabibus insertis aquæ ductus illi ærei fulciuntur, eius quidem formæ, vt ampliori loco aquam recipiant, post modum tubulis illam mittant. Eo autem ordine sunt dispositi, subliciſq; adhibitis vertebris infixi, inter se verò ita subtus catenis ferreis cõnexi, & colligati, vt quoties infimus, qui ad ripam fluminis est, motu suo aquã recipit, & in superiorem mittit, reliqui etiã seruato ordine moueantur, & ab inferioribus receptam aquam in superiores transmittant, quò vsq; ad fastigiũ illius loci deriuetur. Hæc autem tota machina duabus rotis, quæ in infima parte sunt ad fluminis ripam, mouetur, & ita tecto suo velata est, vt nulla cæli iniuria ordinẽ huius operis, quod verè regiũ est, perturbare vlla ex parte possit. Est & aliud insigne opus cuiusdam horologij, admirabili arte compositi, quod cùm altitudine quatuor ferè palmos vix expleat, omnes cælestium orbium conuersiones, errantiumq; siderum concursus, oppositiones, defectus, aliaq; similia ita mirabiliter imitatur, vt nec primæ sphæræ motus contrarij, nec octauæ illæ, qui vulgò trepidationis dicitur, nec septem planetarum cursus cum solis, lunæq; horarum varietate, nec denique duodecim Zodiaci signorum ortus, occasusq; desiderentur. Ibi igitur videre licet primã sphæram die vnico, Saturni orbem triginta propè annis, solem anno integro, lunam mense acto, reliquosq; alios cælestes orbes suis statis temporibus cursus proprios conficientes: adeò vt nullus sit in cælo motus ex ijs, quos astronomi contemplantur, qui eo opere ingeniosissimè, & certissimè annorum, mensium, dierumq; spatio designato non exprimatur, adhibito etiam aureo numero, dominicisq; dieri literis in singulos annos incidente. Hoc autem totum opus mille, & octingẽtis sphæralis constat, quæ eo artificio iunt confecta, vt nullus fabrica

brica ſecundò fuerit reperta. Excogitatū verò eſt viginti integris annis, & poſteà tribus cum dimidio incredibili ſpectatorum admiratione perfectū. Vtriuſq; aquæ ductus, videlicet horologij, & fabricæ, quæ ſanè inter ſe de maudito artificio certant, author fuit Italus quidam Iānellus Turrianus Cremonenſis, fama per totam Europam notiſſimus, & ab imperatore Carolo quinto, & Philippo Hiſpaniæ rege eius filio, operoſiſſimi laboris præmio magnificentiſſimè ornatus. LEO. Iſta quidem omnia ate cōmemorata in maximam nos admirationē traducunt, Europæorumq; hominum mirum ingenium, rerum verò ornatum, magnificentiamq; facilè perſuadent. Dubito tamen, qui fieri potuerit, vt artifex cogitationis, & intelligentiæ vi iſtorum operū ſtructuram aſſequeretur? MICHAEL. Dubitatio iſta, Leo, omnino tibi ex animo tolleretur, ſi Europæorum hominum intelligentiā tam multis artibus excultam omnino cognoſceres, qua fit, vt ea, quæ incredibilia videntur, ad exitum perducantur: ſed hanc de Europæis rebus opinionem inculcabunt melius, quæ in progreſſu colloquiorū dicentur. Multa alia de Toletana vrbe regia dici poſſent, cùm iis omnibus, quæ nobiliſſimas quaſq; Europæ vrbes exornant, ſit cumulata: ex iis tamē, quæ de Olyſippone iam diximus, facilè coniecturam illorū facere poteſtis. Non prætermittam hoc loco honorem, beneuolentiamq; illam, qua illuſtriſſimus vir Ioannes Mendoza, tunc Toletanæ eccleſiæ archidiaconus, nunc verò clariſſimus Cardinalis, toto eo tempore, quo Toleti fuimus, nos proſecutus eſt. Hic enim non ſolùm nos ſæpe inuiſit, & ad varia loca vrbis celebria, mirabiliaq; deduxit, lecticam ſuam curuſem nobis commodans, verùm etiam ad domeſticum conuiuium domi ineundum inuitauit, quam ille ea propria, & ornatu inſtructam habet, quæ tam nobilem, clarumq; virum decet. Eſt enim ex illuſtriſſima familia ducis Infantani, fraterque eius, qui modò ducem gerit, & inter potentiſſimos, locupletiſſimoſq; Hiſpaniæ dynaſtas locum habet. Ab hoc ergo nobiliſſimo viro, tam benevolè habiti ſumus, vt ei nos perpetuò deuinctos, & obſtrictos fore fateamur. Quam ob cauſam cùm in Matritenſi portu eſſemus, audientes, eum à ſummo Pontifice Xiſto. V. cum aliis quibus aliis, de quibus poſteà erit ſermo, in Cardinalium numerum relatum, non mediocri iucunditate perfuſi ſumus. Adierunt nos etiam multi alij eiuſdem vrbis patri-

tij,

tij, optimatesq; viri, ardentissimi amoris signa erga nos ostendêtes: sed explicare verbis nequeo patrũ Societatis, qui in domo professorũ commorantur, paternam erga nos charitatem, quibus ego me peculiariter obligatum agnosco, quòd in molesto admodùm bullularum morbo, quo laborauit, qui apud nostros Iaponenses graue fastidium parere solet, tam diligenter, amicèq; vocatis peritissimis medicis, omnia necessaria subministrarunt, vt eos à proprijs parentibus nequaquam discernerem. Vltra eam verò professorum domum, collegium est item Societatis in eadẽ vrbe, ab illustrissimo archiepiscopo Toletano Gaspare Quiroga, eodemq; clarissimo Cardinali paucis ante annis ædificatum: cùmque magna sit in Societatem beneuolentia, & fructũ ex ea in omnes summoperè redundantem intelligat, Talauerij etiã, quod oppidum transiuimus, aliud liberaliter extruxit. Postquã verò ex eo, quem dixi, morbo conualui, decimo quarto Calendas Nouembris ex ea vrbe profecti, posti die Mantuam Carpetanam, siue Matritum, regium oppidum peruenimus, in quo Philippi potentissimi Hispaniæ regis curia est celebratissima. Accedentibus autem ad oppidum multi patricij viri, & inter eos non nulli ducum, comitis mẽ, filij, lecticis curulibus vecti, nobis obuiam prodierunt, & post mutuam salutationẽ honoris, beneuolentiæq; causa singuli ex illis, nos etiam singulos in suas lecticas admiserunt, & ad collegium patrum Societatis sunt comitati, ea amoris significatione, quasi inter ipsos, ac nos vetus, & diuturna consuetudo intercederet. Patres autem Societatis nos templũ ingredientes, & patricijs illis viris salutem dicentes, beneuolentissimè etiam ad hospitium receperunt. Sed quoniam, quæ Matriti acta sunt, integrum colloquium postulant, præsenti finem imponam?. LINVS. Rectè dicit Michaël: crastina nanq; nocte ab oppido regio Matrito, rebusq; ibi actis, sermo perop portunus inisti tuetur.

De potentia Philippi Hiſpaniæ regis, & ſolenni iureiurando, quo regni magnates eius filio tanquam ſucceſſori fidem dederunt, & aditu legatorũ ad vtrumq;. Colloquiũ decimum octauum.

LINVS.

AVdiùs ſolito conuenimus ad præſentem congreſſum, cientes, te de acceſſu ad regiam ſedem Philippi Hiſpaniæ regis, & de eius potentia, ac maieſtate eſſe acturũ: cùm enim tam multa dixeris de aliquibus principibus, qui ſub tanti regis iuriſdictione ſunt, nihil de eo, niſi ad mirabile ſperari poteſt. MICHAEL. Ita prorſus eſt: quicunq; enim ſiue ad opes, ſiue ad potentiã pertinentia, per reliquos principes ſuis quoq; modo ſparſa, in hoc vno potentiſſimo rege collecta continẽtur. LINVS. Eſt ne Philippus iſte rex, de quo agis, omnium Europæorum regum maximus, & ſupremus? MICHAEL. Excepto imperatore, qui ſupremam omnino obtinet dignitatem, difficile eſt, reges Europeos, quorũ ſinguli liberam, atq; immunẽ iuriſdictionẽ habent, inter ſe conferre, & primas partes vndequaq; alicui tribuere. Illud tamen ſine inuidia, & alicuius offenſione dici poteſt, Philippum regem, præter cæteros omnes Europeos reges, iuriſdictionem regni ſui longè, lateq; propagatam obtinere. Imò verò, vt excipiam imperatores Romanos, qui magnam orbis partem ſub ſuum imperium ſubiunxerunt: nullus hactenus fuit rex, qui ſigna ſua in tot, tamque remotas prouincias intulerit. Cùm enim orbis terrarum, vt ſuperiùs à me dictum eſt, in quinque præcipuas partes diſtribuatur, Europam videlicet, Africã, Aſiã,

Amer-

Americam,&terram Australem incognitam.Philipp⁹ rex,de quo loquimur,in primis vnà ex his quinq; partib⁹,videlicet Americam totam,atq; integrà sub sua iurisdictione habet, sub qua ditissima regna Peruense, &Mexicanũ cũ alijs quàm plurimis insulis,& prouincijs continentur, ad eamq; Brasilia etiam pertinet. Deinde cùm Europa optima,& fertilissima totius orbis pars,quàm plurima regna cõplectatur, ex his Philippus rex septemdecim,vel octodecim regnorum dominatum habet. Nam in primis totius Hispaniæ dominus est,in qua quatuordecim distincta regna numerantur.Comes est inclytus Galliæ Belgicæ,quæ illas optimas prouincias Flandriam, Zelandiam, Olandiam, Brabantiam, aliasq; multas regiones cõtinet. Vlteriùs rex est Neapolitani regni,in Italia sit:rex item Siciliæ, dux denique potentissimus Mediolanensis. Quod attinet ad Africam, per eius tractum maritimum, quem mare mediterraneum aliqua ex parte, maxima verò Oceanus alluit, multas,munitissimasq; arces,atq; vrbes possidet, & in locis mediterraneis multos reges vectigales, & stipendiarios habet. Sunt autem præcipuæ arces,aut vrbes in mediterraneo mari,Oranum,Pinnabelica,Tingi,Septa: in Oceano verò vltra Azillam & Mazaganum,insulæ promontorij viridis,& Diui Thomæ: Congum, Angola,Sophala,Mozambiquium. Iam verò in Asia in primis Ormucij regnũ obtinet,quod ex ipsa insula,in qua est vrbs Ormucium,& alijs Persiæ, ac Arabiæ locis cõstat. Deinde in India citeriore multarũ vrbiũ,de quib⁹ partim dixi,dominus est: in vlteriore verò Malacam vrbem clarissimam sub sua ditione tenet. Præterea Malucæ insulæ celeberrimæ, & illæ,quæ ab ipso Philippinæ appellantur, ipsius imperio continentur. Vnde fit,vt toti⁹ ferè Oceani nauigatio penes ipsum sit:ex quo quàm longè,latèq; eius potestas pateat, facile intelligetis. LEO. Miror equidem tantam istius regis potentiam:sed quæ sit causa,quare alia etiam regna suæ ditioni non adiunxerit, scire cupio. MICHAEL. Duæ sunt causæ Leo: altera est,quòd Christiani reges iure, non vi dominatum sum⁹ pro pagare soleant,ideòq; regnorum suorum finibus contenti viuant: altera est,quòd cæteri Europæi reges potestate etiam,& regnorum amplitudine sint præstantes: quo fit,vt non facilè alij alios possint opprimere. LINVS. Supereſt ergo, vt sciamus, quo euentu Philippus rex in cæteris orbis partibus tam ampli ũ dominatũ fuerit consecutus. MICHAEL.

EL. In primis id diuinæ prouidentiæ tribuendū eſt, cuius nutu, ſacris teſtantibus literis, regnorum fiunt mutationes, & de gente in gentem transferūtur. Deinde ſi humanas cauſas reſpicias, id totum hæreditariæ ſucceſsionis felicitati cuidam inauditæ aſcribendū eſt: quam quidem ſucceſsionem per multos libros, multaq; capita diſperſam ego veſtri cauſa ſummatim colligam, in primis Aragoniæ (quæ pars Hiſpaniæ eſt) regnum, tanquam huius totius dominatus fundamentū vobis proponēs. Aragoniæ igitur regis filius nomine Martinus vxorem duxit, filiam Federici Siciliæ regis, atq; ita Siciliæ regnum ad Aragonicum adiunctum eſt. Deinde Ioanna quædam Neapolitani regni regina Alfonſum, Siculi, Arogonijq; regni principem, & hæredem adoptauit: ex quo primùm capite, alijſq; breuitatis cauſa à me omiſsis, Neapolitanū regnum ad Arogonicum pertinere cœpit. Vlteriùs Ferdinandus Siculi, Neapolitani, Aragonicique regnorum hæres, vxorem duxit Eliſabethā Caſtellæ vtriuſque principem: quo factum eſt, vt præter Siculum, Neapolitanumq; regnum totius Hiſpaniæ (ſola Luſitania excepta) dominatum fuerit adeptus. Hic Ferdinādus filiam, quæ ſola hæres ſuperſtes fuit, dedit in matrimonium regi Philippo, inclyto comiti Galliæ Belgicæ, Maximiliani imperatoris filio, quo extincto, Carolus eius filius omnium ſuperiorū regnorū, ſimulq; Galliæ Belgicæ hæreditatem conſequutus eſt. Hic Carolus omnium electorum ſuffragijs imperator eſt renunciatus: cuius tempore America illa quinta orbis pars, ipſius auo viuente explorata, ſub eius penitus imperium ſubacta eſt: & quoniā imperator hic de Mediolanenſi duce Franciſco Sforcia optimè fuerat meritus, ab eodem ſine hærede decedente, Mediolanenſis ducatus hæres eſt inſtitutus. Eius autem filius Philippus hoc nomine ſecundus, de quo nunc agimus, Henrico Luſitanorum rege è viuis excedente, qui auunculus Philippi erat, Luſitaniam totam, & ea, quæ in Africa, & Aſia ad Luſitanorum dominatum pertinebant, feliciter obtinuit: atq; ita propagatis in tam multa regna, prouinciaſq; longiſsimè, latiſsimèq; regnorum ſuorum finibus, ampliſsima ditione potitus eſt, potiaturq; adhuc multos annos, æquum eſt Deum precari. Trigeſimus autem quartus annus agitur, cùm feliciſsimus hic rex regnorum ſuorum gubernaculum tractare cœpit, viuente ad huc patre Carolo imperatore, qui poſt multas partas ex hoſtibus cum ſumma laude victori-

storias, resq; præclarissimè domi, militiæq; gestas partim multis morbis oppressus, partim filij prudentia, & authoritate nixus, ei omnium rerum claurum in manus tradidit, & in cœnobium quoddam, vt reliquum vitæ spatium pie, sancteq; traduceret, omnibus humanis curis abiectis, se recepit, ibidemque triginta duos ab hinc annos miseram hanc, & e ilanutotam vitam gloriosè cum sempiterna commutauit. LEO. Mira sanè fuit ista tam multorum regnorum absq; vlla vi hæreditario iure facta connexio. Sed audemus scire, quanti istius potentissimi regis reditus quotannis collecti æstimentur? MICHAEL. Difficile est istum summam colligere: sed, vt accepimus, in eius reditibus sexies millies sestertium, & eò amplius per singulos annos computatur. LINVS. Deus bone sexies millies sestertium! qui fieri potest, vt ab vno rege tanta copia colligatur, nisi vectigalia per magnam seueritatem, imò iniuriam à populo exigantur? MICHAEL. Sequitur hæc reditus amplitudo Line non ex ista seueritate quã obijcis, sed ex regnorũ multitudine, diuitijs, & magnitudine, quibus pectaris, summã ea cõficit, sanè credibile est: ex sola enim America quæ Peru, & nouã Hispaniam continet, ter millies sestertium quotannis ad eum defertur. vnde conijci potest, quis sit numerus ex tam multis regnis, prouincijsq; collectus. Id ipsum tumptus annui ab eo facti manifestè indicant: qui enim nauium, triremium, præfectorum militarium, aliarumq; similiũ rerum, quæ huius regis expensis conseruantur, summam fecerit, quã multaq; regna, & prouincias ab hostilium incursione defendat, facilè intelliget, eius reditibus immensum auri pondus contineri. Hic igitur potentissimus, & ditissimus rex in hoc oppido, quod vulgò Matritum dicitur, olim verò ad Carpetanos populos pertinebat, sedem sibi regiam delegit, non quidem iucundæ vitæ commoda intuitus, sed communi vtilitati consulens, & hunc locum medium in tota fere Hispania, ad quem facilè vndique conflui potest, cæteris alijs vrbibus frequentissimis, & nobilissimis anteponens. Accedit, quòd cælum huius loci sit salubre, & solum egregiè cultum. Quo factum est, vt oppidum ex re exiguum, nunc ad magnam celebritatem deuenerit. Non tamen hæc eius frequentia inde secuta est, quòd rex omnium regnorum suorum optimates in eo domos ædificare copulerit sicut omnium quos vidimus Iaponiæ dominis facere consuetum est, vt vnum, quam

denuò

denuò ædificant, frequentissimam reddant. Sed totum hoc liberis hominum voluntatibus, arbitrioq; relinquitur, qui non coacti, sed animis libentissimis ad oppidum regium conuenire solent. Quoniã autem in id tempus, quo Matriti fuimus, incidit solenne iusurandum, quo adacti omnes Hispaniæ optimates, & populi Philippũ Philippi regis filium principem, omniumq; regnorum hæredem recognouerunt: non erit à proposito alienum, solennis illius actus pompam, magnificentiamq; vobis commemorare: præsertim cùm ad hunc locum data opera materiã hanc reseruauerim. Solent igitur Europæi reges, quoties filios iureiurando interposito regnorum hæredes ab omnibus volunt recognosci, edicto suo dynastas, & populos, vel eorũ procuratores conuocare: si autem difficile sit, omnium regnorũ turbam in vnũ locum conuenire, in singulis regnis solennis hic dies iuris iurandi agitur. Quoniam verò Philippus rex omnium regnorum populos ad fidem dandã filio ad vnũ locũ simul cogere non poterat: vtriusq; tantùm Castellæ populos, & optimates ad hunc actum celebrandum inuitauit. Aderat igitur flos magnatum, & nobilium, aderant ciuitatum procuratores, aderant prælules, archipræsules, alijq; grauissimi sacerdotes: cùm dies iuri iurando indictus est, tertius videlicet ante Idus Nouembris, qui Diuo Martino sacer est. Designatus est etiam locus, nãmirum templum quoddam celebre extra oppidi suburbia, quod religiosi ex Diui Hieronymi familia incolunt. Illuxerat expectatus omnibus dies, cùm ecce templi parietes miræ varietatis aulæis erant tecti, pauimentũ tapetibus optimis substratum, aræ supremæ ornamentũ auro, & serico insigniter textum: omnia deniq; ad festum diem agendum paratissima. Erant in sacello maximo duo tabernacula, alterũ ad dexteram, alterum verò ad læuam. Dextrum tabernaculum papilione opertum erat pretiosissimo, in quo rex ipse Philippus solio magnificentissimo sedit, Philippo filio hærede, sorore, quæ imperatoris vxor fuerat, & duabus filiabus Elisabetha, & Catharina comitatus. Regis, filijq; latera adolescentes ex flore totius Castellanæ nobilitatis stantes stipabant: post regis verò sororem, & filias, puellæ etiam nobilissimæ, egregièq; indutæ assistebant. Iuxta iuuenes regios, ac ministros, consiliorum regiorum præsides, alijq; nobilissimi viri etiam stabant. In altero tabernaculo ad lxuã sedebant in ornatissimis sedibus

varij legati extemorum regum, ac principum, præsertim summi Pontificis, Imperatoris, & Venetæ Reipublicæ. Ad aram verò maximam in designatis sellis gausapino ornatis sedebant duo clarissimi Cardinales, in medio quidem loco Toletanus, ad alteram partem Cardinalis Granuela: ad alteram deniq; octo præsules, siue Episcopi sedilia egregiè decorata occupabant. Extra sacellum maximum duplex etiam erat ordo: ad dextrá enim in scamnis pulchrè apparatis considébát ij, qui in Castellæ regnis peculiari nomine magnates appellantur: ad lævam verò alij quindecim marchiones, & comites, qui etsi nobilissimi, nondum tamen illa magnatum nota sunt insigniti. Deniq; post hos infinita propè erat nobilium virorum multitudo, quæ templum spatiosissimum complebat. Erant in sacelli maximi parietibus duæ fenestræ cum suis receptaculis, quarum alteram, quæ è regione tabernaculi regij erat, nobis rex ipse designauit: vt ex ea, tanquam ex opportuno loco totius illius actus celebritatem conspiceremus, nobis adiunctis nobilissimis socijs, ac inter eos clarissimo viro Lusitano Christoforo de Mora, quē rex in primis charū habet. Omnibus igitur præsentibus, & auribus, animisq; fauentibus Cardinalis, idemq; archipræsul Toletanus sacrum solenne fecit, tanta vocum, instrumentorumq; musicorum varietate, concentuq; suauitate, quantam vix animus concipere, ne dum oratio referre possit. Sacro solenniter, riteq; peracto, mensa quædam pretiosissimo tapete operta ante aram maximam locata est, in eáq; liber sacra euangelia continens, & Christi cruci affixi imago miro opere confecta. Sedebat ad eam Cardinalis Toletanus, singulos accedentes iureiurando adacturus: cùm magistratus quidam, similis his, qui olim apud Romanos patres patrati dicti sunt, tabulas, quibus id, quod faciendum erat, continebatur, perlegit, & quidam concilij regij præfectus formam iurisiurandi disertis verbis indixit. Tunc imperatrix Philippi regis soror, prima omnium, non tanquam imperatoris vxor, sed quasi vna ex principibus Castellæ fœminis, vt iureiurando se obstringeret, ad locum designatum accessit. Ei surgenti rex ipse assurrexit, & eunti, ac redeunti capite detecto comitatus est, honorem illum amplissimum sorori suæ, tanquam imperatoris vxori libenter deferens. Eam etiam comitabātur duæ regis filiæ, atq; ita tres clarissimæ totius Hispaniæ fœminæ seruato ordine, primùm quidem imperatrix,

deinde

deinde filia regis natu maior, post natu minor, Philippum puerũ Philippi regis filium, sextum ætatis annum agentem omnium regnorum hæredem, principemq; iureiurando obligatæ recognouerũt. Hunc ad eum locum, in quo princeps ipse sedebat, regressæ, imperatrix quidem venerationis, & reuerentiæ causa principis manum voluit deosculari, idque officiosissimè recusantem, contràque amitæ charissimæ manum præfantem benevolè complexa est: reliquæ verò duæ ipsius principis sorores corpora etiam ad manum ipsius osculandam inclinarunt: & cũ mutuis officijs inter se decertassent sorores, princepsq;, tandẽ annuente rege, passus est princeps, eam osculandæ manus reuerẽtiã sibi à sororibus adhiberi. Post harum trium insignium fœminarum iusiurandũ, primùm quidem Cardinalis cognomine Grãuela, deinde præsules, seruato dignitatis ordine, post hos illi, qui magnatũ nomine sunt insignes, vlteriùs ij, qui marchiones, & comites, demum ciuitatum procuratores idem prosecuti sunt. In his autem omnibus, quanta in Europa ordinis, ac dignitatis habeatur ratio, vel ex hoc exemplo intelligetis. Cùm enim inter duas celebres Hispaniæ ciuitates Burgensem, & Toletanam de loco dignitatis, & antiquitatis, vetus sit cõtrouersia, ne, quoties reges huiusmodi conuentus, & comitia inducunt, ex hac contentione perturbatio aliqua oriretur, prudenter à regibus Castellanis institutum est, ad omnem offensionem, quæ excitari poterat, tollendam, vt rex in vocatione harum ciuitatum hæc verba proferret. Accedãt Burgenses, nam Toletanos nobis dicto audientes fore satis intelligo: quibus verbis neutri ciuitati primæ partes deferuntur, & totius offendiculi occasio tollitur. In his ergo comitijs ita actum est, vt Burgenses primi iureiurando se obstringerent, rege affirmante, se fidere, Toletanos imperata facturos. Burgenses secuti sunt reliquarum ciuitatũ procuratores, Toletaniq; extra hunc ordinem nomine regis à comite Fontis oliuæ vocati, iureiurando se obligarunt, existimantes non minùs honoris sibi, quàm Burgensibus hac ratione deferri. Vnde coniicietis, quantoperè ordo dignitatis, antiquitatisq; gradus ab Europeis regibus colantur. Fuit equidem huius actus tanta celebritas, tam iucundumq; spectaculũ, vt quinq; horarũ spatium, quod in eo cõsumptum est, brevissimum temporis punctum nobis visum fuerit. Tanta verò fuit hominum confluentium multitudo, vt difficillimum esset per me

diem

diam turbam confertiſsimam in alteram partem progredi. Tanta deniq; fuit regis, principiſq; eo die erga ſuos beneficentia, munerumq; diſtributio, vt facilè beneuolentia, propenſaq; voluntas non tam imperandi, quàm de eis bene merendi intelligeretur. Hunc ergo morem obſeruare ſolent Europei reges, cùm populos ſuos ad te, vel principes filios recognoſcendos, iureiurando obſtringunt. LEO. Placet nobis ſummopere iſte mos ab Europeis obſeruari ſolitus, quoties rex aliquis, vel princeps regni hæres eſt renuntiandus. Nec verò nos Iapponenſes, ſi meminiſti, ab iſta conſuetudine ſumus alieni. Quoties enim rex dominatu, & adminiſtratione ſe abdicat, & priuatam vitam inſtituit, filio ſuo enſem, id eſt vitæ, neciſq; poteſtatem in ſuos tradit, deinde tabulas omnes, quibus regni monumenta, familiæq; regiæ ſtemata continentur, eius curæ committit, atq; ita filium iam regem renuntiatum omnes optimates venerabundi adeunt, & tanquam ſibi imperantem reuerentur: eundemq; more cæteri dynaſtæ ſeruant, quotiescunq; poteſtatem, iuſq; adminiſtrãdi filijs deferunt. MICHAEL. Vſus hic noſter etiam laudabilis eſt: quòd ſi, introducta Chriſtiana pietate, duo alia accedant, nimirum ſacrum ritè celebratum, & iuriſiurandi religio, abſq; dubio opus omnibus numeris abſolutum cenſeri poterit. Sed iam nunc noſtrum ad regem ingreſſum vobis commemorabo. Deſignatus fuit nobis ſequens dies poſt Diui Martini feſtum, pridie videlicet Idus Nouembris, quo iuſſu Philippi regis ad ipſum introducti ſumus, vectiq; ad palatium lecticis curulibus, quibus ipſe met vtitur, tãta hominũ frequentia vicos, plateaſq; occupante, vt ægrè aditus inueniri poſſet. Cùm verò ad regem peruenimus, tam conferta fuit hominum multitudo, vt vix ipſi regiorum magiſtratuum ſatellites iter nobis patefacerent. Edoctus iam fuerat rex à patribus Societatis de cauſis noſtri itineris, & qui nam eſſent principes Chriſtiani, quorum nomine nos ipſum regem, & præcipuè ſummum pontificem adiremus: atq; ea de cauſa tanquam à nobiliſsimis principibus miſſos honorificè voluit excipere: præſertim cùm ex ipſius Orientis ſolis finibus ad vltimas Occidentis metas longiſsima omniũ, quæ hactenus inuentæ ſunt, nauigatione profecti fuiſſemus. Rex igitur in intimis domus regiæ penetralibus, ad quæ poſt duodecim atria, & cubicula ornatiſsima deuenimus, ſtans, vt cũ legatis agere ſolet, & filio hærede, filiabuſq; comitatus

catus nos accedentes perhumaniter, hilariterque accepit: nec passus nos manus regias osculari, benignissimè amplexatus est, quod & filius hæres, & filiæ similiter præstiterunt. Tunc epistolas à Bungēsi, & Arimensi regibus, Omurensique principe missas obtulimus, mandataque nobis commissa proposuimus, nimirum reges nostros Bungensem, & Arimensem, principemque Omurensem Christiana pietate imbutos, nihil potius duxisse, quàm vt eorum nomine summum Pontificem Christi vicarium inuiseremus, & ipsum Philippum regem toto orbe terrarum fama, & celebritate notum, honoris, & reuerentiæ ergo supplices adiremus nostrorumque regum, ac principum animos ipsi deditissimos, qua possemus amoris significatione, ostenderemus. Ille auditis literis tum Iaponico, tum Hispano sermone, ad mandata hilari vultu respondit, se Iaponenses reges, & principes eiusdem religionis iure sibi deuinctos, nouoque germanitatis nexu coniunctos, in pectore impressos, & insculptos habere, lætarique summoperè, quòd tales, ac tã nobiles Iaponij mutuæ beneuolentiæ testes ad se missent, speraretq; vt in posterum huius consuetudinis iucundissimæ vsus quotidie magis, ac magis accresceret. Post hæc familiarius adhuc nobiscum egit, multa de Iaponicis rebus interrogans, vestis nostras studiosissimè circuspiciés, gladios Iaponenses, quos ad latera accinctos habebam⁹, è vaginis educés, calceos deniq; ipsos eorumq; formam audè considerans, deniq; multa aliqua, quæ ipsi nostro nomine obtulimus, libentissimè accipiens, eorumque ornatum, & elegantiam multis verbis cõmendans. Tãta verò fuit in omnibus his eius humanitas, atq; affabilitas, vt etiam ipsi nobiles, domestici q;, qui eius consuetudinem grauissimè agendi optimè norant, tantam in eo comitatē, benignitatemq; mirarentur, affirmantes, rarissimè se regem ad illam hilaritatem, remissionemq; animi descendentē vidisse. Eundem imitati sunt liberi, qui præsentes aderãt, vt dixi, atque ita in omnibus ex ea regia, & clara familia summam humanitatem in nos experti sumus. Erant aliæ multæ nobilissimæ matronæ, quæ nostri videndi studio flagrabant, & inter eas illustrissima fœmina, filia ducis Auerij, qui inter Lusitanos dynastas ita generis claritate pollet, vt cum maximis quoq; de nobilitate cõtendat. Rex igitur illis satisfacere volens, quæsiuit, an vespertinas preces in suo sacello decantandas audire studeremus? cùmq; nihil iucundius nobis

eueni-

etuenire posse diceremus, eò perreximus, vbi preces tanta cantus suauitate, tantaq; organorum melodia recitatæ sunt, vt cæleste potiùs aliquid, ac diuinum, quàm humano artificio compositum audire nobis persuaserimus. Precatione hac solenni absoluta, nobilissimæ illæ fœminæ, ornatissimiq; equites, qui aderant, in nobis studiosè videndis, singulisque nostris rebus notandis lætissimum habuerunt spectaculũ. Supererat nobis inuisenda Philippi regis soror, imperatorisq; mortui vxor, sed ei, ob tẽporis penuriam, multorumq; concursantium frequentiam, alium diem reseruauimus. Hinc nocte aduentante ad collegium patrũ Societatis digressi sumus, tanto hominum concursu, vt vniuersa ferè ciuitas nostri videndi studio eò confluxisse videretur: ad templum verò eiusdem collegij tot fœminæ illustres concurrerunt, nos, habitumque nostrum videre cupientes, vt necessarium visum fuerit illud etiam ingredi, & earum desiderio satis facere: quæ omnes auidissimè nos intuentes, mirum in modum lætatæ sunt, patribus Societatis, nobis, et ipsis, rebusque Iaponensibus, omnia fausta, feliciaque precantes. In ædibus autem non pauciores viri nobiles, atque inter eos grauissimi duo præsules Placentinus, & Salmanticensis nos opperiebantur, qui omnes ardenti studio nos, nostraq; omnia sunt contemplati, familiarissimosq; sermones per interpretem nobiscum contulerunt. Et quoniam eius diei iucundissima occupatio ita finem habuit, colloquio etiam nostro finem imponamus, vt ad ea, quæ sequuntur, crastina nocte libentiùs redeamus. LEO. Placet Michaël charissime tuæ orationi talis finis impositus: scias tamen, velim tua narratione sitim potiùs, & auiditatẽ, quã tædiũ aliquod, aut fastidiũ in nostris animis esse relictum.

✠

✠ ✠ ✠

✠

De varijs operibus à Philippo rege extructis, præsertim Escurialensi, & accessu ad vrbẽ Alonem, siue Alicantũ. Colloquiũ decimum nonum.

LEO.

MVlta sanè, & admiranda fuerũt, quæ de Philippo rege superiori colloquio prædicasti: sed adhuc plura audiendi auida quadam expectatione tenetur animus, nec, si plura commemores, fastidire vnquã poterit. MICHAEL. Diuturna profectò oratione opus esset, si omnia, quę in ea sede regia à nobis sunt notata, mihi essent percensenda. Cùm enim Philippus rex sit potentissimus, & amplissimã iurisdictionem habeat, noua quotidie in eius sede regia conspiciũtur, nouo variorum principum, ac dynastarum ad eum inuisendum aduentu, miraq; multarum rerum varietate in vnum locum comportata. Mei tamen muneris non est omnia persequi, sed præcipuis relatis, Europęarum rerum statum ante oculos mentium vestrarum proponere. Vt ergo ad narrationem redeam, postridie eius diei, regis sororem, eandemque imperatricem inuisere, nostri officij esse duximus. Id illa præscius misit ad nos lecticas duas curules, quibus vtitur, totidẽq; suas ipse rex Philippus, quibus quatuor ad imperatricis palatium veheremur. Qua in re manifestè perspicere licet regis, sororisque in nos amorem: cùm nullis alijs lecticis aliorum ducum, aut dynastarum, cuæ in numerę propè sunt, nos vehi sint passi, sed propijs, quibus vtuntur, nos fuerint dignati. Erat imperatrix vndique nobilissimis puellis, & matronis circunstipata, inter eas in primis numerabatur Leonora Mascarenia nobilissima matrona Lusitana ex eadem familia, ex qua progenitor Indiæ, quem inuisimus, esse dixi: sub cuius institutione, ac disciplina Philippus rex adhuc puer primam ætatẽ egit. Et tum eam

ob cauſam, tum ob prudentiam ſingularem apud regem, ſororemq; in magna erat exiſtimatione. Excepit nos imperatrix ea benevolentia, qua Philippus rex frater, auguſtæ manus oſculum non patiens, & familiariſsimè amplectens, varios ſermones nobiſcum iucundiſsimè contulit. Eam amoris ſignificationem imitatæ ſunt reliquæ circunſtantes matronæ, auidiſsimè res Iaponicas audientes. Poſt hæc cùm bona imperatricis venia, ab eiuſdem œconomo maximo Ioanne Borgia, Gandiæ ducis filio ad ipſius palatium amoris ergò delati ſumus. Fuit autem hic Gandiæ dux ille, qui, humanis omnibus repudiatis, in Societatem aſcitus eſt, & præpoſitum eius generalem agens, exceſſit è vita, vt à nobis ſuperiùs dictum eſt. Borgia igitur in cellulam ſuam nos deduxit, quod profectò reliquiarum ſacrarum theſaurum poſſumus nuncupare. Ibi enim ſanctorum viginti octo capita argento, & auro inclusa, ſexque brachia pari modo ſeruata, ex quibus vnum diuæ Magdalenæ erat, ſpinam item vnam ex Chriſti domini corona, thecam pretioſa cuſtoditam, deniq; crucem duorum palmorum cum dimidio, in qua duodecim Apoſtolorum reliquiæ mirabiliter erant inſertæ, aliaq; multa pretioſiſsima huius generis opera nobis oſtendit. Quod quidem ſpectaculum tale, ac tam mirandum nobis viſum eſt, vt in nulla alia priuata domo cuiuſquam dynaſtæ ſimile conſpexerimus. Poſtquàm autem ad Macaënſem Sinarum portum peruenimus, delatum eſt ad nos per literas, omnes has ſacras reliquias Olyſipponenſi domui profeſſorum ab eodem Borgia dono datas, & Olyſippone admirabili populi applauſu, inſignibq; ſupplicatione fuiſſe exceptas: quod quidem liberalitatis, magnificentiæq; exemplum æternæ memoria dignum iudicari debet. Magna fuerunt amoris erga nos ſigna, quæ illuſtriſsimus hic vir mutuò tribuit: idemq; etiá præſtitit nobiliſsimus vir Ioannes Brigantinus, Tentugalenſis comitis filius, & Brigantino duci ſanguinis communione valdè coniunctus: qui tunc in Philippi regis curia morabatur, & omnibus nos humanitatis, ac benevolentiæ officijs proſecutus, ſui etiam iucundiſsimam memoriam in animis reliquit. Non minùs benevolum ſe nobis præbuit legatus potentiſsimi Galliæ regis Henrici, qui ſummis precibus à nobis contendit, vt Gallia Romam tranſeuntes, regem ſuum conueniremus: ſed quoniam deuium illud iter erat, gratias ingentes legato egimus, ſignificauimuſq;, nullà fide

tamen

tamen data, ſi per tempus liceret, nos illud libentiſsimis animis facturos. Eſt autem hic rex Galliæ poſt Philippum regem omnium aliorũ potentiſsimus, cuius regnum Chriſtianæ religionis veritate, rei militaris diſciplina, bonarum artium ſtudijs, aliiſq; ornamentis amplissimis valde decoratum eſt: in cuius rebus recenſendis, quoniam illud non adijmus, non eſt quòd immoremur. Poſt diem illum, inuiſimus etiã alios principes viros, præſertim illuſtriſsimos duos illos cardinales Toletanum, & Granuellam, qui, quanto amore benevolentiaq; nos amplexi fuerint, vix oratione poſſit explicari. Nondum autem ſibi ſatis faciens Philippus rex tam multis benevolentiæ ſignis erga nos demonſtratis, voluit, vt quæ aſpectu iucunda eſſe poſſent, nobis oſtenderentur, pro cõperto ſcilicet habens, ex tam longa nauigatione non mediocre fore animorum leuamentum. Habet autem Philippus rex circa Matritum multa celeberrima deliciarũ loca, in quibus eſt Aranjuetium, quatuor leucas Matrito diſtans, mira amœnitate, & cultu celebre. Eſt alius locus nomine Pardus venatui accõmodatiſsimus: eſt item ſaltus Segoviensis etiam ad venandum aptiſsimus. In his omnibus multa regiæ magnificentiæ opera, multæ voluptates, delectationiq; opportunitates, mira denique ferarum ad venationẽ varietas reperitur. Præter omnia tamen loca, ille, qui Scurialenſis dicitur, animis infixus hæſit: nec immerito: cùm contineat vnum ex totius Europæ magnificentiſſimis operibus. Agũtur enim viginti quatuor anni, cùm Philippus rex in eo opere miram diligentiam collocat, duobus millibus operarum continenter labori intentis, & plus bis millies octingẽties ſeſtertiũ ſumma ibidem conſumpta. Huius operis præcipua pars cœnobium quoddam eſt ampliſsimum religioſorum hominum ex Diui Hieronymi familia, quos rex Philippus valde colit. Eius cœnobij templum ampliſsimum profectò eſt, & regiam magnificentiam præ ſe ferens: in cuius veſtibulo ſex valuæ ſunt, ſingulæ viginti quatuor palmorum magnitudinis ex perpolito lapide miro opere confectæ, tres quidem ad dextram, reliquæ ad ſiniſtram: ſex vetuſtiſsimos veteris teſtamenti reges, hinc Salomonem, Ioſaphat, & Manaſſem, inde Dauidem, Ioſiam, & Ezechiam ad viuum ferè exprimentes. Magnitudo templi mira profectò eſt, cùm quadraginta ſacella complectatur, omnia ſacris tabulis egregiè depictis ornata. Habet in media ſui parte ad dextram, lævamq; duo

muſica inſtrumenta, quæ vulgò Organa appellãtur, admirabilis profectò magnitudinis, atq; elegantiæ, præter alia duo in odeo conſtituta. Eſt autem odeum, ſicut & vniuerſa templi moles, ex lapide quadrato, optimèq; elaborato conſtructum: in quo ſeptuaginta ſex ſellæ diuinas preces cantantibus appoſitæ, artificioſiſſimèq; fabrefactę continẽtur. Locupletatum eſt præterea idem templum innumeris propè ſanctorum reliquijs, quibus deſignatum eſt ſacellum quoddam iuxta ipſius templi limen. Ibi in primis numerantur viginti quatuor capita ſanctarum Virginum, nouem ſpinæ ex corona Chriſti domini ſacro capiti infixa, multorum ſanctorum integra brachia: quæ omnia auro, argentoq; pulcherrimè inclusa conſeruantur: vtra hæc autem, vndecim ſunt ex eadem materia thecæ oſſibus, alijſq; ſanctorum reliquijs refertæ. Quid dicam de ſacra ſupellectile, de vaſis aureis, atque argenteis, de veſtigalibus deniq; huius cœnobij? quæ quinquaginta millibus aureorũ æſtimantur. Eſt præterea cubiculum quoddam in eodem cœnobio, vbi præter cõmunem ſupellectilem, res aliæ ſunt exquiſitiſſimi pretij, multæ item ſanctorum reliquiæ, inter eas vna ex illis ſex hydrijs, quarum aquam in vinum à Chriſto domino verſam, ſacris monumentis eſt proditum. Decoratur etiam idem locus ſacris imaginibus pluſquàm ſexaginta, in quibus multa ad Chriſti vitam myſteria pertinentia, ad vnguem repræſentantur, ac alijs figuris, quæ Beatam Virginem, Apoſtolos, varioſq; ſanctos, multos item ſummos pontifices, cardinales, alioſq; inſignes homines exprimunt. Nec minoris admirationis eſt liber quidam, quo preces in ſacro recitari ſolitæ continentur: cuius literæ cùm ſint manu factæ, eius tamen ſunt operis, atque artificij, & ita auro, coloribusq; diſtinctæ, & eo externo ornamento ex auro, argentoq; tectæ, adhibitis clariſſimis margaritis, vt libri pretiũ vix æſtimari poſſit. Sunt etiam, præter alias multas, duplices ſacræ veſtes ſacerdoti cum ſocijs diacono, & ſubdiacono, ſacrum facienti accommodatæ, altera ex aureo filo, & ſerico rubro, opere Phrygio, & tot margaritis, vnionibuſq; inſertis exornata, vt mirũ ſit eius pretium: altera ex auro cælato ita contexta, vt non minoris fieri debeat. Quod attinet ad fabricam monaſterij, ea eſt etiam magnificentiſſima, quadratæ figuræ formam efficiens, excepta ea parte, quæ regiæ habitationi deſtinata eſt. Intra hoc autem quadrangulum ſpatium quatuordecim im-

pluuia

pluuia, siue peristylia numerantur, duo quidem amplissima, reliqua minoris magnitudinis, omnia fontium amœnissimè scaturientiũ varietate nobilitata. Altitudo operis est insignis, cùm sex contignationes habeat, à quarum vna ad aliam viginti, imò & alicubi triginta palmorum est interuallum. Nouem turribus edificatis totum opus circũ cingitur, quarum fastigia exornãtur globis æreis inauratis, itaut plus, vt iugula octo, imò decem homines sedentes capere possint. Vnam ex his turribus occupant quadraginta duo tintinnabula variæ magnitudinis, quæ tum manibus, tum pedibus pulsata reddunt suauissimum quendam sonum multiplici ordine compositum. Sunt in tota hac habitatione Escurialensi tot domicilia, vt eorũ numerus vix sit credibilis. Affirmant enim plerique, ianuarum, fenestrarũq; vndecim esse millia: atq; hinc domiciliorum multitudo conijci facillimo negotio potest. Decoratur etiam idem cœnobium duplici bibliotheca insigni, quarum altera libros continet, ad varias artes, linguarumq; idiomata pertinentes, eosq; egregiè, & pretiosè compactos: altera verò libros ad musicam artem attinentes, vbi multi sunt, & raræ magnitudinis, omnes manu scripti, miris tamen coloribus, & auro distincti, cuius operis pretium quinquaginta aureorum millibus æstimatum est. Pars illa habitationis, quæ regia propriè est, insignem magnificentiam præse fert, non solùm palatij opere, & pulchritudine, sed etiam hortorum amœnissimorũ, fontiumq; perennium mira arte fluentium numero, & septis ferarum multitudine cumulatissimis. Excepit nos illius cœnobij Prior, vt vocant, siue præses beneuolentissimè: rex enim ipse per literas nobis datas, ad ipsumq; missas significauerat, gratissimũ sibi fore, si nos ipsius perhospitalem animum multis argumentis experiremur: quibus ille satisfaciendum diligentissimè curauit, cuncta; in eo opere iucunda erant, nobis ostendens, quorum summã modò collegi. LEO. Equidem cùm in superioribus colloquijs te sumptus ab Europeis factos recensentem, tam multaq; aureorum millia referentem audiebam, incredibile aliquid animo concipere cogebar: verùm nunc, operibus sigillatim cõmemoratis, quæ vos oculis cernistis intuiti, dubitatio tota ex animo mihi videtur euulsa: cùm opera ista nõ minorem auri, argentiq; summam, quàm hactenus dixisti, requirere videantur. MICHAEL. Mira profectò sunt Europea opera, eorumq; expensæ, non solùm vobis nunc audientibus, sed nobis ipsis tunc cernenti-

ntibus fuerunt admiranda: ſed adhuc addam duo quædam in eodem loco conſpecta, quæ miram elegantiam, & ingenium continebant: alterum erat opus quoddam ex vitro confectum, quod altum quinq; palmos, latum verò tres ita ingeniosè erat fabricatum, vt infinitas propè figuras redderet: alterum fuit quadratum opus admirabilis ſcripturæ crucem parium membrorum efficientis, cuius literæ ita erant ſcriptæ, vt paulatim illius quadrati membra medium verſus in pyramidis formã extenuarentur: tam ingenioſus verò erat ordo ipſarum literarum, vt ſiue à ſingulis membris ad medium locum, ſiue à medio loco ad ſingula membra procederes, ſiue denique dimidiatam crucis partem percurreres, eundem verborũ ſenſum, literarũq; figuram reperires. Sed ſit ſatis, nec enim alia minutiora cõmemorãdi locus eſt: nũc Matritũ reuertamur, quò, cœnobij illius clariſsimi religioſis, Prioriq; ſalute dicta, redijmus, vbi multa alia conſpicienda nobis ſupererant. Poſt hunc ergo reditum, primò vidimus regiũ quoddam equile, deinde armarium: quæ duo intra eandem domum continentur, parte quidem inferiori equis, parte verò illa, quæ ſupra contignationem eſt, armis deſtinata. Habebat hoc equile regium, on iſſis alijs, ſeptuaginta ſelectiſsimos equos, quoſdam quidem ſaliendi arte, alios curſus velocitate exercitatiſsimos, quoſdam ad pugnãdum viribus inſignes, alios ad deambulandum corporis forma, & pulchritudine ſingulari, omnes magnitudine præſtantes, aliquos verò cæteris præter modum antecellẽtes, cunctos denique ex varijs prouincijs allatos, & ex flore, ac genere nobiliſsimorum equorũ collectos. Quod verò attinet ad armarium, quod eiuſdem magnitudinis cum ſtabulo, eſſe diximus, erat illud quidem armis pulcherrimis refertiſsimum, & in primo eius ingreſſu, ad memoriam omnium ſempiternam, collocata erant arma ſiue ad defenſionem corporis, ſiue ad offenſionẽ hoſtis pertinentia: quibus Carolus quintus imperator Philippi regis pater vſus eſt, vir rei militaris gloria inter Europeos celebratiſsimus: cuius memoriã non ſolùm præſens conſeruat ætas, ſed excipient omnes annj conſequentes. Vlteriùs diſpoſiti erant per totã illam domũ quindecim plutei diuerſa armorum genera ad corpora tegenda continentes: ynus cuiuſque autem plutei ad alium, interuallum plenum erat varijs offendentium armorũ generibus, vt haſtis, gladijs, bipennibus, ſclopis,

sclopis, ballistis, arcubus. Supra pluteos miro ordine erant etiam disposita alia arma, equitibus peculiariter accómodata, ibiq; tres pretiosissimæ hastæ à Sebastiano rege Lusitaniæ ad Philippum regem muneris loco missæ, & alia insignis hasta cum duobus sclopis ita connexa, vt cùm iacitur, glandes etiam ex sclopo mittantur. In postrema verò huius armarij parte sex erant equi ligneis tegumentis instar cataphractorum circumcincti. Hoc demiq; armarium multis de causis est insigne, & quanuis Olysipponense loci magnitudine, armorúmq; multitudine non adæquet, inter magnificentissima tamen numerari debet. Vidimus etiam domum regiæ supellectilis in quatuor cubicula distributam, in quorum primo viginti magnis arcis omnia, quæ ad sacram vestem, cultuiq; diuini ornatum pertinent, continebantur: quæ quidem singula ita magnifica, & preciosa sunt, vt sacellum regiũ, quo ties his decoratur, cùm celebertimis templis conferri debeat. In secundo seruabatur omnes regiæ gemmæ, nimirum adamantes, berylli, smaragdi, sapphiri, aliæq; huiusmodi margaritæ, quæ ita pretiosæ sunt, sicuti à me dictum est, vt nonnullæ viginti aureorum millibus, aliæ triginta, quadraginta, & quinquaginta millibus æstimentur: quæ omnes gemmæ sinrul cum vnionibus ibidem seruatis, thesaurum quendam locupletissimum efficiunt. Præterea erant ibi quadraginta ferè capsæ, omnia vasa aurea, & argentea ad abacum regium pertinentia, capientes. Ibidem vidimus ex Lusitanorum regum veteri thesauro quasi seruatas reliquias, pretiosissimum illud equestre ornamentum, quod Sebastianus rex in India sibi confici iussit, & quingentis aureorum millibus æstimatum est. Erat cubiculum hoc sexaginta ferè emblematis vndiq; suspensis circumtectum, quorum figuræ miram quandam venustatem, & hilaritatem præ se ferebant. In tertio cubiculo vidimus plura alia opera aurea, atq; argentea, velut in thesauro recondita, quæ tamen omnia nobis sigillatim sunt demonstrata, nec à me minutatim referri possunt. Erat tamen inter ea insignis quædã theca, qua brael ium Diui Iacobi Apostoli, totiusque Hispaniæ patroni ab Hispanis in summo honore habiti, inclusum erat. Præterea quædã alia theca, qua Beatæ Virginis amictus inter duas non mediocres partes ipsius sacræ crucis, cui Christus dominus affixus est, continebatur. Supra vtrãq; thecam erat crux quædã cum expressa Christi imagine medij palmi

mag-

magnitudine, quam ex ipsius sacræ crucis ligno à Diuo Hieronymo, vno ex ecclesiæ doctoribus, excisam, & exculptam esse, memoriæ proditum est. Subtus verò collocatus est vnus ex illis sacris clauis, quib⁹ Christus dominus cruci affixus fuit: omnes autẽ circũstantes partes gemmis, vnionibusq; sunt circum ornatæ. Vltimum cubiculum, quod vidimus, priuatum ærarium regis est, argentea nũmismata ex maximis arcis continens, quarum singulæ quadringenta aureorum millia capere dicebãtur. Vltra quas, sex etiã vidimus scrinia, auri signati maximam summam complectentia, quæ graui alicui necessitati intacta reseruantur. Hæc sunt, quæ mihi dicenda se obtulerunt de Philippi regis opibus, quarum pretium, æstimationemq; vix intelligere potest, nisi qui eius ampliss. supellectilem oculis fuerit intuitus. Alia fuerunt etiam aspectu iucundissima in eadem curia regia, quæ singula, propter eorum multitudinem, à me cõmemorari non possunt, ne vobis longa narratio fastidium pariat. Addam tamen superioribus, ibidem à nobis visas fuisse duas quasdam bestias prodigiosæ veluti naturæ, Elephantem videlicet, & Rhinocerotem, qui ex India in Lusitaniã, & inde Matritum sunt delati, & propter vastam corporis molem, in usitatamq; figuram, quasi naturæ prodigia omnibus spectanda, ibidem seruantur. IANVS. Cùm ista à vobis commemorata audimus, non possunt non inuidiam quandam, atq; æmulationis studium in nostris animis excitare, quandoquidem vos tam multarum rerum cognitione imbutos in patriam reuertentes conspicimus. MICHAEL. Istius inuidiæ faces vestris animis admotas quot die magis inflammari videbitis, quoties in colloquiorũ progressu plura, & admirabiliora vobis proponi intellexeritis. Matriti triginta septem dies morati sumus, tũ, propter multarum rerum spectandarum varietatem, tum etiã propter grauem, ancipitemq; Martini nostri morbum, ex quo, cùm viginti dies periculosè laborasset, adhibita ab optimis, regijsq; medicis diligẽtia, parumq; Societatis, cum quibus nobis hospitium erat, cura, tãdem cõualuit, & postremo die, quo Matriti fuimus, qui fuit septimus ante Calendas Decembris diuæ Catharinæ sacer, regem dynastarum, nobilium q; frequentia stipatum, ad collegium Societatis venientem multò iucundiùs vidimus, intelleximusq;, illud à nobis magni beneficij loco esse numerandum, quòd rex cum regio comitatu eum locũ peterat

terer, in quo nos eramus, & vnde poſtridie nobis erat diſcedendum. Acceptis igitur regiæ magnificentiæ muneribus, & inter ea ſeptingentis aureis ad ſumptus itineris faciendos, lectica item cotuli, & curru ad onera vehenda, Matrito profecti ſumus, rege varias epiſtolas cũ ad magiſtratus, qui ſunt in portubus oræ maritimæ, tũ ad comitẽ Oliueti ipſius Romæ legatum, commendatitias noſtri cauſa mittente. Eodem die Complutũ peruenimus, oppidum valde in Hiſpania celebre, propter Academiam inſignem, omnium q; bonarum artium cultricẽ, quam in eo fundauit clariſsimus cardinalis, idemq; archipræſul Toletanus Franciſcus Ximenius, hoc nomine, aliiſq; multis ſempiterna memoria dignisſimus. Numerantur ibi quatuor millia diſcipulorum ad honeſtas artes perdiſcendas vndiq; confluentiũ & ea de cauſa habet etiã patrũ Societatis amplũ collegiũ, quo centum ex Societate aluntur. Inopinatus fuit eo die noſter aduentus, propter vim maximam pluuiæ decidentis, non tamen ideo defuit multorum hominum frequentia ad collegium Societatis conuenientium, inter quos fuit rector totius illius Academicæ vniuerſitatis, virtum nobilitate, tum dignitate præſtans. Poſtridie habitæ ſunt in collegij ſchola Theologicę diſputationes, à grauiſsimis viris frequentatæ, inter quos fuit Ignatius Mendoza Mondariæ marchionis inter Hiſpanos dynaſtas grauiſsimi, filius. Postero die ad actum aliũ literarium in Academicis ſcholis celebrandum inuitati ſumus, in quo philoſophus quidam Magiſtri ciuſcẽ artis erat donandus inſignibus. Fuit tunc frequentiſsimus hominũ cõcurſus: cũq; nos eò pergeremus, rector Academiæ cũ doctoribus, magiſtriſq; Collegij, & cõuictoribus ad fores obuiã prodiẽs nos excepit: quo honore nũquam nisi magni principes ab Academicis viris afficiuntur: primũq; ad templum, & ſanctorum reliquias conſpiciendas cum ſuauiſsimo ſymphoniæ concentu nos deduxit: deinde ad bibliothecam, quæ propter multa volumina, eaque optime compoſita, aſpectu nobis fuit iucundiſsima: deniq; ad theatrum progreſſi ſumus, vbi doctores, magiſtros, aliiſque gradibus decoratos ſuo ordine, locoque deſignatis diſpoſitos, & ſcholaſticorum ornatiſsimorum circumfuſam multitudinem videtis, non contemnendum fuit ſpectaculum. Habuit tunc orationem Cancellarius, quam ad nos in honorifica ſede, & principum propria ſedentes in dicendi progreſſu conuertit, tan-

ta eloquentiæ vi, tum aquæ animorũ commotione, præsertim cùm de Iaponicis rebus, & Christianæ reipublicæ propagatione ageret, vt non solùm ipsè fleuerit, sed etiam multis audientibus lacrymas elicuerit. Ea absoluta, insignia candidato sunt imposita, xeniaq; per doctores, magistros, gradumq; obtinentes distributa: nec nos illius largitatis expertes fuimus, chyrothecis videlicet elegantissimis, argentea lance oblatis, perhumaniter donati: quæ amoris significatione vti nõ solent Academici erga hospites, nisi illustri loco natos. Inuisimus item templum celeberrimis martyribus Iusto, & Pastori dedicatum, quod nobile est, egregièq; ornatum: vbi à canonicis grauissimis, illius templi sacerdotibus humanissimè sumus habiti, variarumq; rerũ aspectu summoperè recreati. Ad extremum, tribus in eo oppido diebus iucundissimè consumptis, tertio Calendas Decembris inde profecti, Calendis ipsis Villam regiam peruenimus, oppidum à Compluto decem & septem leucas distans. Est etiam in eo Societatis collegium, in quo habitant septuaginta patres, & fratres, apud quos percõmodè diuersati Belmontem oppidum aliud, inde quatuor disiunctum leucas, contẽdimus. In eo etiam oppido est Societatis collegium, cuius institutrix illustris fœmina Francisca Legionensis, domus suæ œconomum cum sua lectica curuli nobis obuiam misit: quem secuti sunt oppidanus prætor, cum multis equitibus, & templi maximi Prior, cum canonicis, vt omittam innumeram aliam multitudinẽ, quæ nobis aduenientibus occurrit. Ad nostrũ ingressum multis sclopis, admoto igne, mirus est sonus redditus: multaq; ex papyro, & puluere subphureo opera concremata, præsertim in ipso collegio: vbi post orationem habitã & symphoniam audita, in peristylio multis igneis instrumentis excepti sumus, præcipuè duobus artificiosè confectis, quorum alterum triremem multis remis agitatam, alterum belluam marinam in ipsam incurrentem referebat: vtriusq; autem conflictus egregiã quandam pugnæ speciem præ se tulit. In hoc oppido vbi ritiùs properantes, duos tamen dies retenti sumus, vbi & ab illustri fœmina Francisca Legionensi, quam inuisimus, perbenevolè accepti, & benignissimè tractati sumus: & ab scholasticis actione quadam nostram expeditionem repræsentante summoperè exhilarati: in qua Europeatum actionum leporem, venustatem, sales, & facetias cœpimus experiri. Hinc Murciam discessi-

diſcesſimus vrbem Belmonte quadraginta leucis diſsitã, quem poſtſex dies, quarto idus Decembris, ſumus ingreſsi. Cùm autem vrbanus prætor literis à rege acceptis de noſtro aduentu fuiſſet admonitus, præterquàm quòd in pago quodam proximo nomine Torreſpinaldo cõuiuium nobis lautum apparari iuſserat, cum centum, & quinquaginta equitibus, cum canonicis item, & eccleſiaſtica dignitate inſignibus viris nobis obuiam proceſsit, tanta populari multitudine prodeunte, vt non ſolùm itinera, ſed feneſtræ, & ipſa tecta cõplerentur. Nec verò ſolùm tubis, tibijs, alijſq; muſicis inſtrumentis noſter aduentus celebratus eſt, ſed etiam ipſorum templorum pulſatis tintinabulis, & omnium popularium acclamatione. Eſt Murciæ collegium Societatis, in quo nobis fuit peropportunum hoſpitium: tale verò eſt collegij opus, ac ſtructura, vt cum præcipuis patrum in Hiſpania domicilijs cõferri poſſe videatur. Habet enim templum egregiè extructum, ſacra tabulas ingeniosè depictas, hortos præterea amœniſsimos, ipſius vrbis amœnitate non inferiores. Poſtquàm duos dies vltrò, citroque habitis congreſsibus, cum illius vrbis optimatibus conſumpſimus, in villam quãdam patrum nos recepimus, vbi aliquod otium nacti, tum à via defatigati conquieuimus: tum etiam epiſtolas in Luſitaniam, & inde in Indiam, & Iaponiam propediem mittendas conſcripſimus. Vigilia Chriſti Domini natalem diem antecedente, vrbem recijmus, vt ſolenne illũ diem ſequẽtem cum patribus ageremus: demũ exacto die ſanctis Innocentibus ſacro, varia vrbis templa, & celebria loca adijmus, & præſertim templum maximũ, quod forma, & operis ſtructura Toletano videtur aſsimilatum. LEO. Miror equidem peregrinos homines per tã varia oppida, ac vrbes ea gratulatione, atq; applauſu fuiſſe acceptos. MICHAEL. Animo reputare debes chariſsime Leo, Europeos homines Chriſtianæ charitatis, & humanitatis ſtudioſiſſimos, multarum rerum in hoc noſtro itinere rationem habuiſſe: primùm quidem eorum principum, à quibus mittebamur, deinde regis Philippi, qui nos per literas commendauerat, deniq; patrum Societatis, qui apud omnes Europeos in ſumma ſunt gratia: ſed hæc ex ſequentibus multò meliùs cognoſces. Calendis Ianuarijs, qui dies circũciſionj Domini dedicatus eſt, inuitati ſumus ab huius vrbis optimati ludo equeſtri arundinum intereſſe vellemus. Fuit ille quidem

tanta equitum dexteritate, tanta equorum agilitate, tanta denique arbo in omnibus actibus, quantam vobis quodam superiori colloquio depinxi, & ideo pluribus verbis eo commemorando supersedendum arbitror. Post viginti tres dies Murciæ actos, nuntium de nauigatione Italiam versus expectantes, tertio Nonas Ianuarij anni 1585. inde ad aliã vrbem Orihuelam nomine diuertimus: vbi similiter ab equitibus nobis obuiam procedentibus, musicorum instrumentorũ varietate, popularibusque frequentia in vrbem recepti sumus. Hic quoniam collegium Societatis non est, in cœnobio religiosorum ex Diui Dominici familia cõmorati sumus, & nocturno tempore ludum equestrem, quo equites funalia manibus præferentes, certatim huc, & illuc discurrunt, noctem que hilarem, & solennẽ reddunt, magna animorum voluptate spectauimus: postero die oppidum quoddam nomine Helquiũ contendimus, vbi etiã multi equites facti sunt nobis obuij, qui quinquaginta, atque eò pluribus cereis incensis comitatos nos detulerũt domum Bernardi Perpiniani nobilis, & ornati viri, qui frater est patris Ludouici Perpiniani, nostri è Lusitania Matritum vsque socij, apud quem lautè, & splendidè diuersati sumus. Taceo ad huius oppidi ingressum celebriorem reddendum, quàmplurimis bellicis tormentis, & sclopis fuisse ignem appositum, & sonum admirabilem emissum. Postero die tandem Alonem, siue Alicãtum mediterranei maris portum deuenimus, vbi similiter noster aduentus bellicorum tormentorũ sonitu, tubarum, & tibiarum concentu, equitum ad nos prodeuntiũ multitudine celebratus est. Quoniam autem Philippus rex huius vrbis gubernatorem, præfectumque annonæ de nostro Romam itinere, rebusque necessariis abunde nobis suppeditandis admonuerat, illi se diligentissimos præstiterunt: nam & in naui quadam validissima Italiam petitura, hospitia nobis magnifica, & accommodatissima parauerunt, & commeatum, qui longissimæ nauigationi sufficere posset, libentissimè præbuerunt: eamq; ob causam, & beneuolentiam, qua erga nos, quandiu ibi commorati sumus, vsi sunt, summoperè animos nostros sibi obstrinxerunt. Sed quoniã nunc de nauigatione nostra agendũ est, interposito sequentis diei interuallo, crastina nocte narrationem repetemus.

De nauigatione ab Hiſpania in Italiam, & aditu ad magnum Hetruriæ ducē, rebuſq; Piſis, & Florentiæ notatis. Colloquium vigeſimum.

LINVS.

ADentiori ſolitò ſtudio hodie conuenimus, vt te de nauigatione in Italiam, & ad eam prouinciam appulſu dicentem audiamus, propter eius celebre nomē toties a te cōmendatū. MICHAEL. Non inane profectò eſt iſtud ſtudium, nec fruſtra collocatum eſſe intelligetis, cùm Italiæ res vobis à me cōmemoratæ penitus innotuerint. Alicanto igitur profecti poſt quatuordecim dies, decimo quarto Calēdas Februarij oram ſoluimus, ſed reflante vento in eundē portū bis regreſſi, ſeptimo idus Februarij rurſus vela dedimus: & poſt aliquot dies cum vndis, ventiſq; aduerſis pugnantes, demum ad Baleares inſulas delati ſumus, & in altera earum nomine Maiorica portum vrbis Alcudiæ tenuimus: eius gubernator certior de noſtro aduentu factus nos inuiſit, & dominico die è naui deſcendentes, vt ſacro intereſſemus, cum quadringentis ſclopo vtentibus militibus nos comitatus eſt, & ingreſſum vrbis ſclopis, & tormentis bellicis celebrari iuſſit, denique ad nauem redeuntes proſecutus eſt. Hoc nuntio accepto, alterius mediterraneæ vrbis, quæ metropolis eſt, magiſtratus nos per equites inuiſerunt, quatuorq; Societatis patres ex collegio ibidem ſito nos conuenerunt, multa eſculenta, & poculenta leuandi tædij gratia ſecū afferentes. Eſt ea inſula non infimæ magnitudinis, nempe quæ vltra illas duas vrbes, triginta, & eò plura oppida contineat, præter pagos, caſtellaq; minora: quo fit, vt apud noſtros non mediocre regnū cenſeri poſſet. Eo portu ſolutam nauem vndecimo Calendas Martij, nauigatione confecta, ipſis Martijs Calendis ad optatam Italiam, portumq;

tumq; Ligurinum appulimus. Nec verò ſine peculiari Dei prouidentia, ventos aduerſos nobis fuiſſe credendũ eſt: cùm poſteà certiſsimè cognouerimus, nos, ea mora facta, è manibus Saracenorũ piratarũ euaſiſſe, qui tranſitũ multis triremibus obſederant: quòd, niſi vento reflante impediti eſſemus, miſeræ ſeruitutis iugum nobis erat ſubeundum: ſed gratijs immortalibus Deo actis, iam nunc ad res Italiæ proponendas aggrediar. Italia igitur celeberrima eſt omnium Europæ prouinciarum in medio eius ſita, & vtroque mari Tuſco, atq; Adriatico ferè circuncincta: eam præcipuè exornat Roma vrbs illuſtriſsima, quæ olim Imperij Romani caput fuit, & modò ſummorum pontificũ ſedes eſt ſtabilis: quam ob cauſam non ſolùm ipſius Romani pontificis in ea eſt ampliſsimus dominatus, verùm etiam plerique dynaſtæ, in quorum iuriſdictiones Italia diuiſa eſt, ſummorum pontificem, tanquam verum dominum recognoſcũt, & ei quotannis cenſum ſoluũt. In eadem, præter hos principes, & dynaſtas à me cõmemoratos, qui ſuo iure viuunt, ſtatumq; maximi pontificis, & regnum Neapolitanũ, ſunt tres liberæ, atque immunes Reſpublicæ, Veneta ſcilicet, Genuenſis, & Lucenſis: inter quas Veneta vetuſtate, & amplitudine excellẽs eſt. Inter præcipuos igitur Italiæ dynaſtas numerari debet dux Hetruriæ, ad cuius ditionem pertinet portus hic, quem tenuimus: qui mercatò, propter iuriſdictionis amplitudinem, vrbium, & oppidorum frequentiam, opum, & facultatum affluentiam, rex dici poſſet, cuo nomine olim Hetruriæ domini ſunt appellati. Eius annua vectigalia quadringenties ſeſtertiũm ſuperant: ærarium autem octies millies ſeſtertiũm cõmuni omnium ſermone continere dicitur: quam pecuniæ ſummam vix vllus rex poſsidet, & ea de cauſa, ſi non rex, ſaltẽ magnus dux dicitur. LINVS. Ex iſtius tantũ ducis diuitijs facilè intelligimus, quanta ſit Europeorum regum amplitudo. MICHAEL. Ea ſanè vix à vobis tam longè diſtantibus concipi poteſt, ſed ſaltem tam multarum rerũ cõmemoratione aliqua ex parte illã aſſequemini. Vt igitur ad portum redeam, in eo non parum opportunum habuimus diuerſorium, magni ducis iuſſu nobis paratum. Et, vt omittam aſpectum aliquarum rerum in eodem portu, præſertim arcis munitiſsimæ, & cuiuſdã admirabilis æneæ lampadis collocatæ in altiſsima turri, quæ in mari conſtructa eſt, triginta ellychnijs nocturno tempore longè, latèque coruſ-

coruscantis, & portum nautis hac tanta luce ostendētis, dicere incipiā de huius ducis in nos benignitate, qui per equitem ex ipsius familia ad portum vsq; venientem prosperum aduentum nobis precatus, vt ad vrbem Pisas, vbi tunc erat, contenderemus, vehementer exhortatus est. Est autē haec etiam Hetruriae vrbs secunda post Metropolim, quae Florentia dicitur. Postridie igitur Pisas rogatu ducis profecti, hora prā dij eo peruenimus, & a plurimis patritijs nobis obuiam prodeuntibus excepti sumus, gubernatore primùm vrbis, deinde Petro Medice ducis fratre nos benevolentissimè inuisentibus. Pomeridiano tempore nos ipsū ducem adijmus, eius lecticis vecti, & nobilium, satellitumq; ipsorum turba honorificè comitati: ille nos ad medias palatij scalas cum fratre suo, & alijs optimatibus descendens, perhumaniter excepit, & perquam honorificis verbis de aduentu gratulatus, ad vxorem illustrissimam principem, multis nobilissimis puellis circunstipatam nos detulit. Fuit hic congressus tum cantus, & symphoniae suauitate, tum etiam varijs colloquijs vtrò, citroq; habitis, & Iaponicarū vestium hilari aspectu omnibus iucundissimus. Erat quidem nobis in animo celeriter Romam petere, non potuimus tamen, saluo officio, eius precibus obsistere, quibus adducti aliquot dies Pisis morati sumus. Nec verò dies hi sine maxima animorum relaxatione sunt elapsi: nam semel à duce ad aucupium inuitati sumus: de quo recreandi animi gratia quoniam superiùs egi, dicam solùm, nos mirū in modū fuisse oblectatos, accipitrum cum varijs auibus pugnam acerrimam, & praedam non mediocrem ab illis reportatam intuentes. Redeūtes domum ad solenne tripudium vocati sumus, ex quo mirum est, quantam acceperimus voluptatem. Indixit illud in suo palatio celebrandū ducis vxor, eòq; conc urrerunt omnes nobilissimae puellae eiusdē familiae, vestibus elegantissimis ornatae. Interfuit etiam dux ipse cum optimatum caterua, nosq; in honorifica sede propè eum repositi: fuit mira illius celebris saltationis varietas: nam postquàm viri cum fœminis grauiter, & venustè saltarunt, institutum est quoddam tripudij genus, quo vnus choragum agens, quam vult fœminam ad saltandum inuitat, illaq; in theatro relicta, quem vult virum ad tripudiandum inducit, atq; ita personarum vicissitudine saltationis fastidium vitatur. Primùm igitur ducis frater tripudiationis autor, ducis vxorem ad tripudium vocauit,

illa deinde noſtrum Mancium, Mancius quandam aliam nobilem fœminam, hæc denique fœmina me ſocium delegit. LEO. Credo equidem, iſtius exercitationis inſolentiam non parum vobis pudoris peperiſſe, præſertim coram exercitatiſſimis,& peritiſſimis viris. MANCIVS. Me pudor hinc propter illius actionis inſcitiam, inde verò natiuus quidam timor ob tantæ fœminæ reuerentiam, nobiliũq; frequentiam, ſatis, ſuperque perturbarunt. Verùm audendum mihi fuit in eo publico opere, & vires, ſpirituſq; ſumendi, ne prorſus inurbanus videretur: nec parũ contulit aliqua Europeæ ſaltationis cum noſtra ſimilitudo. MARTINVS. Mancius,& Michaël, qui primi certamẽ illud inierũt, nos ſubſequentes aliqua ex parte pudore leuaſſent, niſi Iulianus poſtremus omniũ ſociam delecturus, in quandam ánoſam anũ incidiſſet, quam caſu ſpectante deligẽs, omnib⁹ riſum mouit. IVLIANVS. Quid ſi conſultò feci? vt vetulæ illius pudore meus quodã modo tegeretur, & ſpectantium riſum à me parum exercitato, in illam minùs ſaltationi aptam transferrem. LINVS. Non inurbaniter profectò feciſti, vt illa ruboris tui eſſet particeps, dum ſpectatores hinc puerum, qualis tunc eras, illinc verò fœminam annis onuſtam contemplarentur. MICHAEL. Ita ſanè accidit: ſed vlteriùs ad alia properemus. Sequentibus diebus vidimus in ea vrbe nonnulla ſpectatu dignißima, præſertim templum maximum miris ſumptibus ædificatum, deinde conuentum eorum, qui Diui Stephani equites appellantur. Quorum inſtitutum vt meliùs intelligatis, ſciendum eſt, in Europa prudentiſſimo regum, ac principum conſilio inſtitutas eſſe quaſdam familias equitum, rei militari dedicatas, inſtar earum, quæ diuino cultui ſunt deditæ. Harũ familiarum equites magna ex parte crucis ſignũ variis coloribus diſtinctum in pectore geſtant: & alij quidem cælibem vitam agunt, alij verò, etſi matrimonio iuncti, ordinis tamẽ ſui varias normas obſeruãt, ſemper ad bellum paratiſſimi. Et quoniam huiuſmodi inſignia honorifica admodùm ſunt, & quæſtuoſa, nempe quibus multorum aureorum millium vectigalia ſunt adiuncta, nobiliſſimi quique viri ad ea conſequenda aſpirant. Et ea de cauſa in bellicis rebus diutumo tempore ſtrenuè ſe exercent. His militaribus familijs præſunt vel ipſimet reges, vel Europei alij dynaſtæ, qui magiſtri horum ordinum appellantur, & inſignem dignitatis locum obtinent. Vt ergo redeamus ad familiam

militum equitum Diui Stephani, eam conſtituit inſignis Hetruriæ dux nomine Coſmas, huius viuentis pater, & à ſummo pontifice maximorum ſacerdotiorum reditus, & totius ordinis confirmationem impetrauit, qua re potiſſimùm ſtatus ſui amplitudinem auxit, & nobilitauit. Dux igitur volens nobis hoſpitibus magis, ac magis gratificari, primo die quadragenarij ieiunij, quo ex Chriſtianæ reipublicæ more, ad mortis memoriam replicandam, capitibus cineres imponi ſolent, nos ad templum Diui Stephani detulit, quò omnes illi equites eo die proprijs inſignibus induti conuenerunt, vt ſacros cineres de more ſuſciperent. Sunt autem horum equitum inſignia, veſtes quædam albæ, ac talares manicis ita longis, vt poſt terga venuſtè verti poſſint: producto ſyrmate quodam, laue tractu non mediocrem maieſtatem præbente. In pectore verò inſerta eſt crucis effigies purpureo colore: ita vt veſtium harum forma venuſtatem ſimul, & grauitatem præ ſe ferat. In eo igitur actu ſedebat dux in ſublimi quodam ſolio, nobiſque ex aduerſo ſinguiæ etiã ſellæ ſunt aſſignatæ: hinc verò, & illinc intra cancellos, ornata ſedilia octoginta equites ex illo ordine occupabant: reliqui enim, qui multò plures ſunt, militiæ negotijs erant diſtenti. Hi ergo omnes, antequàm ſacrum fieret, ducem ipſum quaſi ordinis magiſtrum ſolẽni veneratione ſunt proſecuti, primùm quidem ante aram maximam genu flectentes, deinde capita nobis inclinantes, demum ducis ipſius manum reuerenter oſculantes. Poſthæc ſacri cineres capitibus omnium ſunt impoſiti: primo loco eidem duci, deinde nobis, poſt cæteris ad ſacram aram accedentibus, & genua ſuppliciter flectentibus. Ad extremum, ſacrum factum eſt ſolenni vocum modulatione, atq; ita toti actioni finis eſt impoſitus. Habet hic ordo equitum Diui Stephani quatuor triremes, quæ mare Tuſcũ, ſiue Tyrrhenum prædonibus Turcis, & Mauris alioqui valde infeſtum, tutũ, ac liberum omni periculo reddunt: ſic enim celeres ſunt, & omnibus rebus ad pugnandum munitæ, vt etiam multis alijs hoſtium nauibus, & triremibus ſint formidabiles, & ſæpe victoriam inſignem compararint: quod indicant centum, & eò plura vexilla hoſtibus erepta, & in templi parietibus ad memoriam poſterorum ſuſpenſa. Eſt egregia tam templi, quàm domicilij huius familiæ ſtructura, vbi & multas ſacras reliquias, & theſaurũ locupletiſſimũ, & armariũ omni armorum

genere refertiſsimum vidimus: de quibus non eſt, quòd ſigillatim dicã, cùm deſimilibus alijs aliquoties ſit actũ, ex quibus cognoſci poſſunt. His omnibus diebus, quibus Piſis morati ſumus, vix à me dici poteſt, quàm nos honore magnus hic dux cum vxore fuerit proſecutus: ad miniſtrandum namq; nobis nobiliſsimos pueros, & homines ex ſuo palatio, & familia deſtinauit, omni magnificentiæ genere in nos vſus eſt: deniq; talem ſe præbuit, vt meritò eius erga nos benignitatem toto vitæ tempore magnificare, ac prædicare debeamus. Cũ verò, eodẽ ipſo poſtulante, Florentiam nobis fuit iter faciendum, viros, qui omnia neceſſaria ſubminiſtrarent, & quidquid Florentiæ aſpectu iucũdum eſſet accuratiſsimè oſtenderent, miſit. Illi ergo, eiuſq; vxori, ac fratribus ſalute dicta, Piſis profecti Florentiam perreximꝰ, quæ præcipua vrbs eſt, & caput totius Hetruriæ multis nominibus inter celeberrimas vniuerſæ Europæ numeranda. Eam interfluit Arnus fluuius, & aquis ſuis irrigatã amœniſsimam reddit: cuius fluminis tranſitum facillimum efficiunt quatuor pontes pulcherrimi, ex lapidee, confecti: vici autem ita ſunt recti, ampli, bene conſtrati, & tam celebribus ædificijs curati, vt pulcherrimus ſit huius vrbis aſpectus, & tecta ad amuſsim, & libellã extructa eſſe videantur: vnde & pulchræ nomen inter reliquas Italiæ vrbes meritò ſibi vendicauit. Ciues item eius ſunt ditiſsimi, partim ex ampliſsimis reditibus, partim etiam ex opulentiſsima mercatura. Tẽpla deniq; habet vrbs hæc opere, & amplitudine conſpicua, nihilque in ea deſideratur, quòd pulchrã, & celebrem reddere poſſit. Nobis ad vrbem accedentibus obuiam prodierunt multi equites ex omnibus nobilibus familijs, & à primo portarum ingreſſu vſq; ad magni ducis palatium, eiuſdem fratelites nos ſunt comitati: quamuis enim nobis in animo fuiſſet in hoſpitio patrum Societatis eſſe, dux tamen omnino voluit, vt ad ipſius palatũ diuerteremꝰ. Poſt breuem ex itinere quietem, cardinalem, eundemq; archipræſulem Florentinum inuiſimus, qui nos, ad medias ſcalas deſcendens, humaniſsimè excepit, & inter alia munera, quæ ſummi erga nos amoris ſigna nobis obtulit, Chriſti cruci affixi imaginem ex ebore artificioſè fabricatam dono dedit. Inuiſimus item nuntiũ, ſuus legatum ſummi pontificis, & ab vtroq;, ſcilicet archipræſule, & legato fuimus beneuolentiſsimè habiti, & multis nobiliſsimis vrbis ad videnda præcipua vrbis loca, præſertim

Virginio Vrſino, Pauli Iordanis Vrſini illuſtriſſimi Brigiani ducis filio, ip ſuſq; magni ducis ex ſorore nepote, frequentiſsimè ſociati. Longũ eſſet vobis recenſere huius vrbis opera, cũ eius ædes ſingulæ veluti magnifica ſint palatia: publica verò domicilia ſacra, & profana quã plurima ſũt: inter quæ numeratur quinquaginta circiter paræciæ, cœnobia religioſorum virorum, ac mulierum vltra ſeptuaginta, xenodochia, noſocomia, brephotrophia, & alia pietatis loca ferè triginta, collegia puerorum nouem, præter quàmplurimas alias ſodalitates, quas omitto. Dicã tamen aliquid de ipſius ducis palatio, quod quidẽ tale eſt, & tam bene elaboratum, vt reliquorũ Europeorum regũ regias prorſus adæquet. Eſt in primis in quadam ampliſsima area ſitum, & ante illud artificioſus quidam fons, miro opere ædificatus, totus quidem quadranguli formã habens, & ex marmore, atq; ære varias figuras confectas referens: nam mediam eius partem gigas quidam lapideus vaſtæ magnitudinis, quadrijugo curru ſedens occupat, cuius equita manus ſupra aquam porrigunt, vt ex illa velut voragine ſe proripere velle videãtur. Quatuor ſtagni partes quatuor etiã Nymphæ ex ære confectæ, quatuorq; Satyri adearum pedes procumbẽtes obtinent: ex omnibus autem ijs ſtatuis, varijſq; corporum partibus aqua amœniſsimè proſilit, ſtagnumq; illud continenter replet. Vlteriùs ad palatium procedentibus occurrunt duo gigantes, ex lapide etiam polito ſingulis columnis nixi, & duobus alijs viris ad eorum pedes prouolutis, eiuſdem ferè magnitudinis clauis in altũ editis mortem minitãtes. Poſt modùm ſe offerunt duæ aliæ ſtatuæ viri, ac fœminæ ex aduerſo ſe intuentium: ex quarum vna ad aliam catena quædam porrigitur, quæ nonnunquam, ſi placet, tranſmiſſa, totus ille aditus obſtruitur. In primo palatij veſtibulo ſunt ducis cuſtodiæ, ibidemq; decem tormẽta bellica, curribus ſuis impoſita, & ad parietes varia arma ſuſpenſa, ſatellitibus, excubijſq; ad vtẽdum expedita. Impluuium, ſiue periſtyliũ octo columnis inauratis nititur, duplices habens ſcalas, quibus ad atriũ cõſcenditur: quod quidem ita eſt amplum, altum, & eo opere exædificatum, vt nobis mirum viſum fuerit. Nam præterquàm quòd longum eſt octoginta paſſus, latum triginta quatuor, altum quinquaginta ferè cubitos, in ſupremo laqueari ſuis partibus diſtincto, auro, & varijs coloribus artificioſiſsimè depictæ ſunt, & affabrè expreſſæ hiſtoriæ ad

Mediceam familiam pertinentes. In extremo verò atrio ſeptem gradibus ad duo veluti ſacella conſcenditur, in quibus ex Pario lapide exculptæ ſunt duorum ſummorum pontificum ſtatuæ, nimirum Leonis decimi, & Clementis ſeptimi, qui ex eadem Mediceorum clariſſima ſtirpe ſunt nati. Poſt hoc celebratiſſimum atrium, tam multa ſunt cubicula, ac domicilia picturis, ſtatuis, pretioſiſsimaq; ſupellectili ornata, vt quiuis illa intuitus, regiam planè magnificētiam agnoſcat, quam nos non ſolùm rerum aſpectu, ſed etiam ornatiſsimo hoſpitij apparatu fuimus experti. Exornant totum hoc opus duæ longiſsimæ pergulæ in ducētos paſſus porrectæ, & ex polito lapide cōpoſitæ, quæ hinc, atq; inde ſicæ, vicū frequentiſsimum vrbis conficiunt. Alterius ex his pergulis parietes ſuperiori ſui parte centum, & quinquaginta habent emblemata quadrata, quibus imperatorum, regum, & dynaſtarum totidem imagines continentur, quorū fama propter egregias res geſtas inſignicer eſt nobilitata: inferiori verò parte ſuis receptaculis diſtinctæ ſunt ſtatuæ, ex marmore ingenioſiſsimè confectæ, quibus etiā ſiue marmoreis, ſiue æneis multa cubicula ſunt ornata, in quibus admirabile opificum ingenium elucet. Per alterius pergulæ parietes diſtributæ ſunt variæ arbores, dolijs quibuſdam ex luto confectis incluſæ, cum ea terræ copia, vt & radices agere, & fructus reddere poſsint: in extrema verò parte eiuſdem pergulæ horti quidam ſunt pentiles, miro opere elaborati, qui cùm valde ſint in altum editi, fontibus tamē artificioſiſsimè fluentibus irrigātur. Præter has duas pergulas, eſt etiā tertia longiſsima, ad quam per viam ex his eſt tranſitus, quæq;, quæ ſta leuca parte porrecta, via eſt ad quendam hortum amœniſsimum nomine Pitum, ad quem Florentinus dux relaxandi animi cauſa frequenter ſe ſole: conferre. Longa mihi oratione vtendum eſſet, ſi vellē ſingula huius cultiſsimi horti oblectamenta perſequi. Nā & domicilij fabrica ſumptuoſiſsima eſt, in miram altitudinem multarum contignationū ſublata, multis, varijq; figuris diſtincta, ianuis, foribus, alijsque ſimilibus locis ex porphyrite, & ophyte confectis ornata, denique inſigni quadam, & regia planè ſupellectile cumulata: cuius operis aurea, atq; argentea, veſtem ſericam, gauſapinam, Phrygiāq; operis, vt omittam, iucundiſsimi profectò fuerūt aſpectu viginti quatuor tapetes, quibus dicis iter facientis oneraria iumenta operiri ſolent, qui-

qui eodem Phrygio opere, & auro contexti insignia eiusdem ducis mirabiliter cælata continebant. Mitto etiam lectos artificiosissimè confectos, stragulam vestē, summi pretij sellas, mensas, peristromata, quibus omnibus domus illa composita magnopere enitebat. Prætereo deniq; ipsius horti innumeris arboribus consiti amœnitatē, fontiumq; vberrimorum multitudinem, de simili materia mox dicturus. MANCIVS. Illud vnum vos statuere velimus: etsi Michaël noster quantum potest, Europearum rerum amplitudinem verbis assequi contendit, nō tamen omnino illud obtinere: vnde fit, vt hæc omnia, quæ ab ipso dicuntur, potiùs quædam Europeæ magnificentiæ adumbrata argumenta, quā integra omnino exempla reputare debeatis. LEO. Istud sanè à te dictum nos in maiorem admirationem traducit, si enim adūbrata, vt vocas, argumenta audientes ita obstupescimus, quid futurum esset, si ipsas Europeas res tam amplas, & magnificas oculis, animisq; haurire possemus? Ea enim, quæ Michaël noster commemorat, tam magna sunt, tam ampla, tam illustria, vt quando illum de aliquo palatij, vel templi fabrica loquentem audimus, nihil ad eius pretium, ac pulchritudinem addi posse nobis videatur: cùm verò, haud ita multò post, aliam suæ orationis quasi penicillo depingit, & nobis spectandā proponit, huic prima videtur cedere: idemq; contingit, quoties vel hortorum amœnitates, vel villarum rusticarum oblectamenta, aliarumque rerum huiusmodi venustatem, elegantiamq; describit. LINVS. Ex ijs, quæ à te Michaël dicta sunt, colligo, Europeorum opulētiam esse maximam, resque ipsas multò maiores existere, quàm aut tu referre, aut nos percipere possimus. MICHAEL. Ista opinio planè vera est, nec enim nos oratione possumus exprimere eam Europearum rerum imaginem, quam animis insculptam retinemus, & quam, vt vos ipsi conciperetis, ad ipsam rerum præsentiam, si fieri posset, sensuumq; vsum esse is remittendi. Sed quoniam semel longissimi interualli, absentiæq; incōmodum nostra supplere cœpit narratio, ad plura alia, quæ restant, audiūs, iucundiusq; à vobis audienda, solita diei quiete interposita progrediemur. LEO. Tempestiuè quietem indixisti, eamque proposita nouarum rerum expectatione, suauiorem futuram esse asseuero.

De amœnitate, ac delicijs Pratolinæ villæ ducis Hetruriæ: & de his, quæ Senis, Viterbij, & reliqua parte itineris Romam vsque sunt obseruata. Colloqiũ vigesimũ primũ.

MICHAEL.

BOnam adhuc huius colloquij partem, ad quod tam auidè accessistis, sibi vendicabunt res magni Hetruriæ ducis, nempe cuius magnificæ facultates, regiaq; opes nequaquam vno colloquio absolui possunt. Commemorabo igitur hodie in primis rusticationem nostram ad quandam eiusdem ducis insignem villã nomine Pratolinã: deinde Florentiam regressus, quæ vlteriùs in ea à nobis conspecta sunt, prosequar: deniq; iter Romam vsq; complectar. Inter alia igitur celeberrima loca, quæ ad animi voluptatem, & laxamẽtum dux ille habet valde accõmodata, villa est ea, quam Pratolinam dixi, quæ amœnitate, artificio, & rerum omnium apparatu, cæteris ad oblectationem destinatis locis præstare, meritò censenda est. Est villa hæc in amœnissimo loco sita, leucamq; Florentia distat, ac omnibus rebus ad sensus oblectandos magnoperè abundat. Habet in primis duo palatia, alterum in edito, alterum in humiliori loco constitutum, illud ad commodam hospitum habitationem designatum, hoc ad varia corporis oblectamenta, voluptatesq; præcipuè institutũ. Illud quidem magnæ est altitudinis, quinq; videlicet contignationes continens: in quarum singulis quatuordecim cubicula spectantur, tam pretiosè elaborata, taliq;, ac tam nobili supellectili instructa, vt in locupletissimorum regum palatijs nihil sumptuosius reperiri possit: nam laquearia varijs figuris auro, diuersisq; coloribus expressis, sunt distincta, & parie-

parietes aulæis, & peripetasmatis artificiosissimè contextis sunt ornati: in quorum quibusdam variæ hominum figuræ, variæq; temporum historiæ sunt effictæ: in alijs autem cuiusq; generis animalia, arbores, sylvæ, aliaq; similia miro opere referuntur. Accedunt ad huius domicilij ornamentum lecti singulis locis dispositi, quorum stragulam vestem, reliquumq; apparatū ex auro, serico, gausapino, & byssino vix possum oratione exponere. LINVS. Miror equidem, cùm considero, quanti tā varia supellex æstimari debeat, nec possum facilè percipere, vnde tam multa auri, argentiq; copia prouenire possit. MICHAEL. Nihil me de Europæ supellectilis amplitudine loquente verbis exaggerare, testes sunt loci, qui adsunt. Quod verò attinet ad sumptum, magnificētiā; ex sequentis palatij descriptione magna ex parte colligetis. Est inferius palatium, vt dixi, totum animorum relaxationi, corporumq; voluptati accommodatum, præsertim æstiuo tempore, quo nimij calores scaturientium aquarum perennitate, multiplicique fluxu non temperantur modò, sed etiam omnino tolluntur. Etenim in eo loco tā multorum fontium, aquarumq; ebullientium, & vndequaq; fluentium in tuenies oblectamenta, vt nullus æstui sit locus, magnæ verò iucunditatis, & recreationis opportunitas. Si enim exedram aliquam optimè laqueatis constratā ingredaris, vix pedem in pauimento figes, cùm fontium vndiq; aquarum veluti iaculantium impetu, crebraq; incursione te circumuentū inuenies. Quòd si ad secessum aliquem, qui multiplex ibi est, & deflexuosus tāquam ad asylum, & perfugiū te conferas, facilè epistomiorum velut ex insidijs aquam soluentium fraude, vt ita dicā, & dolo te interceptum reperies. Si autem ex his secessibus ad aliā primā speciē securiorem domum confugias: velut de cælo decidentium imbriū maxima vi opprimeris: adeò vt nullus sit locus, apud quem in aquæ impetum non incurras: & aliquis sit tam lubricus, tantaque ibi aquarum vis, vt expectū repentino motu pulsante, corpus in terram decidere, vel volui lepidissimè cogatur. LEO. Equidē dom⁹ ista verè voluptaria dici potest. dubito tamē, quî fieri possit, vt aqua tā expeditè mittatur? cùm alioqui necesse sit, eam aliquibus veluti clauibus concludam esse, & reconditam, ne passim, ac temerè fluat. MICHAEL. In ista re, de qua dubitas, totum huius rei artificium consistit: claustra nāque illa, siue operacula, quibus aqua custoditur, ita sunt facilia, & artificiosè

ciosè confecta, vt quouis veſtigij imprimendi motu recludantur, & aqua per varias partes deriuata profluat. Sed agè nunc pergamus vlteriùs: & quo artificio alij fontes in eadem villa ſcaturiant, expenamus. Sunt illi quidem ſiue ex chalybe, ſiue ex perpolito lapide confecti, tá varijaſq; figuras oculis ſpectandas exhibent, vt quicunq; eas aſpiciũt, velut actionem aliquam in ſcæna, vel theatro ſe iudicent intueri. Vt autem aliqua ex ijs artificioſiora ſpectacula attingam, eſt inprimis in quo dam fonte latum quoddam ſtagnum, in cuius poſteriori parte amplũ eſt receptaculum, cum ſuis foribus, & ianua quadam ſupra ipſas: ſoluta verò aqua, ad ianuã ſubitò comparet quidam Triton, olim Neptuni tubicen dictus, tubamq; ſuam, ſiue cornu inflatis buccis pulſans, non mediocrem ſonũ edit: quo emiſſo fores illico pandũtur, & ſtatua Dea quædã olim maris inter Ethnicos exiſtimata, nomine Galatea, dorſo beluæ marinæ inſidens, in ſtagnum prodit, quam in publicũ procedentem, apertis alijs ex vtroq; latere foribus, Nymphæ duæ marinæ exeuntes, veluti pediſequæ dominam comitantur: quo comitatu illa ſtagnum perambulat, quæ in eo tanquam in ſuo regno geruntur, quodammodo conſiderans: tunc pedem refert, & in domicilij paulatim ſe recipit, Nymphis etiam ſua receptacula repetentibus, foribuſq; rurſus occluſis: atq; ita totum hoc ſpectaculum finem habet. LINVS. Iſtud ſanè admirabilius mihi videtur: nam cùm illæ ſtatuæ motu omnino careant, vix intelligere poſſum, qua vi agitentur, vt exeant, ſpatia conficiant, & iterum ſe colligant. MICHAEL. Tota hæc ſtatuarum agitatio, inceſſus, & regreſſus aquæ artificioſè fluenti attribui debet: adhibitis tamen alijs adminiculis orbium quorumdam, & funium, ſiue filorum, quæ ex ære confecta, & aquæ vi impulſa, motũ illum omnino perficiunt, ſed vlteriùs fortaſſe de his artificioſis motibus dicemus. Eſt in alio fonte aliud non minùs iucundum ſpectaculum. Videre nanq; licet hominem quendam ſylueſtrem, quem antiqui Satyrum appellarunt, & finxerunt, vmbilico tenus eſſe hominẽ, inferiores verò partes in belluam deſinere. Hic igitur in eo fonte ita collocatus eſt, vt in genua procumbat, fiſtulas quaſdam inſtar eius inſtrumenti muſici, quod organum dicitur, ſeptem cicutis compactas manu tenens: è regione verò Nympha, quæ eſt ſuperiori corporis parte ſuper aquam edita, illi veluti ſe ſociam adiungit. Vt primùm verò

aqua

aqua ſoluitur, Satyrus ſe erigens fiſtulas pulſat, & ſuauem concentū edit: ad quem ſtatim duo adoleſcentes, duæq; puellæ in alio loco ſupra caput eius ſtantes variè, iucundèq; tripudiant, ita ſaltationem ad ſonum à Satyro miſſum accommodantes, vt viuentes potiùs, quàm fictæ ſtatuæ videantur. Rurſus alio in loco noua ſe præbet ſpecies oculis intuenda: quidā enim Angeli formam præ ſe ferens, recluſa aqua tubam pulſat: ad cuius ſonum Faunus quidam ſylueſter item homo, ab Ethnicis ita dictus, guttum quendam attollit, aquaq; repletum, velut poculum quoddam ſerpenti ibidem aſtanti propinat, & ſemel, atque iterum, imò ſæpe hauſtum aqua replet, donec ſpectatoribus ſit ſatis factum, ita ad viuū, vt non effigies, ſed veræ formæ reputari queant. In alio profluentem magno impetu aquam lacertus quidam miræ magnitudinis velut mortis aliquod periculum citiſsimè effugit, & in ſcopulos quoſdam, ſiue ferarum teſqua artificioſè extructa ſe recipit. In alio puer quidam pilam manu tenens, eam huc, atq; illuc agitat, & tum ipſius, tum etiam corporis ſui varijs partibus aquam mittit, quā duo anſeres veluti ſitientes auidiſsimè hauriunt. In alio anſer quidam ſummæ magnitudinis collum in aquam demittit, roſtroq; & ore illā capiens, circunſtantes lepidè reſpergit. Mitto alias ſimilis artificij figuras in diuerſis huius villæ fontibus conſpectas, quæ oculis non mediocrem voluptatem, animis incredibilē admirationē attulerunt. LEO. Videris ſanè, dū iſta refers, non ſolùm otiari, ſed etiam iocari, perſuadere nobis volēs, aquæ fluxu tam multas ſtatuarū agitationes, & geſticulationes fieri. MICHAEL. Seria, & nō iocoſa te audire crede, Leo chariſsime, nec enim colloquia hæc iudicris, & iocularibus ſunt dedicata, nec ſi veris falſa, & anilia intermiſcere velim, ſocij, qui adſunt, patientur. MANCIVS. O lepidum noſtri Leonis dictū, qui à Michaële de fontibus Pratolinæ villæ cōmemorata, ridicula eſſe ſuſpicatur, cùm adres ſerias, graueſq; tractandas hæc colloquia fuerint omnino inſtituta. LINVS. Quandoquidē ſeria, & certa iſta omnino eſſe dicitis proferte cauſam aliquam illius tam varię agitationis. MICHAEL. Eam ego vobis ex varijs ſimilibus expromā: ſicut enim hi, qui pupulos ſcenicos exhibent, artificioſè efficiunt, vt variæ imagines, ac formæ ex papyro, aliaq; ſimili materia confectæ velociſsimè moueantur, & veluti actionem aliquam, ſiue drama ſpectantibus proponant, ori bus quibuſ-

dam ita circunductis, vt alij alios impellant, formæq; ipſæ inanes alio qui accedant, & recedant: non ſecus fieri poteſt, vt quibuſdam inſtrumentis diſpoſitis, & ab aqua motis, aliæ, atq; aliæ figuræ agitetur, variosq; motus oculis ſpectandos exhibeant. Talem etiam videlicet aliquã ex parte in his horologijs, quæ Societatis IESV patres ad nos affe runt: in quibus vnus orbis pondere ferreo circumuolutus, ita reliquos impellit, vt ſtatis temporum ſpatijs horæ debitæ tintinabulo reddãtur: quod ergo pondus ferreum hîc efficit, illic aquæ impetus aſſequitur. Sed in illo horologio Toletano, de quo ſuperiùs dixi, multò admirabiliùs ſpectatur, in quo tam multis orbibus circũactis, tot ſphærarum conuerſiones exprimuntur: quæ omnia Arithmeticæ, & Geometriæ certiſsimis documentis, ac normis fieri, exploratum eſt: & ſimiliter aquæ fluxu variè temperato, & deriuato tam multa alia ſpectacula præbentur. LEO. Subodoramur iſtis ſimilibus propoſitis aliqua ex parte cauſam tantæ agitationis, & facilè intelligimus, Europeorum opulentiam cum ingeniorum ſubtilitate certare. MICHAEL. Omitto pluras alias fontium formas, timens ne vobis faſtidium pariam, addamq; ſolum, ita aquæductibus, fiſtulis, tubulis, atq; epiſtomijs in ea villa aquam diſtribui, atq; mitti, vt conuiuiũ quoddam infinitis propè epulis refertũ videatur: fontiũ enim ora ita ſunt multa, vt alicubi mille & quingenta numerentur: figuræ autem tam variæ, vt nec ipſe Apollo olim inter Ethnicos muſicæ Deus creditus, cum nouem Muſis diuerſa organa pulſantibus deſideretur, ſonuſque inde millus optimorum citharœdorum cõcentum imitetur. Sed relictis iam fontibus, ad alia tranſeamus. Habet eadem villa præter arbuſta, pomaria, & opera topiaria, quæ ſilentio prætermitto, auiarium quoddam innumeris ferè auibus plenum, quod ita eſt amplum, & tam artificioſo, ac tenui filo ferreo obſtructum, vt auei ipſæ non intra clauſtrum eſſe, ſed cælo libero frui, & ſine cuſtodia aliqua vagari videantur. His adiungite vberrimum fontem, riuumq; amœniſsimum, cuius vtraq; velut ripa volucrũ cantibus circumſonat: tot verò in eodem loco ſunt arbores, vt aues ibidẽ conditæ, facilè nidos fingere, prolemq; educare poſſint. Et quoniam de hoc auiario dixi, Florentiam repetam, & de quadam ferarũ cauea mentionem faciam, priùs tamen afferens, ne eòdem redeam, villam eam, quã hactenus deſcripſi, omnibus ad voluptatem, & delectationem

tionem pertinentibus ita abundare, vt nullum alium amœniorem, animorumq; relaxationi accommodatiorem locum fuerimus intuiti. Regressi igitur Florentiam, vidimus insignem quandam caueam, in qua fastus, & magnificentiæ causa multæ, immanisq; imæque feræ ex variis prouincijs magno labore, sumptibusq; comportatæ asseruantur. Ibi enim decem cernuntur Leones, quæ animalia, præterquàm quòd sint ferocissima, rarissimè, & difficillimè inueniuntur: quatuor deinde tygres, quatuorq; vrsi, & duo lupi ceruarij, qui pantheræ formam imitantur: quæ omnes feræ suis locis distinctæ, ita custodiuntur, vt sobolē propagare possint, ad earumq; assiduum alimentum immodicas expensas fieri necesse sit: quas tamen dux ille magnus libenter facit, vt hospitibus externis, & ciuibus iucundum quoddam, & inusitatum præbeat spectaculum. Sed dicamus etiam aliquid de sacris, quæ conspectu dignissima Florentiæ vidimus, & in primis de ea celebratissima Beatæ Virginis imagine, quæ ipsam cælestem nuntium ex Angeli Gabrielis ore accipientem refert, & in tanta est apud omnes veneratione, vt nō nisi semel in anno populo spectāda præbeatur. Atq; vt eius prima initia, quæ nō sine miraculo fuerunt, vobis proponam, ferunt, fuisse olim pictorem quendam clarissimum, qui ad pingendam huiusmodi imaginem animo vehementer fuit affectus: cùmq; inferiores corporis partes inchoasset, & ad vultum peruenisset, timens ne nō posset penicillo debitam pulchritudinem assequi, cælestisq; illius oris lineamenta exprimere, ad sacras preces, diuinaq; remedia confugit, & animi maculas confessione expians, sacramq; eucharistiā suscipiens, meliori rursus animo ad opus aggredi instituit: cū illucescente die, qui operi erat destinatus, picturam totam Angelica, vt creditur, virtute absolutam inuenit, quōdq; ipse humanis manibus obtinere non audebat, diuina arte suppletū esset. Nec verò id temere creditur: tot enim posteà consecuta sunt miracula, totq; prodigia ex eius imaginis pio intuitu, & precibus, vt planè diuinam manum operi illi adhibitam esse testificentur. Hanc igitur celebratissimam imaginē videre ter frustra aggressi, bisq; confluentis populi multitudine impediti, donec tertiò anni eiusdem tempore ad templum tumus admissi, & quandu sacrum fiebat, aspectu illius summopere recreati, quæ planè diuinam quādam speciem sub aspectum intuentium subijcit. Quid dicam de maximi tem

pli fabrica, quæ ex marmore tota eſt, tam multis ſtatuis circumquaq; ornata, tali veſtibulo decorata, tam præclaro adyti faſtigio, quod cupulam vocant, quingentorum, & ſexaginta nouem graduum altitudine compoſita, vt meritò bis millies ſeſtertiũ pretio fuerit æſtimata. Taceo pulcherrimum eiuſdem faſtigij globum ex ære conflatum, turrim eiuſdem altitudinis ex Pario lapide, tintinabula multa ſuſtinentem, aliaq; ſimilia opera, quæ longum eſſet cómemorare. Redeo rurſus ad ducis res, vt aliquibus adhuc relatis, Florentia pedem efferam. Conſpeximus ergo cum magna iucunditate armarium, ſupellectilẽque Hetruriæ ducis, quorum vtrumq; regiam amplitudinem continebat: nam & in armario ex grauis armaturæ inſtrumentis pluſquàm quinq; millia vidimus, vt præteream innumera alia offendẽtiũ, defendẽtiumq; armorũ genera, quibus maximus exercitus ordinari poſſet. Ne autem aliquid aſpectu iucundum deſiderari videretur, ducis ipſius vxor ſuam priuatam ſupellectilem nobis oſtendi iuſſit, in qua tam multa erant opera aurea, atq; argentea, tam multæ gemmæ, atq; vniones, tam variæ deniq; res cuiuſque operis conquiſitiſſimi, vt reginæ illuſtriſſimæ theſaurũ, ſupellectilemq; poſſes dicere. Acceſſit ad hũc perhoſpitalem animum, & beneuolum, eiuſdem principis clariſſimæ magnificentia, qua cuiuſuis operis gratiſſimi deligendi, & accipiendi eius nomine optio nobis data eſt. Nec inuenuſtè, aut illepidè huiuſmodi optio cecidit: Mancius enim noſter in imaginem ipſius principis caſu, & inconſultò incidens, illud opus præ omnibus ſibi placere affirmauit: quòd ſi plura eius generis eſſent, ſe nequaquàm manus ab aliquo cohibiturum. Placuit principi iudicium hoc de ſua imagine, & quoniam non omnino elaboratam eſſe affirmabat, aliã, quã Mãcio dono daret, quã primùm confici iuſſit. Sed iam nunc Florentia egreſſi, Senas contendamus, quæ in eo itinere poſt Florentiam occurrũt. Pertinet vrbs hæc, ad quam tertio Idus Martij peruenimus, etiã adiurisdictionem Hetruriæ ducis, & inter nobiles Italiæ vrbes non infimum locum habet. In ea iuſſu eiuſdem ducis ad domum quandam, magnificè inſtructam diuertimus, ab vrbis gubernatoribus obuiã prodeuntibus excepti. Non defuerunt in hac vrbe multa nobis cũ ſumma iucunditate ſpectanda, præſertim templum maximum, quod cũ magnificentiſſimis conferri debet, ſiue opus, ſiue materiã conſideres.

Nam

Nam ex marmore totum est compositum, nec solùm laquearia, verũ etiam pauimentũ ipsum figuris varias historias repræsentãtibus, opere vermiculato exornatũ est eo artificio, vt nec ipsis lapidibus perpolitis varij colores deesse videantur. In hoc templo, atq; aliis multis varias sanctorum reliquias thecis, & auro, argentoq; ingeniosè inclusas aspeximus, sacrumq; ornatum cum aliarum vrbium nobilissimarũ apparatu certare, iudicauimus. Adijmus item collegium patrum Societatis, eorumq;, & aliorum religiosorum hominum charitatem, beneuolentiamq; multis in rebus sumus experti. Decimo sexto Calendas Aprilis hac vrbe profecti, ad oppidum quoddam sancti Quiricij nomine peruenimus, cùm summus ipse Pontifex nuntiũ ad nos misisset, significans sibi gratam fore nostram celeritatem, quò facilius eius auidissimæ expectationi satisfaceremus. Præstigiebat videlicet sanctissimus ille Pontifex, quàm breui tempore ipsi è vita esset excedẽdum, nostroq; aspectu, quem iucundissimum fore sperabat, diutiùs frui cupiebat. Approperauimus igitur, quantum potuimus, & ad oppidum quoddam ad ipsius summi Pontificis ditionem pertinens, nomine Aquampendentem deuenimus, vbi gubernator ducentis scloparijs militibus comitatus, nobis beneuolè admodùm obuiã processit. Hinc Volsinium transeuntes, Viterbium peruenimus, & antequàm ingrederemur, ab optimatibus viris cum ducentis satellitibus obuiam prodeuntibus, amantissimè ad vrbem sumus admissi, & in hospitio quoddam apparatissimè extructo repositi. In hac vrbe diem integrum fuimus morati, vt aliqua eius opera conspiceremus. Petiuimus in primis templum maximum, vbi, postquàm solenni sacro interfuimus, multæ nobis sacræ reliquiæ auro artificiosè insertæ, sunt demonstratæ, in primisq; spina vnica ex illis, quibus Christi vindicis nostri sacrum caput fuit transfixum: deinde maxilla Diui Ioannis Christi prodromi: deniq; aliæ multæ reliquiæ, quas numerare per tẽpus nõ licet. Post modũ delati sumus ad cœnobium quoddam sacrarum virginum, vbi conspeximus venerabile cadauer cuiusdam diuæ nomine Rosæ, quod, cùm ab ipsius obitu quadrigenti anni agantur, integrum tamen adhuc, diuina virtute illud conseruante, perseverat. Intuiti etiam sumus extra vrbis mœnia templum quoddam, Beatæ Virginis, quæ à quercu nomen habet, dedicatum. Ea est autẽ nominis origo, quòd miser quidam

dam homo in graue vitæ periculum incidens, & Beatam Virginem in uocans, in quercum oculos attollens, ibi eiusdem Virginis sibi opem ferentis imaginem fuerit intuitus. Quo miraculo, ac prodigio commoti ciues templum sanctissimæ Virgini extruxerunt, quercum eandem cum ipsa imagine sacello maximo concludentes, ad memoriam miraculi sempiternam: quod multa alia in posterum sunt diuina ope consecuta: & adhuc hoc tempore patrata, celebre illud templum, cœnobiumque religiosorum ex Diui Dominici familia magnopere reddunt. Adijmus etiam quendam locum nomine Bagnaiam à cardinali Gamba itensi ad voluptatem, deliciasq; extructum, vbi non pauciora se nobis obtulerunt iucunditatis, oblectationisq; argumenta, quàm in Pratolina villa Hetruriæ ducis: & quanuis locus sit angustior, septum tamen habet ad venandum valde accommodatum, vbi venaticis canib' vtentes, quorum in Europa maximus est vsus, feras aliquas excitauimus, & cepimus. Mitto huius loci hortos, fontes, aliaq; amœnitatis testimonia, quæ ex superiùs dictis facile conijci possunt, solùmq; de instrumento quodá musico agam, quod clauicymbalũ vocãt, & meritò animos nostros summa admiratione defixos habuit. Est illud quidem longũ sex palmos, latum verò quatuor, vnius palmi altitudine, cuius ad aërem excipiendum operacula ita sunt disposita, vt facili eorum motu, isdem tabellis pulsatis, plurium instrumentorum inter se differentium, soni, voces q; reddantur: ita vt vario excepto aëre, plusquàm centum tonorum genera suauissimè emittantur. Quòd si rursus velis singula tantùm instrumenta audire, facilè excipies auribus suauem sonum, nunc citharæ, nunc lyræ, interdum organi, nonnunquam fistularum, modò tubarum, deniq; lambucæ, testudinis, barbiti, psalterij, & cuiuscunque alterius musici instrumenti. Illud est ergo huius, de quo loquimur, artificij, vt siue multos simul sonos, siue hos, atq; illos sigillatim velis audire, minimo labore id perficias: quod quidem inuentum, & excogitatum est à quodam Veneto artifice summi ingenij viro. Accedit ad hoc opus area quædá instar stagni confecta, quæ hinc, atq; inde octo habet receptacula, & quoties ex eo instrumento sonus ille emittitur, qui bellicus dicitur, toties apertis aëre receptaculis, triremes affabrè cõfectæ ad certamen descendunt, pulsantur tubæ, propelluntur, & inhibentur remi, commixta soluuntur, denique mira quædam species pugnæ, & certami-

nis

nis oculis obijcitur, quæ omnia vi flatus variè temperati, sicut suprà de aqua diximus, efficiuntur. LEO. Admirabiliora nobis quotidie narras, nec iam dubito, quin Europei homines cæteris ingenio antecellãt: & quidem nisi te, sociosq; testes locupletissimos haberemus, omnia ista tã quã cõmenticia pro nihilo ducerem. MANCIVS. Nulla est dubitãdi ratio, cùm nos Iaponenses homines absq; vllã suspicione mẽdacij ea, quæ manibus quodãmodo contrectauimus, vobis proposuimus. MICHAEL. Viterbio duodecimo Calendas Aprilis, nostro Iuliano tam de viaefesso, & aliquantulum ægrotante, profecti sumus, venimusq; in villam nomine Caprarolam illustrissimi cardinalis Alexandri Farnesij ex clarissima Parmensium ducũ familia. Villa hæc, quæ à me latè describenda foret, nisi multa repetere, fastidium esset, nec amœnitate loci, nec operis structura, nec domus, in qua centum, & quinquaginta atria, & cubicula numerantur; amplitudine, nec denique Iauriſsimæ supellectilis varietate, ac pretio superioribus à me cõmemoratis, vlla ex parte cedit, talisq; est, qualem decet esse amplissimi illius, locupletissimiq; antistitis, cuius nomen in tota Christiana republica percelebre est. Prætereo igitur eius viridissima arbusta, fontes artificiosissimis aquæductibus fluentes, septa feris abundantia, cellariam centum ferè vini dolijs, alijsq; multis ad hospites excipiendos refertam, equile centum, & viginti equos capiens, aliaq; multa, quæ viginti quatuor annorum spatium, vt ad eum statum, in quo modò sunt, peruenirent, omnino expleuerũt. Ergo ijs omnibus omissis, Romam tandem studijs, atq; animo optatam contendamus. Qua in vrbe, quoniã ex præscripto Summi Pontificis publica populi acclamatione, & frequentia eramus recipiẽdi, priuatim prius, & velut remotis arbitris, in eam sumus ingressi, & à Patre Claudio Aquauiua Præposito Generali Societatis IESV, eiusque communi parente, tanquam charissimi filij, è remotissima regione venientes in sinum, & complexum beneuolentissimè recepti. Sed quoniam publicus vrbis ingressus nouum colloquium requirit, nos quiete vires redintegremus, & crastino die de vrbe Romæ totius orbis capite dicere aggrediemur.

De celebri vrbis Romæ ingreſſu, adituque ad ſummum Pont. Gregorium decimum tertium: ac de ſacro Palatio, & auguſtiſsimo Tẽplo Diui Petri. Colloquiũ vigeſimũ ſecũdũ.

LEO.



Vanto ſtudio, quantaq; animi auiditate ad colloquiũ hoc accedamus, vos ipſi iudicare poteſtis, qui hactenus Europearum vrbium mentionem facientes, Romam cæterarum omnium caput, & velut reginam, ac dominatricẽ prædicaſtis: quo fit, vt in animis noſtris, quo iam ſumma iucunditate ad cæteras vrbes pertineria audiuimus, nouum quendam ardorem, & inuſitatam audiendi auiditatem manifeſtè agnoſcamus. MICHAEL. Meritò ſanè Romæ vrbis futura commemoratio nouos in veſtris mentibus ardores, & ſtudia excitat: cùm talis ſit eius vrbis amplitudo, ſanctitas, & religio, vt non ſolùm præſentes ad vehementiſsimum ſui amorem excitet, verùm & in abſentiũ animis admirabile quoddam ſui videndi deſiderium ſuſcitet. Quod non modò vos, quibus tot de ea dicenda prompta ſunt, verùm & alij Chriſtianæ reipublicæ viri cæteriſsimè recognoſcũt, adeò vt qui Romam non vidit, iucundiſsimo omnium aſpectu ſe priuatum eſſe fateatur. Vtinam ieiunæ meæ, & penè exhauſtæ orationi, nouũ dicendi flumen, nouaq; vbertas accederet, qua, quidquid ſi parùs de alijs vrbibus à me dictum eſt, humile prorſus, & tanta maieſtate inferius cenſeretur. Sed accedamus iam ad rem ipſam, illud ante oculos habentes, nullam eſſe orationem, quæ tantæ rei magnificentiam aſſequi poſsit. Vt ergo de ſolenni noſtro ad eam vrbem ingreſſu dicã, de animo ſummi Pontificis in nobis excipiendis, priùs agam. Compertum

tum habuit ſummus pontifex per certiſſimos nũtios, ac literas, nos è Iaponia remotiſsima orbis parte Romam petere, vt nomine Bungenſis, Arimenſiſq; regũ, ac Omurenſis principis, qui nuper religionem Chriſtianam ſuſceperant, ipſum tanquam Chriſti in terris vicarium ſupplices, venerabundiq; recognoſceremus. Quapropter nihil officio conuenientius duxit, quàm vt nos, tanquam regum legatos, ſolenni apparatu, gratulationeq; admitteret: quanuis Societatis patres pro animorũ ſummiſsione, quam profitentur, rem hanc, tanquam ipſis debitam, ac propriã, quantũ in eis fuit, extenuare fuerint conati, & vt priuatim ſolum à ſummo pontifice exciperemur, pro viribus contenderint: ſummus tamen pontifex negotium hoc toti Chriſtianæ reipublicę cõmune iudicans, æquiſsimum cenſuit, vt nouam Chriſti ſobolẽ in vltimis terrarum partibus propagatam, quàm maximis amoris, beneuolẽtiæque ſignis, teſtimoniiſq; proſequeretur, & nos eo honore, quo reliquorum regum, principumq; legati in Romana curia habentur, libentiſsimo animo afficeret. Ergo eo die, qui noſtro ingreſſui deſtinatus erat, ad quandam villam ſummi pontificis ducimur, quæ legatis regum Romam vrbem petentibus ſolet eſſe ad requieſcendũ è via per opportunum diuerſorium. Deſcribenda nihil eſſet multis verbis hæc amœniſsima villa, niſi grauiora me negotia vocarẽt, ſuperuiſq; de ſimilibus locis ſatis, ſuperq; egiſſem, proponens veluti quædã exemplaria, ex quibus de reliquis iudicium ferri poſſet. Satis ſit ergo ſcire, villam amœnitate, ædificiorum fabrica, ſupellectilis pretio, & varietate maximo omnium pontifice dignam eſſe. In eo loco paucas tantùm horas morati ſumus, quandiu ad nos excipiendos neceſſaria expediebantur: ſummus nanq; pontifex Gregorius, quàm breue vitæ curriculum ſibi ſupereſſet, velut præſciens, tantæ lætitiæ, quantam animo ex noſtro aduentu concipiebat, nec procraſtinationem aliquam, nec deceſsionem ferre poterat. Omnibus ergo paratis ordine, ac pompa, quã modò deſcribam, ad ſanctiſsimæ illius vrbis mœnia cœpimus accedere. Præibant in primis omnes illi equites, quibus ſummi pontificis cuſtodia commiſſa eſt, numero centum, & eò plures, ita grauiarmatura ornati, quaſi ad certamen deſcenderent. Sequebantur Heluetij bipennibus vtentes, qui ad eiuſdem ſummi pontificis pedeſtrẽ cuſtodiã pertinent, omnes diſcoloribus, polymitiſq; veſtibus induti. Poſt

hos procedebant insignia cardinalium ab eorumdem famulis gestata, qui mulabus vecti, dominorumq; galeros coccineos post terga ferentes, cardinales absentes adumbrant: nam ipsimet tum temporis summo pontifici in palatio opperienti adsunt, & per nuntios suos legatis de aduentu gratulantur. Hos subsequebantur etiam familiæ cæterorum legatorum, qui Romam à regibus, & principibus mitti solent. Vlteriùs iter faciebant musicis instrumentis vtentes, præsertim tubicines, cornicines, alijq; similes, qui varijs sonis emissis non paruâ magnificentiam præ se ferebant. Post hos equis vehebantur maximi pontificis cubicularij, alijque palatini magistratus, pallas talares ex coccino gestantes: mox alij multi grauissimi sacerdotes, antistitesq;, & hi, qui clerici cameræ appellantur. Hos sequebatur Mancius noster, Franciscum regem Bungensem referens, vtroq; latere duobus archiepiscopis comitatus. Mox ego duobus episcopis, & Martinus alijs dignitate insignibus viris sociatus. Vnicus aberat Iulianus, morbo eo tempore impeditus. Nos autem equis ornatissimis, cum stragulis ex gausapino nigro, filo aureo adiuncto, ad solũ ferè productis vehebamur, & ad calcem infiniti propè equites Romani ex tota vrbis nobilitate nos sequebantur: quorum tanta erat multitudo, vt totus hic comitatus mediæ ferè leucæ spatium expleret, talis verò erat ornatus, qualis celebritatẽ Romanam decet. Quid dicam de his, qui impedimento aliquo domi tenebantur, & fœminis, quæ honestatis causâ in publicũ prodire non solent: ex quibus tot erant à fenestris spectatores, & spectatrices, tantusque parietum, & fenestrarum ornatus, vt aspectum præberent iucundissimum: præsertim cùm omnes illæ Romanæ matronæ summoperè lætantes, magna acclamatione prosperũ nobis, felicemq; aduentũ precarẽtur. Hoc ordine procedentes ad pontem quendã pulcherrimũ, & maximè celebrem, quo fluuius Tyberis trajcitur, ante arcem Sancti Angeli peruenimus: ex qua arce primùm quidem variorũ instrumentorum cõcentu, deinde tormẽtorum bellicorum, scloporumq; multiplici, admirabiliq; sonitu noster aduentus fuit magnoperè celebratus. Hinc ergo nobilissimo quodam, & ornatissimo vico adfactum vsq; palatium sumus delati, vbi rursus scloporum, tormentorumq; sonitus mirabiliter est instauratus. Nobis verò palatium ingredientibus, & ad atrium, quod regium appellatur, accedentibus iucundissimus fuit aspectus grauissimi

uiſsimi conſeſſus omnium cardinalium, aliorumq; pontificum, & nobiliſsimorum virorum, quibus ampliſsimũ illud atrium erat refertum. Verùm enim verò inuſitato, & pluſquàm humano more mentes noſtras penitus commouit, & ad miram pietatem traduxit inexplicabilis maieſtas ſummi pontificis, auguſtiſsimo ſuo ſolio ſedentis, Chriſtumq; cæleſtia templa ſuprema poteſtate replentem nobis ad viuũ exprimentis: deniq; ad diuina prorſus amanda, terrena, atq; humana contemnenda noſtros animos permouentis. Nec verò huic tantæ amplitudini defuit ſingularis quædam, atq; incredibilis humanitas, qua nos primũ intuitus ad ipſius pedes accidentes peramanter, paterniſq; viſceribus cõplexus eſt, & pacis ſacroſancto oſculo nos, etſi immeritos dignatus, totoq; animo cõmotus, non potuit ſe cõtinere, quin profuſis lacrymis intimũ animi affectum ſignificaret. Quibus amoris argumẽtis nos ex quodam natiuo timore, coram tanta maieſtate ſuborto, paululũ recreati, literas, & mandata Bungenſis, Arimenſiſq; regum, & dynaſtæ Omurenſis propoſuimus, quibus ſummatim continebatur, reges eos, principeſq; Iaponenſes à falſo idolorum cultu ad Chriſtianam pietatem diuino inſtinctu vocatos, cõcioſq; eius ampliſsimæ authoritatis, quam ipſe in terris tanquam Chriſti Vicarius obtineret, nihil antiquius, chariuſq; duxiſſe, quã vt nos ſuo nomine ad ipſius ſanctiſsimos pedes oſculandos, capitibuſq; noſtris religionis ergò imponendos, ex remotiſsimis orbis terrarũ partibus mitterẽt. Quæ omnia noſtra Iaponica lingua prolata pater Iacobus Meſquita tanquam interpres Italo ſermone expoſuit, & ſummus ipſe pontifex tanta dignitate, & humanitate dignum reſponſum retulit, quo ardentiſsimum erga nos amorem, & pluſquàm paternam beneuolentiam manifeſtè expreſsit. Mox ceremoniarum magiſter nos ad locum legatis deſignatum detulit, vbi detecto capite, reuerenterq; nobis ſtantibus, literæ illæ, quas ſummo pontifici obtuleramus, publicè Italo idiomate perlectæ ſunt. Quibus abſolutis, pater quidam Societatis IESV, nomine Gaſpar Gonſaluus, vt in ſimilibus actibus, publiciſq; conuẽtibus fieri conſueuit, de eadem materia, hoc eſt noſtro aduentu, eiuſq; cauſis oratione habuit elegantiſsimam, quæ poſteà typis excuſa eſt, & nunc ab omnibus ſumma iucũditate perlegitur, & quã appoſitè ad argumẽtũ illud dixerit, eam à nobis allatam legentes, teſtificari poteritis: quanta verò

actione, auditorumq; commotione eam protulerit, teſtes fuerunt lacrymæ, quæ à grauiſsimis ſacerdotibus, illuſtriſsimis cardinalibus, & ab ipſo ſummo pontifice vberes ſunt profuſæ: quæ manifeſtè teſtabantur, quanta lætitia, animorumq; alacritate omnes, qui aderant, felices nuntios de Chriſtianæ reipublicæ propagatione exciperent, quantaq; charitate nouos Chriſti alumnos complecterẽtur. Ea abſoluta oratione, quidam dignitate inſignis vir reſponſum nomine ſummi põtificis reddens, aliam etiam breuiorẽ cum ſumma grauitate habuit, aſſerens, ſummum pontificem vehementiſsimè noſtro aduentu lætari, & cõmemoratos reges, dynaſtaſq; Chriſtiano gregi adiunctos, noſq;, & Iaponenſes omnes, qui Chriſto nomen dederant, in ſuam fidem, tutelamq; recipere, ſemperq; Iaponicas res in poſterum ſibi curæ eſſe futuras, nec vnquam in eis ornandis, & amplificandis operam, diligentiamq; ſuã deſiderandam. Tunc nos ad ſolium ſummi pontificis accedentes, rurſus pedes ſumus oſculati, & ab illuſtriſsimis cardinalibus circunſtantibus humaniſsimè excepti, & præ amoris ſignificatione, velut in intimis viſceribus reconditi. His actis recipiens ſe ſummus pontifex, nouo alio honore nos dignatus eſt: voluit enim, vt Mancius, & ego veſtis eius ſacræ poſteriorem laciniam manu tenentes, ipſum comitaremur, quod imperatorum legatis, qui cæteris dignitate præſtant, concedi ſolet. Poſtquã ſummus põtifex in domiciliũ ſe recepit, ab eius nepote illuſtriſsimo cardinale ſancti Xiſti, præſentibus cardinale Vaſtauillano, & Iacobo Bomcompagno Soræ duce, eius fratribus patruelibus ad conuiuium inuitati ſumus. De cuius conuiuij magnificentia, & apparatu, non eſt quod dicã, cùm id ex ſuperiùs à me dictis de vſu Europeorum principum in conuiuijs ineundis, & aliquibus ſigillatim à me propoſitis, facilè poſsit intelligi. Omnia namq; ſiue ad varietatem epularũ, ſiue ad ſumptuoſitatis pretium pertinentia, regiam magnificentiam adæquabant. Poſt conuiuium, rurſus ſummus pontifex ad priuatum congreſſum, colloquiumq; nos vocauit, in quo quàm humaniter, affabiliterq; nos habuerit, verbis explicare vix poſſum: vos ipſi, ex ſpecie amantiſsimi patris erga charisſimos filios id coniectare poteſtis. Et ſanè charitatem ſummi pontificis erga nos conſiderantes, eamq; cum ipſius ampliſsima maieſtate conferentes, facilè aſſecuti ſumus, altitudinem, atq; amplitudinem illam non humanis viribus obtentam, ſed diui-

diuinitus esse datam, quæ videlicet non animos efferat, arrogantesq; reddat, sed simul cũ summa potentia Christi benignitatis, suauitatisq; imitatores efficiat. LEO. Dixisti Michaël de mira summi pontificis erga vos humanitate, nos tamen plura, ac minutiora audire cupimus, quo videlicet vtatur ornatu, quam deinde vestem induat, quantúq; ea à cardinalium, cæterorumq; præsulum indumentis differat, aliaq; similia, quæ longo interuallo distantibus audita iucunditatem nobis parient. MICHAEL. Ista minutiora ego prudens omitto, quoniam longum opus desiderant, & exponi non possunt, quin Romanæ sedis varij ritus, consuetudinesq; attingantur. Dicam tolùm summi pontificis ornatum iuxta temporum varietatem, longè etiã diuersum esse, quicunq; tamen ille sit, quandam maximam maiestatem, & grauitatem præ se fert, pretioq;, & forma à cardinalium veste magna ex parte differt. Quoniam autem omnes cuiusq; sint ordinis, religionis ergò pedes eius exosculari cõsueuerunt, supra calceos ex rubro gausapino cõfectos, crucem semper gestare solet, vt cruci potiùs, quàm ipsis pedibus osculum adhibeatur. Quod verò attinet ad cardinales, eorumq; habitum à cæterorum pontificum veste solo colore distinguitur: nam coccineo, vel saltem violaceo, nimirum tempore quadragenarij ieiunij, & aduentus Domini vtuntur. Hæc de communibus vestibus dicta sint: nam quod pertinet ad sacras, multiplices illæ quidẽ, ac variæ sunt tam in summo pontifice, quàm in alijs pro temporum varietate, deq; illis multi libri agunt, quos à nobis allatos facilè potestis perlegere. Sequitur ergo, vt aliquid agam de summi pontificis magnificentissimo palatio, & celeberrimo vrbis Romæ templo, Diuo Petro, Apostolorũ Principi consecrato: de quibus duobus ædificijs illud in primis tãquã certissimum assero, me nihil tanta maiestate, & magnificentia dignũ esse dicturum: satiùs tamen erit aliquibus commemoratis, vobis, qui iã superiorum ædificiorũ descriptionem audiuistis, iudicium de his duobus, præter cætera omnia insigniter excellẽtibus, faciendum relinquere. Nam quid dicam in primis de summi pontificis augustissimo palatio, quod omnium regum, imperatorumq; regias, & augusta domicilia longè, multùmq; superat? Cùm enim iam à multis seculis diuino instinctu commoti summi pontifices, in ea clarissima vrbe Roma sedẽ sibi stabilem fixerint, alijq; alijs succedentes semper opus illud nobilissimum

ſimum ornauerint, auxerint, illuſtrauerint, nominum ſuorum memoriam poſteris relinquentes: mirum eſt, in quantam magnitudinem opus illud vetuſtiſsimum excreuerit, qualemq; ſui inſtaurationem incrementúq; præ ſe ferat. Quapropter vix numerari poſſunt eius periſtylia, pergulæ, atria, triclinia, cubicula, aliaq; infinita propè receptacula, quorum quàm magnus ſit numerus, vel ex eo colligi poteſt, quòd intra hoc palatiũ mille, & ſeptingenti camini, fumiq; vaporaria numerentur. Cum hac autem operis magnitudine pretium, artificiumque ſummopere certat. Nullum eſt enim operis genus, ſiue anaglyphicũ, ſiue vermiculatum, ſiue quoduis aliud antiquũ, quod in huius palatij pauimento, parietibus, & laquearibus non reperiatur. Omnia namque auro, coloribus, figuris, imaginibus ita ſunt diſtincta, vt meritò ſpectaculum illud omnium totius orbis terrarum optimum iudicari debeat, in quo omnes tam Romani, quàm externi homines ampliſsimam habent animos, oculoſq; paſcendi materiam. Nec verò in hoc perfectiſsimo ædificio deſideratur vlla hortorum, pomariorum ve amœnitas, nulla fontium, fiſtularum, ſtagnorumq; iucunditas, nulla viuariorum voluptas. Quæcunq; enim ad artem, amœnitatem, voluptatemq; pertinentia in cæteris alijs celeberrimis villis commemoratis reperiũtur, ea omnia in hoc vno ſummi pontificis palatio, velut in ædificiorum omnium ornatiſsimo capite artificioſiùs, cumulatiùſque continentur. Eſt autem tanta huius operis capacitas, & amplitudo, vt ſcièrimnes ſcalę, quibus totius palatij penetralia adeuntur, equis percurri poſsint. Vt verò aliqua huius operis domicilia peculiariùs enumerẽ, in eo eſt celeberrimum illud conclaue, in quod, ſummo pontifice ex hac vita ad meliorem excedente, cardinales omnes conueniunt, ad alium ſupremum præſulem in demortui locum ſufficiendum. Ibidem ſunt atria quædam ampliſsima, in quibus cardinalium conuentus ſiue publici, ſiue priuati, ſummo pontifice conuocante, haberi ſolent. Sunt autẽ publici, quibus imperatoris, regum, rerum publicarumq; legati ſolenni illius illuſtriſsimi conſeſſus applauſu excipi conſueſcunt: priuati verò, in quibus ſummus pontifex ipſos cardinales in conſilio de rebus grauiſsimis, & ad commune bonum Chriſtianæ reipublicæ pertinentibus frequenter adhibet. Sunt deniq; in eodem palatio duo quædam ſummi pontificis ſacella, quæ non mediocria templa dici poſſunt, in

qui-

quibus ſummus pontifex, ſtatis diebus, illuſtriſſimis omnibus cardinalibus aſſiſtentibus, diuinæ rei intereſſe ſolet: vt interim omittam feſtos quoſdam dies, quibus in templo Diui Petri, vel in alijs ſacrum ſolēne facit. Inter vtrumq; verò ſacellum, celeberrimum illud atrium interijcitur, quod regium dici ſolet, quòd in eo reges ad maximū pontificem reuerentiæ cauſa venientes, vel legati ab ipſis miſſi, celeberrimo magnatum tam ſacrorum, quàm profanorum conuentu à Romano pontifice excipiātur: quod quidem omnibus, quæ in artificioſo opere requiri poſſunt, cætera huius palatij tecta, imò & quæcunq; alia longè, multūmq; ſuperat. Huius atrij parietes quadratis quibuſdam pretioſorū, diſcolorumq; lapidū, qui miro artificio ſunt coagmētati, inferiori ſui parte nitūtur: ſuperior verò facies artificioſiſſimis emblematis, auro circumtectis veſtitur, quib' varię hiſtoriæ, figureq; affabrè expreſſę ſpectantur: deniq; laquearia concamerata iiſdem auri, colorum, figurarumq; ornamentis decorantur, aſpectumq; iucundiſſimum oculis intuentiū præbent. In hoc atrio honoris cauſa à ſummo pontifice publica omnium gratulatione, atq; lætitia excepti ſumus, cùm primùm ipſum nomine regum, principumq; Iaponicorum conuenimus. MANCIVS. In lubrico te Michaël verſari video, cùm pontificij illius, in primiſq; auguſti palatij amplitudinem, artificium, ſpatium, pretiumque oratione contendis exprimere. ſatius ergo erit ſuperiora attigiſſe, reliqua audientium iudicijs, ſenſibuſq; relinquere. MICHAEL. Meritò chariſſime Manci opem mihi laboranti tuliſti, dum naufragium veluti reformidans, tanquam ratis in mari immenſo, mea veheretur oratio: ſed alios non minùs periculoſos ſcopulos ego vereor, dum video, de omnium celebratiſſimo templo, quod Romæ Diuo Petro dicatum eſt, me eſſe acturum. Sed conſilium tuum ſecutus, orationis vela contraham, ſecurioremq; littoris oram legens, digitos tantùm in eum locum intendam, in quem ingredi mea trepidat oratio: liceat enim mihi hoc exordiolo vti, de magnificentiſſima illius templi, nunquàm ſatis laudanda fabrica dicturo. Scire igitur velim vos auſcultatores chariſſimi, quēadmodum Roma vrbs totius Chriſtianæ religionis caput eſt, & ſacrum domicilium, vnde in dubijs, varijſq; euentibus, reſponſa veluti quædam oracula petuntur, ſic etiam rei huius veritatem externo illo ſigno, hoc eſt ſanctiſſimo templo, cætera omnia amplitudine, ſacrarū

rerum

rerum copia, religioniſq; ſanctitate ſuperante, ante oculos veluti repræſentari. Quidquid ergo amplum eſt, quidquid ſumptuosè, & affabrè factum, quidquid artificiosè elaboratum, quidquid deniq; humano ingenio hactenus inueſtigatum, in eius templi opere contineri, pro cõperto habendum eſt: & quoniam ex pretio ſolet excellentia operis, præſertim abſentium animis concipi: illud tale eſt, vt ei fabricæ non ſolũ ampliſsimi annui reditus iam à multis ſeculis ſint attributi: verùm etiã pontificijs diplomatis promulgatis, eleemoſynæ nunc ducentorum, interdum trecentorum millium aureorum per vniuerſam Europã ſæpiſsime corrogatæ: imò & ab ipſis Chriſtianis regibus ex regio ærario ingentes fuerint expenſæ factæ: quò fit, vt, cùm iam octogeſimus annus à primis iactis fundamentis ſit elapſus, nec adhuc opus ſit ad mediam ſui partem perductum, ſeſtertiũm ter millies fuerit iam conſumptum, quæ ſumma ſeptem vulgares milliones nũmorum aureorũ cum dimidio continet: vnde templi incredibilis magnificentia liquidò conſtat. Nolo igitur in pelagus ſingularum rerum deſcribendarum inuehi, vobis templi huius inexplicabilis formam animo effingendã relinquens: ſolùmq; dicam, in tribus tantùm huius templi ſacellis, & ea parte, quę adytũ dicitur, octoginta ferè annos eſſe conſumptos. Singula autem tam ampla ſunt, vt non mediocria templa iudicari poſsint: eo verò artificio, ac pretio, vt hęc cum temporis diuturnitate, quibus ſumptuoſiſsimè fabricata ſunt, magnopere cõtẽdant. Nõ poſſum me continere, quin aliquid dicam de adyti altiſsimo faſtigio, quod vulgò cuppulam vocant, quod quidem cùm ſit rotundum, ita eſt amplum, & in eam altitudinem ductum, vt, quo ingenio ſuprema manus illi imponi poſsit, vix excogitari queat. Hæc verò tam ſublimis altitudo, nirũ eſt, quibus fundamentis nitatur, quibuſq; parietibus fulciatur, qui quidẽ ita ſunt ampli, vt per mediam eorum latitudinem ſcalæ ad ſummum propè faſtigium pertingentes, & duo oneraria iumenta capientes, ſint confectæ, quibus, iumentis quidquid portari poteſt, ad faſtigij ferè apicem perducitur: reliqua verò grauiora onera artificioſiſsimo quodam tympano vnius tantùm equi viribus circunducto, vel alio inſtrumento à duobus ſolùm hominibus circunuoluto, in editiſsimam illam altitudinem ſumma facilitate euehuntur. Obruor materiæ magnitudine, nec plura dicere audeo, tantùmq; addam, ſacellorum illorum triũ magnifi-

gnificentiam ex quodã alio minore à sanctissimo pontifice Gregorio 13. extructo colligi posse, quod infra adytum templi situ trecentis ferè aureorũ millibus steterit: satis sit ergo dicere, etsi in Europa sunt multa magnificentissima ædificia, de quibus in his colloquijs actũ est, agetur q; vlteriùs, hæc tamen duo, sacri videlicet palatij, templiq; Diui Petri inter omnia primo esse loco numeranda. LEO. Romanarum rerũ, quas hactenus commemorasti, præter cæteras omnes, præstantia non potuit audientes nos non obstupefacere: cum hac tamen insolita admiratione perseuerat ardens quædam auiditas, plura ex te de Romanis rebus audiendi, quibus videlicet modis conuentus illi cardinalium habeantur, ad summũ pontificem deligendum, quo applausu, populiq; celebritate nouus pontifex primò renuncietur, quibus ritibus, cæremonijs que solenne sacrum faciat, quibus sanctorum reliquijs clarissima illa vrbs nobilitetur: quæ omnia video nouos congressus, nouaq; colloquia requirere: satis enim, superq; te in primo vrbis Romæ ingressu, sacriq; palatij, & Diui Petri templi descriptione laborasse iudico. MICHAEL. Libẽter omnia in posterũ præstabo, te præsertim alterna quietis ratione habente, vestrisq; animis tã multarũ rerũ narratione nequaquã satiatis.

Prosequitur ea, quæ in Summi Pontificis solẽnibus sacris, aliisq; in locis sũt notata. Colloquium vigesimum tertium.

LINVS.

AGè nunc Michaël charissime prosequere ea, quæ in vrbe Roma, totius orbis terræ theatro, aspectu, & cõmemoratione iucunda cum socijs norasti: quò enim plura de ea vrbe audimus, eò maiora desideria, vehemẽtioréq; auiditate excitari in animis nostris experimur. MICHAEL. Prosequar amantissime Line quod inceperi, etsi verba mihi deesse, orationisq; facultatem, siqua fuit in me hactenus,

ctenus, quotidie magis exarescere sentio. Rediturus ergo ad res Romanas, à sanctissimi pontificis summi Gregorij cõmemoratione diuelli nequaquàm possum: cuius tanta fuit erga nos humanitas, vt postridie eius diei, quo ipsum adijmus, nos ipse per nuntiũ inuiserit, & multam vestem sericam, & gausapinam varij generis ad nos miserit, vt nõ solùm nobis indumenta iuxta Romanum vsum, sed etiam famulis, & pedisequis conficeremus: cuius vestis tanta fuit varietas, taleq; pretium, vt non potuerimus summi pontificis, quasi amantissimi parentis liberalitatem, magnificentiamq; erga nos non demirari. Elegimus ergo ex amplissima illa copia eam partem, quæ ad vestes nobis conficiẽdas sufficere videbatur: cùmq; moderatione debita vteremur, ea tamen fuit muneris oblati æstimatio, vt pars illa tantùm à nobis electa, ad tria aureorum millia peruenerit. LEO. Bone Deus! tribusne aureorum millibus æstimata fuit pars illa à vobis accepta? MICHAEL. Ita sanè: nam totum illud, quod nobis oblatum est, decem, aut duodecim aureorum millibus potuit æstimari: nobis tamen visum est non omnino maximi pontificis erga nos benignitatẽ aspernari, & officio potiùs, quàm cupiditati satisfacere. Nec verò ea in re tantũ summus ille parens erga nos magnificẽ se gesit, sed etiam ad patrem præpositum Generalem Societatis mille aureos misit, quos in nobis lautè, splendidèq; tractandis insumeret. LINVS. Ex istis sanè argumentis, alijsq; à te commemoratis non dubiè intelligo, quanta sit in Europeis principibus tũ opulentia, tũ magnificentia, qui tanta largitate dona, ac munera etiã ineos, cũ quib⁹ nulla necessitudine, aut familiaritate cõiuncti sunt, quodãmodo profundunt. MICHAEL. Progrediamur iam ex hoc loco, & quæ vlteriùs gesta, ac notata sunt, explicemus. Inuitauit etiam per eundem nuntium nos summus pontifex, vt postero die in templo religiosorum ex Dominicana familia, cui vulgò Mineruæ nomen est, solenni sacro ibidem faciendo interessemus. Solet enim summus pontifex diem illum, qui Angelicæ Annuntiationi ad beatam Virginem sacer est, in eo cœnobio festum, celebrẽq; agere, tum alijs multis rebus, tum etiam multarum pupillarum virginum cum honestis viris matrimonio contracto, ipsius summi pontificis expensis. Postridie igitur matutino tẽpore, induti Iaponicis vestibus, primi diei ornatui dissimilibus, ad summũ pontificem comitandũ profecti sumus, qui innumera

optima-

optimatum ſacrorum, profanorumq; frequentia ſtipatus, ad Dominicanorum templum eques iter fecit: quo in nobiliſsimo comitatu, ipſius ſummi pontificis iuſſu, nobis honorificentiſsimus locus eſt deſignatus: cùm enim cæteri omnes profani optimates antecederent, nos ad eorum calcem, hoc eſt proximè ad ſummum pontificem, equis ornatiſsimis vehebamur. Summum verò pontificem cardinales omnes bini ſequebantur: cùmq; templum ingrederemur, veſtis ſuæ ſacræ poſteriorem laciniam à Mancio, meæ; honoris cauſa geſtari voluit: & quoniam in eo loco primùm vidimus, quo ritu pontificium ſacrum ſolenniter fiat, non eſt à propoſito alienum, vobis eam rem tam celebrem, tantaq; maieſtate plenam ante oculos breuiter proponere. In primis ergo illud obſeruandum eſt, non quibuſcumq; diebus, ſed quibuſdam feſtiuioribus, ſummo pontifice cum cardinalibus præſente ſolennia ſacra peragi: nam cæteris vel priuatim ſacrificat, vel ſacrificio intereſt. Quoties ergo ſacra pontificia celebrantur, vel in altero ſacri palatij ſacello, vel in templo alio conſecrato Diuo illi, cuius feſtus dies agitur, cardinales omnes ſummum pontificem comitaturi, ad ſacrum palatium confluunt, quos pontem arci Sancti Angeli proximum traijcientes, ex ipſa arce bellicorum tormentorum feſtiuus ſonitus, tibiarum inæquus concentus, tubarum lætus clangor proſequitur. Cùmq; cardinales hi illuſtriſsimi annua vectigalia habeant ampliſsima, maximumq;, & ornatiſsimum non ſolùm familiarũ, ſed etiam antiſtitum, & patriciorum comitatum, mirum eſt, quæ hominum turba, tum temporis ad ſacrum palatium conueniat. Summum ergo pontificem prodeuntem cardinales omnes magna corporis inclinatione venerantur, quos hilari, ac læto vultu accipit, nulli tamen vnquã caput detegens: ſic enim pontificiam maieſtatem decere, iam à multis ſeculis vſus docuit. Cum hoc igitur ornatiſsimo comitatu ſummus pontifex ad eum locum procedit, in quo pontificales, ac ſacras veſtes ſolet induere, quibus ornatus cardinalibus omnibus binis antecedentibus, eorumq; laciniam adminiſtris ſacerdotibus manu tenentibus, ſummus ille pater pontificali ſella ab octo hominibus geſtata vehitur: quòd ſi pedibus iter ingredi vult, duo grauiſsimi cardinales ipſius aſſeclæ ad latera eius procedunt, grauiſsimo omnium dynaſta profano laciniam eius poſt terga ferente, qui plerumq; legatus imperatoris eſſe ſolet: ſummũ verò pontificẽ

ter faciẽtem, quotquot obuij ſunt, flexis genibus ſupplicitèr venerãtur: quibus ille, manu dextera crucis ſigno facto, cæleſtia, ac ſempiterna bona precatur. Cùm ergo ventum eſt ad ſacram aram, vbi ſacrificium peragendum eſt, ſummus antiſtes pontificali ſella deſignata, ad quam ſex gradibus conſcenditur, primus omniũ ſedet: mox duo cardinales diaconi ſedilia hinc, & inde collocata occupant: inferiùs reliqui omnes cardinales in ſcamnis maioribus, ad quæ vno gradu ſcanditur, ſedem obtinent, eo ordine diſpoſiti, vt primùm epiſcopi cardinales, deinde presbyteri, poſteà diaconi in alio ſcamno ſedeant. In remotioribus verò ſubſellijs conſident epiſcopi omnes, ſiue pontifices, qui cardinalium honore nondum ſunt donati: deniq; ſummi pontificis latus implent ſtantes imperatoris, regumq; omnes legati, qui etſi, facto in longius tempus producto, non poſſunt non ita ſtantes ſummoperè delectari, eũ tamẽ locũ in magno honore ducũt, quòd nomine regum, principumq; ſuorum ſummo pontifici ſint veluti ſubſidio, & cuſtodiæ. Sedibus occupatis, antequam ad preces, & ſacrũ accedatur, cardinales omnes ſummo pontifici ſolennem quandam, & horum conuentuum diebus vſurpatam reuerentiam exhibent: cuius modum breuiter, ſic accipite. Surgit in primis cardinalis ille, qui primum locum obtinet, cui etiam ſecundus aſſurgit, & poſt reuerentiam mutuò exhibitam, primus ille, altero ſedente, palla à miniſtro ſacerdote rectè compoſita indutus, & longo ipſius tractu, grauiq; forma magnam maieſtatem præ ſe ferens, ad aram accedens ſupplicitèr corpus inclinat, deinde ad ſummum pontificem conuerſus ſimili corporis inclinatione ipſum ſummiſsè veneratur: poſtmodùm gradus cum magna grauitate conſcẽdens, ad manũ ſummi pontificis exoſculandã ſummiſſo corpore accedit, quam tamen ille ſacra ſub veſte tegit: quo facto eadem maturitate ad locum redit, quem ſecũdus ſequitur, atq; ita omnes eodem ritu, cæremoniarũq; obſeruatione reuerentiam eam ſummo pontifici oſtendunt, quæ ſanè oculis, atq; animis intuentium, deſq; diuinas perpendentium iucundiſsima eſt. Hoc abſoluto actu, diuinarum precum, ſacrificiiq; fit exordium, quibus in rebus quales, & quàm varij ſint ritus, quàm multiplices cæremoniæ, qualis vocũ, inſtrumentorumq; concentus, quantus ſacrarum veſtium ornatus, & quàm incredibile pretium, ex alijs à me ſuperiùs cõmemoratis de celebri-

lebritate rei diuinæ coram regibus factæ, vos ipſi poteſtis conijcere: omnibus enim his ſummus pontifex longè, multòq; ornatiùs, & ſplẽdidiùs vtitur: adeò vt nihil in terris videatur eſſe, quod ita cæleſtem illam ſuauitatem, maieſtatem, bonorumq; omnium affluentiam ſub aſpectum ſubijciat. Quid ego vobis hoc loco agam de ſacra ſummi pontificis ſupellectile, de valorum aureorũ multitudine, de veſtiũ pretioſiſsimarum varietate, atq; æſtimatione: de infinito gemmarũ, atq; vnionum numero, quo omnia hæc opera ſunt referta? Satis ſit dicere, hæc nobis intuentibus ſtupenda viſa fuiſſe: cuius rei non leue erit argumentum, quòd vna tantùm veſtis ſacra olim ſummo pontifici Leoni decimo ab Emanuele felicisſimo Luſitanorum rege dono data, cẽtum aureorũ millibus ſteterit, trecentis verò millibus tiara quædam, quæ capitis ornamentum eſt, triplicem coronam mutuò connexam concinens: quam tamen ſuperat altera quingentis aureorum millibus æſtimata, quarum artificioſum opus multis pretioſiſsimis gemmis, & vnionibus intextum deſcribere longum eſt. LINVS. Quotidie magis Europeam opulentiam admiramur, cuius tam multa argumenta, in dieſq; grauiora à te proferuntur: iamq; animis noſtris infixum eſt penitus, regionem illam omnium & locupletiſsimã, & feliciſsimã eſſe. MICHAEL. Poſtquàm ad eum modum, qui à me propoſitus eſt, ſacrum eo die in eodem beatæ Virginis templo ritè fuit factum, ſolemni etiam pompa matrimonium celebratum eſt inter centum, & ſexaginta pupillas virgines, & homines honeſto loco natos, Sodalitate quadam, quæ ab eiuſdem virginis Annũtiatione nomẽ habet, accõmodatã dotem coniugibus tribuẽte, ipſoq; ſummo pontifice opitulante: quod quotannis facit non ſine maximis expenſis. Cũ verò etiam inter patritios, & graues viros, qui tũc adſunt, ad earundẽ pupillarũ adiumẽtũ eleemoſynæ corrogari ſoleant, ne morẽ illũ nos ignorantes, ideoq; pecuniam in promptu non habentes, omiſſo illo genere officij, vrbanitatis numeros præterire videremur, ſummus põtifex Gregorius propaterna in nos beneuolẽtia pecuniã adduci, nobiſq; clàm dari iuſſit, quã poſtmodùm eleemoſynarũ coactoribus offerremus quod fecimus cõmune illud officium grauium virorum præſtantes. Qua in re ſummi pontificis de noſtris rebus pia, parentiſq; veri ſolicitudo, & cura manifeſtè fuit nobis, cæteriſq; id ſcientibus comperta: cùm rei e-

tiam minimæ ad nos pertinentis in tanta curarum ſui muneris multitudine recordaretur. LEO. Laudo ſanè, & ſummoperè probo paterna viſcera ſummi pontificis tum erga vos metipſos, tum præſertim erga puellas parentibus orbatas, quibus ſi non ita ſubueniret, poſſent profectò in maximum & animi, & famæ periculũ incidere. MICHAEL. Quod attinet ad benignitatem ſummi pontificis, & paſtoris erga commiſſum ſibi gregem, eam meritò potes non ſolùm laudare, ſed admirari: ſi perpendas ingentes ſumptus ab ipſo factos, quibus non modò Romanæ reipublicæ neceſsitatibus diligẽter ſubuenit, ſed etiam multarum aliarum prouinciarum, quæ per orbem ſunt ſparſæ, inopiam ſubleuat, & in varijs miſerijs, & calamitatibus conſtitutis certiſsimam opem ferre ſolet. Id autem vel ex eo maximè intelligetis, quòd ſolus ſummus pontifex Gregorius decimus tertius in diuerſis locis viginti collegia, ſeminariaq; inſtituerit, in quibus ingenioſi, honeſtiq; adoleſcentes educarẽtur. Nec verò Romanus põtifex ſolus hæc pia opera, & vtilia reipublicæ exercet, verùm etiam cardinales, aliiq; præſules, principeſq; Chriſtiani eius exemplum imitati, in pijs operibus exercendis, neceſsitatibuſq; miſerorum ſubleuandis, magnam operam, diligentiamq; collocant. LINVS. Inde abſq; dubio ego conijcio, quantũ differat Chriſtiana reſpũblica ab Ethnicis nationib' fidei luce carentibus, quantumq; in ea charitas, beneuolentiaq; in omnes homines vigeat: quàm ferinam verò, immanemq; naturam habeant illi, qui Chriſtianæ religionis documentis nondum ſunt exculti. MANCIVS. Rectè equidem diſcrimen iſtud colligis: ſicut enim arbores, prima veritate teſtante, aliæ ab aliis fructibus internoſcuntur, bonæ eũdem bonos fructus: deteriores verò inſuaues, aut parum iucundos fructus procreantes: non minùs Chriſtiana religio, pietatis, & miſericordiæ fœtibus, & fructibus decorata, longè multumq; differt ab Ethnica ſuperſtitione, nihil aliud niſi ſentes, ſpinaſq; ſæuitiæ, & crudelitatis proferente. MICHAEL. Pergamus vlteriùs, & quæ reſtant de Roma vrbe, proſequamur: de qua ſiue vetera, ſiue noua agamus, profundum pelagus ingrediemur, ſi velimus omnia ſigillatim perſequi: qualis enim vetus Roma fuerit, ipſæ ædificiorum ruinæ, operumq; veſtigia manifeſtè ſignificant, ad quæ intuenda, ex multis terrarum partibus conuenientes homines, non poſſunt non tali conſpecta magnificentia

obſtu-

obſtupeſcere. Id ipſum teſtatur etiã pleriq; libri, præſertim ille de mirabilibus Romæ conſcriptus, & typus alius celeberrimus veteris vrbis Romæ excuſus, quorũ vtrumq; opus à nobis allatum facilè conſpicere poteſtis. Commendat ſummoperè celebritatem illius veteris vrbis frequentia hominum libris tradita, quorum numerus ad ſexies decies centena millia peruenisſe quondam dicitur: fabricarum verò moles ita fuerunt admirabiles, vt etiam ipſis ſpectatis veſtigijs, incredibiles videantur. His tamen omnibus fidem facit clariſsimæ illius quondam vrbis poteſtas, ac dominatus, quæ maximæ, & præcipuæ orbis terrarũ parti tunc imperabat. Quod verò ad nouam Romã attinet, eſt abſq; dubitatione vna ex maximis, & frequentiſsimis Europę vrbibus, quòd niſi tot hortis, pomarijs, ſeptiſq; abundaret, primum frequẽtiæ, & magnitudinis locum ſine controuerſia teneret: præſenti tamen ſitu, & cultu conſiderato, populi frequentia nulli videtur cedere: ædificiorũ verò magnificentia omnibus antecellit. Nam præter ea, quæ à me ſuperiùs de pontificio palatio, ac Diui Petri templo dicta ſunt, extant etiã alia multa eiuſdem ſummi pontificis palatia, præſertim illud, quod à Diuo Marco nomen habet, operiſq; amplitudine, & pretio magnificentiſsimum eſt. Singuli item cardinales ſuas habent ædes ampliſsimas: præſules præterea cæteri, & regum legati, reliquiq; dynaſtæ, qui Romæ fixam ſedem habent: nec ſolùm domos, habitationi deſtinatas, ſed etiam alias multas voluptati, delicijſq; accõmodatas poſsident. Ad hæc accedit cœnobiorum, parthenonum, templorumq; numerus ſimul cum xenodochijs, noſocomijs, alijſque pietati dedicatis locis, quæ ducentenum numerũ explere dicuntur: noſtro tamen arbitrio, multò plura ſunt. Hæc autem omnia loca quàm ſint magnifica, quali ſupellectili aurea, atq; argentea abundent, quàm pretioſam veſtem habeant, vix à me poteſt explicari. Cùm enim varij dynaſtæ, principes, & cardinales ea opera ſuis ſumptibus extruendã curauerint: mirum eſt, quantum in illis laboris, facultatumq; poſuerint. Quid dicam de his, quæ ad profanũ apparatum pertinent, quæ non minùs mirabilia ſunt? Cùm enim Romam Vrbẽ negotiorũ cauſa ex omnibus Europæ partibus multitudo magna hominum confluat, nemo eſt, qui & frequentiam, & varium apparatum, & multiplicem cultũ poſsit exponere: ſolæ namq; lecticæ curules, quę à duobus, vel quatuor equis vehi ſolent,

ter milleſimũ circiter numerũ explent. Cùm verò nõ ſolùm negotia, ve rùm etiam nuntij ex omnibus terrarum partibus Romam deferantur, nihil per Europam, imò per totum orbem terrarum geritur, quod nõ quàm citiſsimè Romæ cognoſcatur: vnde fit, vt orbis terræ theatrũ dici ſoleat. Cùm deniq; Romanus pontifex tanquam omnium maximus, & ſupremus omnibus ſacerdotum, religioſorumq; hominum ordinibus præſit, quantus ſit eorundem hominum huius notæ numerus, vix credi poteſt: ſex namq; propè millia ſacerdotũ ex ordine Diui Petri, nec multò pauciores, qui regulares appellãtur, Romæ eſſe perhibentur. Quot verò ſint horum hominum domicilia, ex hoc vno teſtimonio poteſtis colligere: nam cùm Societas IESV vix quinquageſimũ ſuæ inſtitutionis annũ habeat, octo integra domicilia Romæ obtinet. LEO. Octo ne poſſunt eſſe vnius tantùm religioſæ familiæ in vna vr be habitacula? MICHAEL. Tot profectò ſunt ea, quæ vobis breuiter enumerabo. Primum domicilium eſt domus ea, quæ profeſſorum dicitur, in qua pater præpoſitus Generalis totius Societatis cum conſiliarijs, aſſiſtentibus, alijſq; nonagenarium numerum explentibus habitat: omneſq; hi ex emendicatis eleemoſynis aluntur. Habet hæc profeſſorum domus egregium quoddam templum, ſumptibus illuſtriſsimi cardinalis Alexandri Farneſij exædificatum, in cuius operis ſtructura cẽtum, & viginti millia aureorum expenſa fuiſſe, conſtat. Eſt quidem hoc templum amplum, vno tantùm tecto coopertum, multis tamen ſacellis ex vtroq; latere decoratum, præſertimq; adyti operoſiſsimo faſtigio, ſiue, vt vocant, cuppula, veſtibuliq; artificioſiſsimo opere exornatum. Poſtquàm autem profecti ſumus, audiuimus, ſacella, quæ in vtroque latere huius templi ſunt, ſingula à ſingulis illuſtriſsimis cardinalibus extruenda ſumi, & curari: quorum cùm ſint ampliſsimæ facultates, facilè intelligi poteſt, quàm præclarum, & magnificum totum illud templi opus ſit euaſurum. Eſt quidem nunc pars illa habitationi patrum deſtinata, ex multis antiquis domibus, vteunq; coniunctis mediocriter coagmentata, ſperant tamen patres fore, vt breui tempore eiuſdẽ illuſtriſsimi cardinalis magnificentia, vel alterius ſimilis principis viri facultatibus, deintegrò ædificetur. Secundum patrum domicilium eſt collegium Romanum, cuius fundator, præcipuusq; inſtaurator fuit ſummus pontifex Gregorius decimus tertius: cùm enim ſanctiſsi-

ſiſſimus ille pontifex intellexiſſet, quanta ex eo collegio fructus vbertas non ſolùm in Romanos ciues, ſed etiam in totã Chriſtianã rempemanaret, cognouiſſetq;, neque reditus eſſe vlla ex parte ſufficientes, nec opus ad habitationem accõmodatũ, vtriq; rei benigniſſimè prouidere conſtituit. Nam quod attinet ad ædificium, centum, & triginta millia aureorũ in ſcholis, & prima habitationis parte ædificanda conſumpſit: vnde colligetis, poſt faſtigium impoſitum opus fore extortius Vrbis ſumptuoſiſſimis. Auxit deinde ita reditus, vt annua huius collegij vectigalia nunc duodecim millib⁹ aureorũ æſtimentur, alanturq; in eo centum, & quinquaginta ex Societate: qui tamen numerus trecentiſimum expleturus eſt, cùm per operis exædificationem licuerit: vt ita facilius ex eo Societatis ſeminario plures aliæ coloniæ per totum orbem proſeminari poſsint, proſeminataq; numero, & auctoritate Sociorum augeri. In eo autem Sociorum, qui nunc collegiũ incolunt, conuictu, illud non parũ eſt tum admirabile, tũ aſpectu iucũdũ, quòd ex tam multarum nationum fratribus numerus ille in vnũ corpus coaleſcat, vt, cùm cardinales aliqui ad prandium inuitantur, ſæpe in priuatis, domeſticiſq; concionibus, quæ in cœnatione haberi ſolent, duodeuiginti, imò & viginti linguarum idiomata audiantur: quæ tamen tota multitudo eo eſt charitatis vinculo cõiuncta, vt planè collegium illud inhabitantis Spiritus ſancti domicilium videatur. Tertia Societatis domus eſt ea, quæ probationis, ſiue tirocinij dicitur, in qua rudes adhuc, & recẽtes ex humana colluuione fratres ad virtutis ſtudiũ, animiq; puritatem exercentur. Erant eo tempore numero nonaginta, præter alios decem antiquiores, qui tum domui, tum negotijs præerant: eius domus fundatrix fuit ducis Pullani vxor, clariſſima fœmina, & ex Aragoniorum regum ſanguine orta, materq; illuſtriſſimi ducis Romaniq; dynaſtæ Marci Antonij Columnæ. Quartum domicilium eſt ea domus, quæ vulgò Pœnitentiaria dicitur, & in ſuburbio iuxta Diui Petri templum ſita eſt, in qua triginta ex Societate alũtur, vt variorum hominum Romam tanquam ſacrorum fontem, criminum expiandorum cauſa confluentium, confeſsiones audiant, & grauiſſimis animorũ vulneribus opportunis remedijs medeãtur: quod tanquam magni momenti munus ſummus pontifex Pius quintus Societati commiſit, eiuſq; domus vectigalia Gregorius decimus tertius

magnopere auxit. Quintum Societatis domicilium Romæ est collegium, quod Germanicum dicitur, quod tempore Iulij tertij pontificis maximi inductum, & cura patris Ignatij primi Societatis fundatoris in stitutum est, vt in eo Germanici adolescentes educarentur, ad Germaniam prouinciam magnopere hoc tempore laborantem, bonis institutis ex ipsa prope pernicie vindicandam, ad melioremq; frugem restituendam: cuius rei cùm non pauca initia vidisset, expertusq; fuisset Gregorius decimus tertius, vectigalia viginti millium aureorum illi collegio addidit: ex quibus nunc ducenti conuictores ibi viuũt, & viginti quinq; ex Societate, qui vniuersam illam familiam administrant, & ex tota Germania lectissimos adolescentes, vt ibidem educentur, euocant, posteaq; bonis artibus, moribusq; instructos à multis, varijsque illius regionis pontificibus ad multa, honorificaq; munera inuitatos in patriam cum summa laude remittunt. Sexta domus est seminarium Romanum, ex decreto Tridentini concilij, summiq; pontificis autoritate institutũ, ad bonum, vtilitatemq; diœcesis Romanæ: quod similiter in alijs Europæ diœcesibus seruatur, adolescentibus in cõmunibus seminarijs ad pietatem, bonarumq; artium studium eruditis. In hoc autem Romano seminario sexaginta tum tẽporis erant, qui ibidem educabantur, matura ætate sacris initiandi, præter multos alios extra hunc numerũ, quibus, precib⁹, rogatuq; optimatum Romanorũ ibidem conuiuere, non tamen ex communibus seminarij vectigalibus, sed ex proprijs, est permissum. Hi eo tempore centum, & quinquaginta numerum explebant. Septima Societatis domus in ea vrbe est collegium Anglicanum, Anglici regni vtilitati, & commodo dedicatum. Est enim Anglia insula quædam valdè nobilis, in Oceano è regione Galliæ ad Septentrionem sita, amplissimum quoddam regnum efficiens: cuius regina prauis hæreticorum erroribus imbuta, populum illum magna ex parte in eandem perniciem traxit. Cùm ergo summus põtifex, sacra in ea insula perturbata esse, intelligeret, iuuenes Anglicanos, religionis integritate, ingenioq; præstãtes, in hoc seminario educari voluit, vt bonis artibus, moribusq; imbuti, patriã repetentes, è ciuiũ suorũ animis errores extirparẽt, vitamq; suam, pro Dei gloria, Christianaq; veritate tuẽda, quibuscũq; periculis obijcerẽt, id quod ne ipsa iam aliqui præstiterunt, ante oculos habentes insigne, recens; exem-

exemplum patris Edmundi Campiani, aliorumq; ex Societate, qui nuper, sanguine in ea prouincia pro Christo fuso, non solùm sibi immortalem gloriam pepererunt, sed Societatem ipsam summoperè illustrarunt. Assignauit igitur summus pontifex locũ huic seminario in æde Diui Stephani rotundi, eidēq; sex millia aurerum annua donauit, in quo iam tunc præter eos, qui ex Societate seminarium curabant, quinquaginta conuictores numerabantur. Octaua, & vltima domus est collegium Maronitarum, qui partim Græci, partim Chaldæi in terris Turcarũ ditioni subiectis, ex Christianis tamẽ natcẽtes, Romam vrbem, veritatis melius cognoscendæ studio se conferre solẽt, & in eo seminario nutriti, magnã vtilitatem suæ nationis hominibus importare possunt. Hos etiam summus pontifex Societatis vigilantiæ, curæq; commisit, quò maiores progressus in bonis artibus, moribusq; facerent. LEO. Magna quidem est, vt modò assequor, Societatis authoritas apud summos pontifices, qui res tam varias, tantique momenti patrũ curæ, gubernationiq; committunt. MICHAEL. Quid? si ipsos summos pontifices Gregorium decimũ tertium, & Xistum V. Societatẽ vnã ex Christianæ Reipublicæ colũnis, & firmamẽtis appellantes audiuisses. LINVS. Felix Roma vrbs, cui tot rebus sacris, diuinisq; ornatæ, ille etiam felicitatis cumulus accessit, quòd tã multis patrum domicilijs potiatur: nos verò longè deterioris conditionis, quibus in multis oppidis, vel pagis vix vnũ aliquando patrem habere fas sit. MICHAEL. Non est ita misera nostra conditio iudicanda, imò potius felix, cùm centum, & quinquaginta patribus ex Societate, per totam Iaponiam dispersis fruamur, speremusq; fore, vt numerus hic in dies magis augeatur, patrumq; solicitudine tota hæc nostra regio, omnesq; eius populi Christianã religionem amplectantur, imò & amplissimum Sinarum regnum, Christianorum regnorum numero adiungatur. Sed vt ad narrationẽ redeam, omnes has Societatis domos nos ipsi percurrimus, in quibus quàm humaniter excepti, quàm honorifice habiti, quàm lautè diuersati simus, non est quòd sigillatim dicam. Peculiariter tamen, quasi trabali clauo fixum est in animis nostris beneficium illud, quod ex hospitio domus professorũ accepimus, eiusq; religiosissimi domicilij memoria, in quo tum à reuerendo patre præposito Generali, tum à cæteris grauissimis Societatis patribus, tam a-

manter, beneuolèq; nobiſcum actum eſt, vt nunquàm è memoria excidat. Eſt hæc domus profeſsorum, cæterorum omniũ collegiorũ, domuumq; Societatis parens, & veluti quoddam caput, vnde in reliqua Societatis mẽbra vis tota, moderatioq; deriuatur. Hanc primam fundauit ſanctiſsimus pater Ignatius, Societatis primus author, & inſtitutor: in eaque, poſt ſtabilitam, confirmatamque Societatem, ſedecim annos cum ſumma laude ſanctitatis, & religionis viuens, ſanctiſsimèque extremum diem agens, virtutum ſuarum ad æternam memoriã preſſa veſtigia reliquit. In eadem reconditum eſt eius ſanctum cadauer, & in ſacello maximo mira patrum iucunditate ſeruatum. Eadem domus certa eſt ſedes præpoſitorum Generalium, qui mortis caſu interueniente, mutuò ſibi ſuccedentes, Societatem hactenus egregiè adminiſtrarunt. Fuit autem ſecundus poſt Ignatium, pater Iacobus Lainez, vir non ſolùm virtute, ſed etiam ſapientia inſignis. Tertius pater Franciſcus Borgia, quem ſuperiùs dixi, ad præclaram nobilitatem, ſummam etiam ſanctitatem adiunxiſſe. Quartus Pater Euerardus Mercurianus, in gubernanda Societate, rebuſq; ad eius inſtitutum pertinẽtibus componendis, prudentiæ ſingularis. Quintus deniq; pater Claudius Aquauiua, in quo reliquorum omnium dotes ſimul coniunctæ maximè enitẽt: qui etiam nos Romã petentes beneuolẽtiſsimè excepit, & paterno amore complexus eſt. Ibidem locum habent quatuor illi conſiliarij, qui Aſsiſtentes communi vocabulo appellantur, cum quibus res omnes magni ponderis, & momenti præpoſitus Generalis communicat, maturèque adhibito conſilio, quid ſit agendũ, decernit. In hac habẽtur comitia totius Societatis, præpoſito Generali diem ſuum obeunte, confluentibus eò ex ſingulis Europæ prouincijs præpoſitis prouincialibus, cum duobus electoribus. Cùmque in Europa Societatis prouinciæ ſint vndeuiginti, facile eſt videre, quàm florens profeſſorum patrum multitudo ad eam electionem conueniat. Ad eandem domum tertio quoq; anno concurrunt omnium prouinciarum procuratores, & conuentu habito cum patre præpoſito Generali, de rebus omnibus dubijs, ac difficilibus diſſerunt. Cùm autem Societatis mos ſit, vt ſingulorum patrum, fratrumque cum præpoſitis, præſertim Generali, tanquam membrorum cum capite maxima ſit communio, idque per crebras literas, nunciosq; fiat: mirũ eſt, quàm frequentes epiſtolæ

ex tota Societate domum hanc deferantur: quanta sit negotiorũ multitudo, quanta in illis expediendis diligentia cum tranquillitate coniuncta, quàm multæ literæ in varias prouincias scribantur, rescribanturq;. Ad quarum omnium rerum prompt:m expeditionẽ, patri præposito Generali est à secretis quidam alius exercitatissimus pater, qui res omnes ad tabularium pertinentes curat, & cum alijs socijs, epistolis omnibus conscribẽdis præest, ita vt in nullo negotio mora, procrastinatio ve reperiatur. Hinc fit, vt omniũ, quæ in Societate geruntur, præpositus Generalis exploratam habeat cognitionẽ, nulliusq; vel tyronis etiam recèns in Societatem cooptati, vel nomen, vel naturæ, virtutisq; notitia eum prætereat: tam deniq; in rebus omnibus remotissimis, quales sunt nostræ Iaponicæ, perspiciendis, pertractandisq; sit versatus, quasi cunctis præsens adesset. Quam ob causam non immeritò domus illius ordinem, & administrationem sumus admirati. Nec verò solùm eam domum incolunt, qui communem hanc Societatis gubernationem tractant, sed etiam multi alii doctissimi, religiosissimiq; patres, qui confessionibus audiendis, concionibus habendis, sacris literis ex suggestu explicandis, calamitosorũ deniq; hominum miserijs leuandis, magnam populo Romano vtilitatem important: ideoq; apud ipsum summum pontificem, cardinales, Romanos dynastas, cæterosq; omnes in magna sunt gratia, & veneratione. Magnam etiam nobis iucunditatem attulit Romani collegij aspectus, tum propter fabricæ magnitudinẽ, tũ propter collegarũ concordẽ illã multitudinẽ, tũ deniq; propter bonarũ artiũ multiplicẽ institutionẽ: quæ omnia tã multos cõuictores postulat, vt in collegio illo, cùm perfectũ fuerit, trecentos, vt dixi, ex Societate alendos esse audierimus. Nam præterquàm quòd sit illud præcipuũ Societatis seminariũ, traduntur discipulis tam multæ artes, vt magnus etiam magistrorum numerus requiratur: præter linguam enim latinam, cuius studiosi in varias classes distribuũtur, Rhetoricæ, Dialecticæ, Philosophiæ, Mathematicarum disciplinarum, linguæ Græcæ, & Hæbraicæ præcepta exponuntur: explicatur etiam Sacra scriptura, agitur de Controuersijs contra hæreticos, deniq; tota illa doctrina, quæ Casuum conscientiæ dicitur, & moralem Philosophiam, bonamq; vtriusq; iuris partem continet, vna cum speculatrice Theologia appositè emueleatur. Auditores autẽ, harum bonarũ artiũ studiosi, ad duo millia ferè numerantur: inter quos præter alias hone-

ſtas exercitationes, eſt quædam fraterna inſtituta Sodalitas, quæ à Beatæ Virginis Annunciatione nomen habet, & multis priuilegijs à ſummo pontifice eſt donata, multoſq; iam ex ſe nó ſolũ egregios parochos, ſed etiam pontifices protulit, eamq; multæ aliæ per alias Academias inſtitutæ, rectiſq; operibus intentæ imitantur. De fabrica illius collegij tantùm illud dicam, nobis ſummoperè placuiſſe inter alia, quoddam atriũ ampliſsimũ, in quo ſcholaſticæ actiones habentur: cuius parietes ornati ſunt egregijs picturis eorũ omniũ collegiorũ, & ſeminariorum, quæ ſanctiſsimus pontifex Gregorius decimus tertius inſtituit, eiuſq; tam præclarè meriti fundatoris memoriã hoc egregio monimẽto conſeruant: inter quæ peculiari iucũditate nos affecit aſpectus noſtrorũ Iaponenſiũ, quorũ effigiem ibi depictam recognouimus. Quid ego vobis dicam de alijs, quibus vrbs illa clariſsima exornatur? quæ infinitum erit numerare, præſertim ſi de ſanctorum reliquijs agam. Nam cũ Roma ſit tanquã caput Chriſtianæ religionis, ſedeſq; ſummi pontificis à Deo præſtituta, voluit etiam, vt celebratiſsimis quibuſq; Chriſti, ſanctorumque reliquijs exornaretur. Conduxit item ad hoc ſummorum pontificum diligentia, qui omnia Chriſtianæ religionis monumenta ad illud orbis terræ illuſtriſsimum theatrum diligẽtiſsimè cõquiſita comportarunt: adeoque ſemper vrbs illa his diuitijs abundauit, vt in omnes alias ferè vrbes ex hoc theſauro multa, pretioſiſsimaq; dona depromptа diſtribuerit, & adhuc ampliſsimum peculium conſeruet. Inprimis enim quod attinet ad Chriſti inſignia, Romæ eſt ſanctum illud Præſæpe, quod Chriſtus ex Beata Virgine natus diuino corpore ſuo ſacrauit: Pannicului, aliqui, quibus primũ à Sanctiſsima matre contectus eſt: Subucula, quam induit: Columna, cui incumbens in templo Hieroſolymitano cõcionatus eſt: in qua talis, ac tãta diuinitus data vis adhuc permanet, vt omnes prauo aliquo ſpiritu arrepti, eius tactu facilè liberentur. In eadem vrbe eſt Menſa illa, in qua Chriſtus poſtremam cœnam cum Apoſtolis egit: Linteum, quo eorum pedes abluit: vnus ex triginta Denarijs, quorum cupiditate ductus impius Iudas, Deum magiſtrumq; ſuum prodidit: Columna, ad quam religatus, pro nobis flagellis cæſus eſt: nonnullæ Spinæ ex illo aſpero diademate, quod in eius ſanctiſsimum caput fuit inſertum: Purpura, quæ eius ſanguine fuit reſperſa: Arundo, qua eius venerandum caput fuit percuſ-

percuſſum: ſcalæ viginti octo graduum, quibus ad atrium Pontij Pilati aſcenditur, ſanguineis guttis ex ſacro eius corpore decidentibus interlitæ: Sudarium, quo vultus eius ſanguine madefacti imago expreſſa eſt: multæ partes illius ſacri Ligni, ex quo pro nobis pependit: vnus ex Clauis, quibus tranſfixus fuit: Inſcriptio illa ex literis Hebræis, Græcis, & Latinis ad crucis verticem appoſita, quæ illum regem eſſe Iudæorum teſtabatur: Spongia, quæ felle, & aceto imbuta, ſugenda illi oblata eſt: Ferrum haſtæ, qua ſacrum pectus fuit tranſfoſſum: fragmenta alia ex ſacro Sepulchro, quod ſanctiſsimum Chriſti cadauer recepit: Columna in duas partes diffracta, cùm Chriſtus in cruce extremũ ſpiritum profunderet: quæ omnes cruciatuum acerbiſsimorum reliquiæ, pretioſáq; noſtræ ſalutis pignora in varijs templis cum maxima veneratione cuſtodiuntur, & à nobis, non ſine ſumma animorum commotione, ſunt conſpecta. Erga quæ omnia tanta eſt Chriſtianorum pietas, vt Scalarum ſanctarum, de quibus dixi, cùm ex duriſsimo marmore ſint confectæ, gradus magna ex parte ſint exeſi: tanta eſt genibus flexis aſcendentium aſſidua multitudo! Ibi etiam videre licet guttam ſanguinis, quæ ferreis clathris tecta eſt, in qua digiti tam frequenter imprimuntur, vt in ipſo lapide foramen non mediocre ſit effectum, gutta tamen ſanguinis ſuum adhuc colorem conſeruante. Quid dicam de Sanctorum reliquijs, quæ magnoperè etiam eandem vrbem nobilitant? in ea enim pie, reuerenterq; cuſtodiuntur ſacra cadauera Apoſtolorum Petri, & Pauli, quorum venerabilibus truncis, & capitibus, eorundem Apoſtolorum, & Diui Ioannis Lateranenſis templa decorantur. Nec minùs celebria ſunt ea loca, in quibus ipſi glorioſam mortem occubuerunt: quo enim loco Diuus Petrus in crucem ſublatus eſt, templum extat Franciſcanæ familiæ, eidem Apoſtolo dedicatũ, quod a mõte, in quo ſitũ eſt, Mõtorij nomẽ accepit. Quo verò Diuus Paulus iugulatus eſt, vltra egregiũ templum, res illi celebres fontes cernuntur, qui ex tribus locis capite ipſius mirabiliter ſaliente tactis, adhuc profluunt: quorum aquam membris, corporibuſq; ſalutarẽ nos ipſi hauſimus, nobiſcumq; detulimus. Ibidem ſunt corpora Apoſtolorum Simonis, & Iudæ, Philippi, Iacobi minoris, & Bartholomæi: capita Apoſtolorum Andreæ, Iacobi maioris, & Lucæ Euangelici ſcriptoris, cadauera etiã ſanctorũ Stephani protomartyris, Laurentij, & Timothei. Diuorũ

item Leonis primi, & Gregorij magni ſummorum pontificum: nec non Diui Hieronymi, & Diui Ioannis Chryſoſtomi, aliorumq; ſanctiſsimorum pontificum, Chriſtianæq; veritatis profeſſorum. Sed quid de martyribus loquar? Cùm enim Roma vrbs quondam caput imperij Romani fuerit, in eaq; imperatores, nondum Ethnica ſuperſtitione relicta, ſemper habitauerint, & plerique ex illis grauiter Chriſtianum nomen fuerint inſecuti: mirũ eſt, quas ſtrages ediderint, quantaq; adhuc extẽt Ethnicæ crudelitatis, Chriſtianæq; fortitudinis teſtimonia. Hæc ſunt ſacra cadauera, oſſaq; ſiue integra, ſiue etiã in partes diuiſa multorum martyrum: qui vel in rogum coniecti, vel gladijs contrucidati, vel vncis ferreis dilaniati, vel deniq; alijs tormentorum generibus affecti, Chriſto vitas, animoſq; reddiderunt. Teſtantur idem multa loca ipſorum martyrum, ſacro ſanguine adhuc perfuſa, præſertim putei quidam, in quos Chriſtiani viri, & fœminæ martyrum ipſorum cadauera, & ſanguinem, quem colligere poterant, venerationis cauſa recondebant. Teſtificantur deniq; idem adhuc extantes cryptæ, ad quas ſanctiſsimi viri confugientes, conſpectumq; tyrannorum vitantes, in latebris, & ſqualore diu pro Chriſto verſabantur. Ex hac reliquiarũ multitudine in ciuium Romanorum, externorumq; animos mira pietas redundat. Cùm enim tam multa ſint templa, diuinarumq; rerum ſacraria, tanta eſt hæc religioſa loca frequentantium multitudo, præſertim cùm populo videnda oſtenduntur, vt eam ipſamet templa vix capiant. Eadem religio obſeruatur erga cereas illas imagines diuini Agni, ideſt, Chriſti formam præ ſe ferentes, quæ ſummo pontifice pontificatũ ineunte, & poſteà ſeptimo quoq; anno confectæ, ab omnibus diligenter quæruntur, & appetuntur. Idem intelligite de globis ſacris, ſiue piacularibus, qui etſi ferè quotidie à ſummo pontifice inſtituuntur, mirã tamen ſemper auiditate poſtulantur. His omnibus accedit innumera quædam miraculorũ editio, quæ Deus Optimus Maximus tum ſacris reliquijs adhibita diuina vi, tum etiam Chriſtianorum pietatem, religionemq; intuens ſæpe ſpectanda, & intuenda præbet, quibus pleni ſunt libri, plenæ populorum voces, plena Chriſtiana reſpublica. Quo fit, vt hæc à me commemorata, adiuncta ſummi pontificis, cardinalium, aliorumq; præſulum, & religioſorum virorum, quibus Roma referta eſt, authoritate, vitaq; ſanctimonia, Chriſtianã veritatem certiſsimè conteſtẽ

tur

tur, noſq; eam tam multarũ rerũ aſpectu firmiſsimè in animis inſitã, in patriã referamus. LEO. O vos felices, qui nõ ſolùm oculis iſta vidẽtes, tãtã idei firmitatẽ eſtis conſecuti, ſed efficitis, vt ex veſtra auditione in mẽtibus etiã noſtris multò vehementiùs roboretur. MICHAEL. Ita ſanè eſt: ſed quid nũc agã de ſeptẽ illis tẽplis celebratiſsimis, quæ, cauſa veniæ peccatorũ conſequendæ, ab õnibus percurri ſolent? Sũt autẽ D. Petro. D. Paulo. D. Ioanni Lateranenſi, Sanctæ Mariæ maiori, Sãcto Laurẽtio extra muros, Sãcto Sebaſtiano, Sãctæ cruci Hyeroſolimitanæ conſecrata: quæ omnia dum percurrimus, vixi dici poteſt, qua beneuolentia à ſacerdotib⁹, & religioſis illa incolentib⁹, ſimus habiti. His adiũgite tẽplũ aliud celeberrimũ Sãctæ Mariæ rotũdæ, quod cùm ſit ampliſsimum, centum videlicet, & nonaginta palmos latum, altumq;, fornice quodam perfecti ſemicirculi formã habẽte, operitur, in cuius ſummo culmine ſphæra quædam eſt ſpecularis, qua lumẽ per totum templũ diffunditur. Huius templi ſacella, araq; elegantiſsimis columnis ſunt exornatæ, parietes verò multis, ac pretioſis lapidib⁹ varij generis diſtincti, tectũ olim ex argenteis tegulis, nunc ex piũbeis optimè compoſitum: veſtibulum deniq; tredecim columnis ſingulis ex integro lapide, ea craſsitudine, vt ambitus decem, & octo palmos contineat, altitudine verò admirabili, trabibus item ingẽtibus ex ære inaurato confectis ſummoperè decoratum: vt omittam fores æneas, pulcherrimoq; opere elaboratas, aliaq; ipſius templi aream valde nobilitantia. Quorſum vobis miranda proſequar opera profana, atque antiqua, nimirum Coliſæum, in quo olim ſpectacula populo exhiberi ſolebant, deinde thermas, tũ Dioclitianas, tum etiam Antonianas, vbi calida aqua, ex lõgiſsimo interuallo aquæ ductibus operoſiſsimis deducta, corpora olim abluebãtur: præterea colũnas Antonini Pij, Traianiq; imperatorũ, ad quarũ alteram centũ, & ſeptuaginta ſex pedes altam, interiori cochlea centũ, & quadraginta graduũ aſcenditur: & ne quid luminis in ea deſiderari poſsit, centũ, & ſex feneſtris illud recipit, & circũ circa figuris, victorias, & triumphos Antonini imperatoris ſignificantibus illuſtratur. Altera verò alta eſt centũ, & viginti tres pedes, quæ, cochlea centũ, & quindecim graduũ, feneſtris quadraginta quinq; ſimulq; victorijs, & triũphis imperatoris Traiani ibi depictis, eſt inſignita. Quid vltrà commemorẽ obeliſcũ, ſiue acum Cæſaris, quæ vnus

tantùm

tantùm lapis eſt in pyramidis formã ſuperioribus columnis altitudine nequaquàm cedens, & in globo quodam ſupremo cineres Iulij Caſaris continens: quã tamen acũ nunc ſummus pontifex Xiſtus quintus in aream templi Diui Petri magnis ſumptibus tranſtulit, & reiectis Cæſaris cineribus, in eius ſummo culmine crucem collocauit. Quorſum etiã immorer in deſcribẽda vobis arce ſancti Angeli? in quaeſt opus illud valde celebre, nomine moles Adriani, totũ quidẽ ſolidũ, & ex lapide, & calce cõpactũ: in quo olim Adriani imperatoris cineres ſeruabãtur: cuius ſupremũ culmen claudebatur pinu quadã ænea ad mirabilis magnitudinis, multis ſui generis nucibus abundante: quarũ vnicam adhuc in area Diui Petri vidimus, altitudine vlnam cum dimidiata complectẽtem: vnde licet colligere, quanta ipſius arboris fuerit magnitudo. In hoc igitur loco, vbi anteà ſola moles Adriani erat ſita, exædificata eſt arx hæc Archangelo Michaëli dedicata, quæ potiſſimum eſt ſacri palatij propugnaculum, multiſq; nobilibus domiciliis, & receptaculis abundat: eiq; coniungitur per quandam pergulam longiſſimam, quartam leucæ partẽ continentem, quæ egregio opere elaborata, ad ſacrum vſque palatiũ protenditur. His, atq; alijs operibus ſigillatim cõmemorandis, ac deſcribendis, non eſt quòd lõgiùs orationem proferam, cùm Roma vrbs infinitis propè palatijs, magnificiſque ædibus ſit ornata. Nec ſolùm ipſa Romana mœnia his ædificijs nobilitantur, verùm etiam totus Romanus pagus alijs voluptati, animorumq; relaxationi deſtinatis locis eſt veluti diſtinctus: quorum vnuſquiſq; meritò cum ſuperioribus à me relatis conferri poteſt: qualis eſt villa Medicei cardinalis, rurſuſque alia cardinalis Aleſtini, plureſq; huiuſmodi tanto ingenio, artificioque compoſitæ, vt in vna earum, quæ à cardinali Ferrarienſi Tyburi exædificata fuit, inſtrumentum muſicum, vulgò organum dictum, aquæ vi ita ingeniosè pulſatum audierimus, quaſi peritiſsimus pulſandi artifex adeſſet, accedẽte Luſciniæ, ſiue Philomelæ ſuauiſsimo cantu, aquæ etiã artificioſo fluxu edito: vt prætereã alia multa, atq; admirabilia fontiũ opera, quæ in eadem villa vidimus, præſertim varios auiũ garritus primùm quidẽ vehementer ſublatos, deinde, aue nocturna interueniẽte, cõpreſſos, & rurſus abeũte, repetitos. Sed ſit ſatis: nec enim Romanę deliciæ facilè oratiõne explicari, aut ab abſentib⁹ pro dignitate cõcipi poſſunt.

De rebus adhuc Romæ actis, vsque ad excessum è vita Pontificis Maximi Gregorij. XIIJ. Colloquium vigesimum quartum.

LEO.

DIxisti hactenus Michaël de operibus Romanis: nunc quid aliud Romæ, quàdiu ibi fuistis, egeritis, ex te audire non minùs auemus, nec enim parui momenti id esse credendum est. MICHAEL. Quidquid Romæ actũ fuit, dignissimum profectò est, quod & memoriæ seruetur, & oratione commendetur. Prosequar ergo illud non minùs studiosè, & ad Gregorium XIIJ. summum pontificem, cuius ego memoriæ, & mentione summoperè recreor, narrationem rursus conferam: nec enim è mente potest excidere plusquã paterna illa charitas, quã nos, quandiu vixit, Romæ commorantes complexus est. Ille nos per nuntios suos quotidie inuisit, frequentibusq; muneribus cumulauit: Ille de Iuliano è morbo decumbente tam solicitus fuit, vt sex peritissimis medicis eius curationem commiserit, bisq; quotidie ab illis inuisi iusserit: ille denique iam in extremo spiritu, velut parens filiorũ potiùs, quàm sui memor, valeret ne Iulianus, amantissimè interrogauit. Quid plura? cùm sanctissimus ille pontifex decimo octauo post nostrum Romam accessum die, breui morbo, & senectute confectus, vitam naturæ, animum Deo redderet, per multas partes fama percrebuit, summum pontificem, præ lætitia ex nostro aduentu percepta, animum efflasse. Quod dictum, etsi vulgare potius, quàm verum fuit, cũ decem, & octo ferè dies post nostrum Romam ingressum, sanus, integerq; fuerit: non paruam tamen occasionem illum rumorem spargendi beneuolentiæ signa, quæ quotidie in nos præstitit, populo vniuerso præbuerunt. Post festum igitur diem Annuntiationis Angelicæ

ſcæ ad beatam Virginem, rurſus idem ſummus pontifex ad diem tertium Calendas Aprilis in templo Diui Petri ſolennem agendum, nos inuitari iuſſit: cùmq; ad ipſum comitandũ accedentes nouis veſtibus more Romano, ex gauſapino nigro confectis, auroq; apprimè exornatis, nos indutos videret, ſũmoperè lætatus eſt, familiariterq; addidit, veſtes eas nos magnoperè decere, paſchali tamẽ tẽpore adueniète, alijs feſtiuioribus, & pretioſioribꝰ eſſe cõmutandas. Tunc ad Diui Petri templũ cũ cardinalũ frequentia illũ comitati ſumus, eũ locũ tenẽtes, quẽ ſuperiùs dixi, reuertentẽq; in palatiũ proſecuti, ad intima ipſius penetralia, quę alijs externis nequaquàm patent, ſumus benęuolẽtiſsimè intro ducti. Rurſus ſequẽti die dominico, qui fuit pridie Calẽdas Aprilis, & quartus quadragenarij ieiunij, ſummũ pontificem ad ſacellũ ſumus comitati: eo nanq; die de more antiquo roſam auream ſacrare, & ad aliquam Chriſtianam reginam, aut principem dono mittere ſolet. Tunc ergo ſacro, cæremonijſq; ſacris eo die vſurpari ſolitis interfuimus, vidimuſq; nouum ſenatorem Romanum, hoc eſt, ſupremum magiſtratum cum conſeruatoribus, alijſq; minoribus magiſtratibus fidelitatis, obſequijq; iureiurando coram ſummo pontifice, ex antiquo vſu ſe adigentem. Vt enim ſuperiùs dixi, Romæ vrbis, aliarumq; multarum non ſolùm ſacram, ſed etiam profanam poteſtatem, & iuriſdictionem ſummus pontifex obtinet. Diem Iouis ſequentẽ, qui fuit Nonis Aprilis, ſummus pontifex ad familiare colloquium nobis habẽdum deſignauit: nec enim ſuperioribus diebus, propter rei diuinæ celebritatem, tempus vacuum ad id fuerat. In eo ergo priuato colloquio multa peramanter, & familiariter egit, de Iaponicisq; rebus complura interrogauit, quiſnam ſcilicet eſſet Chriſtianorũ numerus in Iaponicis inſulis? quot templa Deo, Diuiſq; conſecrata, & exædificata eſſent? quot Europei patres ibi viuerent? quis modus eſſet diuinæ rei faciẽdæ? quâ ratione vberior quotidie fructus ſperari poſſet? aliaq; ſimilia, ad quæ ſingula cùm reſpõſum redderemus, ille tanquam totius Chriſtiani populi communis parens, geſtienti quadam lætitia exultabat. Eodem die ei munera aliqua è noſtra patria delata, tanquam honoris pignora obtulimus, & inter ea, tabulas quaſdam patri Viſitatori à Nobunanga dono datas, in quibus magnificentiſsima mœnia Anzuchiamæ vrbis, ab eodem Nobunanga conditæ, depicta continebantur. Ille his

oblatis

oblatis muneribus, etsi tanta maiestate longè, nullum q; inferioribus, se summoperè lætari significauit: statimq; ad intima palatij cubicula, musæumq; suum, hoc est, locum literario studio dedicatū, benignissimè nos deduxit. Erat locus ille sanè aspectu dignissimus, multis, variisque figuris ingeniosissimè depictis, undequaq; distinctus, nullis librorum voluminibus pretiosissimè compositis ornatus, denique eam magnificentiam præ se ferebat, quæ talem maiestatē, amplitudinemq; decebat. Inde ad pergulam quandam, Galeriam nomine, delatu sumus, qua summo pontifici priuatus est transitus ad amœnissimum hortū, nomine Beluederium, à bello scilicet, & egregio aspectu ita nominatum. Quis poterit verbis explicare huius pergulæ magnificentiā, emblemata multiplicia parietibus appensa, parietesq; ipsos auro, varijsque coloribus vestitos? Vos ipsi ex supremi pontificis potestate id, quod à me reticetur, animis inuestigate. In ea pergula tantoperè ornata, iussit summus pontifex collocari tabulas illas, quibus Anzuchiana descriptio erat appicta, vt ostenderet, munus nostrū inter non contemnenda numerari. Post hæc nos ad se redeuntes rogauit, quibusnam Romanis, & Europeis rebus in patriā reportādis maximè delectaremur, iussitq; vt earum omnium rerum indicem scriptis mandatum ipsi traderemus: volebat scilicet summus ille parens in omnibus, tanquam charissimis filijs morigerari, fecissetq; proptissimè, nisi inopinata mors anteuertisset. Sequenti die Dominico etiā sacro, coram ipso summo pontifice solenniter facto interfumus, tunc & aliàs sæpe inter legatos ad latera nos duo Mancius, & ego stantes, reliquis socijs, altero quidem videlicet Iuliano adhuc ægrotante, altero verò, nimirum Martino ad pedes pontificis in apposito loco sedente. LEO. Quare tunc ille sedebat, vobis stantibus? MICHAEL. Quoniam legatorum proprium est (quo munere nos fungebamur) summo pontifici ad latera commodo assistere, instar fidelissimorum custodum: quapropter ille locus, ac situs etsi laboriosior, est tamen honorificentior. Eo toto tempore, de quo facta est hactenus à me mentio, vos ipsi animo concipere potestis, quoties illustrissimos cardinales, alios q; Romanos optimates inuisere nobis necesse fuerit, eosq; ad nos crebrò venientes, frequenter excipere. Ne tamen hæc frequens concursatio, & ad conuiuia sæpe repetita inuitatio saluti nostræ officeret, prouidit summus pontifex, quasi vigilantissimus

patris, præcipiens ne ad conuiuium aliquod, nisi ex eius præscripto, ire
nobis liceret. quod tamen ipse legatis regum vehementer postulanti-
bus, non potuit non concedere: ac, ita singulis eorum conuiuijs appa
ratissime extructis interfuimus, rogatiq; non iniq; ipsorum regū, & prin
cipum fuimus, vt ad patriam redeuntes, ipsorum regna, regiasq; inui-
seremus. Postularunt hoc, vehementer; contenderunt augustissimi
imperatoris, Christianissimi Galliæ regis, illustrissimiq; Allobrogū du-
cis legati, quibus tamē propter iteru valde iter satis fieri non potuit.
Venetæ vero Reipublicæ legato idem etiā effligitanti, propter eius ur-
bis, & Reipublicæ propinquitatem, negare, saluo officio, non potuimus:
de quo itinere in progressu mihi est agendum. Illud dein; ne tacuisse
dicam, nos ab omnibus Romanis optimatibus honorificentissime fuis-
se aditos, peculiarique amoris erga nos significatione deuinctos fuisse
illustrissimis viris Iacobo Bō compagno Soræ, & Paulo Iordano Vrsino
Brigiani inclytis ducibus. Inter legatos autem magnam sui nobis me-
moriam reliquit Oliueti comes illustrissimus, nomine Philippi regis
Hispaniæ legatum gerens, qui crebrò nos adiens, & munera mittens,
omniq; officij genere nos prosequens; satis, superq; catholici regis
personam gessit, & erga recentes Christianæ reipubhcæ fœtus amorē,
beneuolentiamq; ostendit. Quoniam autem hactenus de priuatis per-
sonis, nobilesq; agentibus, mentionem feci, non iniucundum erit, pu-
blicam etiam Senatus, populiq; Romani gratulationem, miraq; amoris
significationem referre. Paucis elapsis diebus, post nostrum Romā
ingressum, supremus magistratus, qui Senator dicitur, summamq; digni-
tatem in ea Republica obtinet, cum tribus alijs, qui conseruatores ap-
pellantur, cæteriq; omnibus grauia munera in Republica gerentibus,
nos adijt: omnesq; ijs insignibus, eaq; pompa, & fastu nos couenerūt,
quo in publicis actibus vti solent. Nam Senator longissima quadā pal
la, Phrygio opere ex auro contexta, conseruatores alij similiter ex gau
sapino nigri coloris indutis reliqui magistratus togis etiam ex eodem
tergo ad nos venerūt: quos antecedebant viginti quatuor veluti licto-
res, virgas inauratas manibus præferentes, vestibus partim rubris, par-
tim croceis ornati: post terga verò plerique nobiles ciues Romani
pretiosè admodum vestiti, & ex his, multi cruce signo ante pectus
decorati, propter peculiarem dignitatem ordinis militaris, cum magna

populi

populi frequentia subsequebantur: iisq; ordo, grauitas in incessu, & in aliis omnibus magnificentia ostendebatur, vt merito Rem publicam Romanã in suis magistratibus velut in capite expressam intueremur. Hos omnes ad nos venientes officiosè, pro vt par erat, excepimus, & ex eorum sermone intelleximus, quanta lætitia, & iucunditate aduentus nostri ex remotissimis regnis ad summum pontificem adeundi, populum Romanum perfudisset. Nec verò tantùm nobis honorifice fuit gratulari, sed illud etiam magni faciendum per nuntiũ postea audierũt, placere Senatui, populoq; Romano (id quod rarò, & erga grauissimos, optimosq; merito viros facere consueuerat) nos ciuitate Romanum donare, & in ciuium non quorumcunq;, sed nobilium patriciorum numerum referre. Egimus primùm gratias per nuntium pro tanti in nos honore, deinde designato die, qui fuit ante Dominicæ Ascensionis festum, ad Senatum nos contulimus, tum gratias per nos ipsos acturi, tum etiam beneficij illius testimonia recepturi. Excepit nos Senator, reliquiq; magistratus eo honore, quo reges, principesque uiros prosequi solent: cùmq; honorificè consedissemus, orator quidam nomine totius Senatus sermonem luculentum habuit, cuius summa erat, gestire lætitia populum Romanum, nobiles adolescentes ex remotissimis orbis terræ prouincijs, fidem Christi nuper susceptam, tam longo spatio itinere professos, oculis, animisq; lætissimis intuentem: proinde (quod unicum, & maximum amoris signum proferre posset) nos quatuor in ciuium Romanorum numerum recipere, eisq; priuilegia concedere, quibus nobiles patritij, ac Senatores Romani fruerentur: precariq;, vt hoc amoris monumentum, beneuolentiæq; pignus grato animis prosequeremur. Hoc sermone habito, quatuor honesto loco natiui, quatuor argenteis lancibus, totidem chartas ex pergamena papyro, anro, variisq; figuris distinctas, familiarumq; nostrarum insignibus, & aureis bullis ornatas, quibus priuilegia illa continebantur, nobis obtulerunt. Accepimus libentissimis animis tam iucunda amoris erga nos argumenta, nosq; beneficij tanti nunquàm immemores fore, spopondimus, rursusq; tubarum, tibiarum, & totius symphoniæ cantu nos prosequentes, ad solitum Societatis hospitium reuertimus. Hinc ergo manifestè perspicere poteris, quàm sit Christianæ charitatis vis erga nos, quos ad eam de suam familiam Christus adsci-

bere dignatur. LEO. Perſpicimus ſanè in iſtis factis, atq; operibus, tã
tũam in Christiſsimo ſpeculo charitatem ittã, quæ, vt iam accepi, no-
tiſsimus eſt Chriſtianorũ vultus, iuxta id, quod Chriſtus ipſe dixit:
In hoc cognoscent omnes &c. Vnde facilè conijcio, omnes eos, qui
Chriſto nomen dant, hanc veluti formam, & faciẽ ſibi inducere, eaq;
de cauſa tam amicos eſſe mutuò, tamq; operęq; inter ſe germanitatis vin-
culo colligatos. LINVS. Id, quod ait noſter Leo, confirmari poteſt nõ
ſolùm Europęorum exemplo, quorum fides auita eſt, & à maioribus
iam à multis ſeculis accepta, ſed noſtrorum Iaponicorum recenti ad-
modũm teſtimonio, qui cùm primùm Chriſti doctrina imbuuntur, ſi-
mul etiam amorem iſtum erga alios eiuſdem Chriſtianæ profeſsionis
homines imbibunt, adeò vt Chriſtianos ipſos pluſquã cõſanguineos,
& cognatos diligant. MANCIVS. Hinc tanè accidit, vt alicubi nõ nulli
Ethnici in eam falſam opinionẽ venerint, ſibiq; immeritò perſuaſerint,
patres Societatis, reliquoſq; Iaponẽſes homines ardẽtiſsimo amoris vin-
culo inter ſe deuinctos, poſſe facilè de occupãdo totius Iaponiæ domi
natu cogitare. MICHAEL. Quaſi verò fidelitas, & charitas minùs erga
principes, quàm erga eadem religione coniunctos homines Chriſtia
na lege commendetur. Et ſanè, ſi rectè vellent ratiocinari, cùm
Chriſtiani homines tamq; operè ſe inuicem diligant, non poterat mel-
lus remedium ad Iaponiam in pace, & tranquillitate conſeruandã ex-
cogitari, quàm ſi Chriſtianã religionẽ omnes amplecterẽtur. Hoc enim
nexu Iaponenſes omnes tã principes, quàm inferiores copulati, nec de
ſumendis armis, ſanguineq; effundendo, nec de fide regibus data de
ſerenda, nec denique de perturbatione aliqua concitanda deliberarẽt,
omneſque eorum cogitationes ad patriæ quietem tutandam, augen-
damq; tenderent. LEO. Faxit Deus, vt in iſtam tam ſalutarem cogi-
tationem Ethnici omnes incidant, & ex errore, in quo verſantur, tan
dem aliquãdo emergant, Iaponicaq; res tã grauiter laborantes, diuino
nobis numine propitio, conualeſcant. Sed ad Romana redeamus. MI-
CHAEL. Romana, quæ ſequuntur à me commemoranda, ea ſunt, vt
animus meminiſſe horreat, luctuque refugiat. LEO. Quænam ſunt
iſta tam triſtia, & lugubria? MICHAEL. Mors propè repentina, &
inopinata Gregorij decimi tertij, cuius erga nos benęuolentiam
pluſquàm paternam tam multis argumentis fuerant ęs experti. Latiſ-

ſimè

simè nobis omnia euenerant, postquàm Romam vrbem ingressi fuimus: sed iuxta humanarum rerum cursum, non potuit non tanta lætitia, & iucunditas mœrore aliquo temperari: cùmq; iacula quominus præuideantur, magis feriant, perculit vehementissimè animos nostros excessus summi pontificis è vita, qui tam improuisus fuit, vt priùs die suum obijsse, quàm in morbum incidisse cognouerimus. Quinto nanque Idus Aprilis ea fuit valetudine summus pontifex, vt, etsi annis grauis, sacrum tamen expedire, & prompte fecerit: postridie verò, cùm lecticis curulibus vecti Romana aliqua loca percurreremus, illustrissimus cardinalis sancti Xisti per nuntium nos de inopinato summi pontificis obitu admonuit: qua de causa operti lecticis, demum nos recepimus luctuti, & lacrymis totos nos tradentes, patresque eodem mœrore confectos, ob tanti parentis iacturam, domi inuenimus. Fuit quidem inopinata, & improuisa huiusmodi mors, repentina tamen, & subita, quæ rarò probis, & virtute prædictis contingit, vocari nequaquam potuit. Nocte nanque illum diem antecedente, grauedine, & febri iactari cœpit, cùmq; octogesimum quartum annum ageret, naturaque admodùm debilitata malo resistere non valeret, postero die admonitus est à medicis de grauissimo vitæ periculo, in quo erat constitutus. Tunc ille de humanis, & mortalibus nequaquam solicitus, nihil potius sibi esse duxit, quàm vt quascunque animi maculas confessione elueret, reliquisque à Christo institutis præsidijs se ad postremum illud certamen cum hoste humani generis præmuniret. Fecit igitur hæc omnia, animo nihil nisi de immortalitate cogitante, mentemq; illam sanctissimam tam multis virtutibus ornatam, tam multisq; bonis operibus comitatam Deo autori suo reddidit, sibi quidem immortalem gloriam pariens, tori verò populo Christiano triste sui desiderium relinquens. Nec immeritò discessus eius è vita, graui omnes tristitia cumulauit, qui benignitate, charitate, & beneficentia parens potius communis, quàm supremus præses censeri poterat. Quòd si totus Christianus populus ipsi tot beneficijs deuinctus, iacturam hanc ægerrimè ferre debuit: si patres Societatis, quibus ille erat peculiariter dedictus, quorumq; operæ in rebus tanti momenti vtebatur, eum sibi ereptum, tantoperè doluerūt: quo in luctu, ac mœrore nos fuisse creditis? qui, illius adeundi causa, ex tam remotis locis missi sumus, nec minus quàm

quam amantissimum nostri patrem Romæ reperimus. LEO. Meritorem, de quo agis, non dubito fuisse grauissimum, cum tam breui tempore lætitia illa tota, & gratulatio in luctum, & lacrymas recidit. Imò nos ipsi ista audientes, animis summopere cõmouemur. LINVS. Equidem vix ipse me continere potui, quin in fletum prorumperem, ea tam clari patris vos iactura affectos audiui. MICHAEL. Merito sanè ista dicitis: tam grauem tamen mœrore, & incredibilem lætitiam magna ex parte patris Generalis consolatio, fore videlicet, vt cito alius in eius locum substitueretur, in quo idem munus, eandemq; dignitatem gereret, nõ dubiũ esset, quin eadem viscera pietatis plenissima erga nos quàplurimũ experiremur. Accessit etiã totius sacri collegij cardinalium consolatorius nimbus, qui dolorem illum grauissimum summopere leniuit. Cum enim ad præsentandum de more mortuo pontifici conuenissent, præsulem quendam ad nos mittere sunt digniti, qui eum nobis nuncium afferret, quinetiq; ex ipsis esset in locum summi pontificis Gregorij substituendus, non minorem curam, solicitudinemq; de Iaponicis rebus esse susceptuum: proinde bono animo nos esse debere, firma spe illius in cõmodi ærò reficiendi sultentatos: quòd si pro eo tempore res aliqua nobis necessaria esset, ex ipsorum facultatibus abunde nobis esse suppeditandam. Fuit hæc profectò cum salutaris, tum honorifica erga nos consolatio, cum intelligeremus, toti cardinalium collegio nos, Iaponiq; res tantopere curæ esse, & ad bene de futuro pontifice sperandum, tam manifestum signum ante oculos sublatum inuere mur. Post hæc, sequentes dies vsq; ad Paschæ festum ferè omnes in celebrandis exequijs summi pontificis mortui consumpsimus: in quibus & cardinales ipsi in vnum conuenientes, eas rite, & solenniter peregerũt, & religiosi omnes viri parenti illi charissimo, in suis quisq; templis parentalia, instaq; soluerunt: inter quos diligentissimos se præstiterunt patres Societatis tam multis illi beneficijs, tantopereq; obligati, patre Præposito Generali sacrũ facientes, aliisq; omnibus ex Societate, & nobis ipsis lugubri veste indutis, ad templum domus professorum deuenerimus. Sed quoniam, quæ ad exequias mortui pontificis, sequutiq; electionem pertinent, relatu sunt dignissima, vobisq; non iniucunda fore credo, ea tanquã prolixiori sermone indigentia, in sequens colloquium reijciamus.

Quomodo summo Pontifici iusta soluantur, quæque alterius deligendi sit ratio: quantoque omnium applausu Xistus. V. fuerit Pontifex Maximus renuntiatus. Colloquium vigesimum quintum.

LINVS.



Odierno congressu duo à te commemorandi, Michael auidissime expectamus: vnum est, quinam seruetur modus in exequijs siue iustis summo pontifici mortuo soluendis: alterum vero, quænam noui præsulis suprema deligendi ratio habeatur. MICHAEL. Vtrumque, vt pollicitus sum, præstabo, Line, vobis interim ordinem singularem, qui in rebus omnibus Europeis elucet, diligenter obseruantibus: huic enim totius huius narrationis progressus dirigetur. Scitote igitur in primis, illum in more positum esse, vt summus pontifex morti vicinus, cardinales omnes conuocet, & ad eos sermonem habeat, quo primum supplici animo fatetur, se tanquam hominem fragilem, miserijs, obnoxium, in munere suo obeundo non parum fuisse allucinatum: quapropter ad ipsos pertinere, tanquam ad fratres charissimos, humanarum rerum vicem considerantes, si quid offensionis in ipsorum animis erga eum sit, penitus tollere, & extremo certamine laborantem precibus adiuuare. Deinde vero totam Christianã Rempublicam illis commendans, diligenter admonet, vt politum è vita excessum, cum pontifice eligant, qui grauissimas officij partes sibi commissas videque, expleat. Tandem extremam salutem dicit omnibus, non sine magno omnium & lacrymis postrema illa pontificis verba excipientibus. Deligunt deinde tres cardinales, qui simul cum alio Camerario, munus obeunte, res cum summo pontificis extremum spiritum agentis necessarias,

ſatias, tum ad cuſtodiam ſacri palatij pertinentes, ſedulò procurent, & omnia, quorum in exequijs eſt vſus, diligenter præparent: interim verò cardinalium conuentus ciuitati Romanæ, & toti eccleſiaſtico ſtatui vigilanter prouidet, nequid vel in vrbe, vel in ſummi pontificis iuriſdictione perturbetur. Poſtquàm ſummi pontificis animus corporis vinculis ſoluitur, poſt multas, ſolenneſq; preces pro ipſo a cardinalibus Deo adhibitas, venerabile eius cadauer à præſentibus miniſtris aqua ſuauiſſimi odoris abluitur, & pretioſiſſimis vnguentis, balſamoq; conditur, pontificalibuſq; veſtibus inſtar viuentis exornatur: deniq; feretro ornatiſſimè cooperto, ad pontificale ſacellum deducitur. Ad illud ſtatim ſacerdotes omnes, & ex cunctis familijs religioſi viri conueniunt, precesq; multas, & varias de more decantant, alijſq; ſolitis cæremonijs corpus illud exanime proſequũtur. Vlteriùs ad templũ Diui Petri a canonicis cum maxima pompa apparatuq; deducitur, vbi rurſus ab eiſdem, alijſq; ſacerdotibus preces, ſupplicationeſque cum magna religione inſtaurantur, venerandumque illud corpus ſupremi parentis debitè comitatum in templo relinquitur, totique populo videndum, reuerendum, & exoſculandum permittitur. Mira eſt ſanè tum temporis populi frequentia, ad ſupremi parentis corpus oculis intuendum, animis, atq; intimis ſenſibus colendum, pedeſque ipſius ſummaq; veneratione dignos, amplexibus, atq; oculis frequentandos. Aliquibus iam diebus hac populi pietate, & religione conſumptis, demum cadauer illud pontificijs inſignibus decoratum, in ſepulchro honorificentiſſimo non ſine omnium lachrymis reconditur. Tunc ſolemnũ exequiarum ſit initium, quarum deſcriptionem breuiter proponam. Inprimis in eode templo vndiq; inſignibus mortui pontificis ornato cenotaphium quoddam extruitur mirę magnitudinis, atq; altitudinis, nonnunquam pyramidis, interdum quadranguli, vel octanguli figura effingens, totum ſerico integumento cooperitur, & ab infima parte vſque ad ſummum culmen cereis candidis refertum; in quo iuxta tori ætatem, vel feretrum ipſum intluditur, vel in ſupremo quaſi apice collocatur; vt ex ea picturæ cenotaphij Caroli quinti in priatorio, à nobis allata, poteſtis conijcere. Hunc ergo vacuũ tumulũ, vt ad etymologiam nominis alludam, circũſtant omnes ex eadem familia ſummi pontificis, palatinique, & ciuiles magiſtratus palla, & lugubri veſte induti,

duti, reliquiq; omnes, qui adſunt, cardinales, legati, optimates, populares; viri manibus funalia tenent, ex cera candidiſsima confecta, quæ totis illis nouem diebus, quibus exequiæ fiunt, abſq; numero diſtribuuntur, adiuncta etiam pecuniæ magna copia, qua religioſorum hominũ, fœminarũq; cœnobia, & ſodalitates largiſsimè donantur. Quandiu in hunc modũ ſummo pontifici parentatur, ſingulis diebus, ſinguli cardinales ſacrum ſolenne ad aram ſupremam faciunt, interim quàm plurimis alijs ſacerdotibus ad ſeptuaginta, & eò plura altaria ritè litantibus. Vnde colligi poteſt, quanta pecuniæ ſumma in his exequijs expẽdatur, rebus omnibus neceſſarijs abundantiſsimè comparatis. Primo exequiarũ die præſul aliquis ad id deſignatus, de vita, & laudibus ſummi pontificis mortui funebrem concionem habet: poſtremus verò dies, poſt ſolitũ ſacrum pro vita functo pontifice, ſacro alio, ad Spiritũ Sanctum peculiariter propitium reddendum, & alia concione de nouo pontifice creando, aptiſsimè clauditur. Hæc ſunt, quæ breuiter de exequijs, ſe dicenda obtulerunt, vos pompam illam, ingentes ſumptus, populi frequentiam, reliquumq; apparatũ, & alia oratione omiſſa, mentibus contemplamini. LEO. Equidem ordo iſte, atq; ornatus in funere, & iuſtis ſummi pontificis, nemini non poteſt ſummoperè placere, Europearumq; rerum ſtatum vehementer commendat. LINVS. Non ſolùm, vt opinor, res Europeas comprobat, ſed quoſcũq; animos, etiam ab Europeis alieniſsimos, meritò poteſt in eorum amorem, ſtudiumq; traducere. LEO. Iam nunc accede Michaël, ad exponendum nobis noui ſummi pontificis deligendi ordinem, quem non minùs cum ratione conſentaneum eſſe credo. MICHAEL. In primis illud obſeruate, circa propoſitam materiam, ea in re admirabilem quandam operam, diligentiãq; collocari, vt in ſummo pontifice renuntiando, nullus ambitioni, præfationi, ſuffragiorumq; corruptelæ locus pateat, & quàm celerrimè nouus ſummus pontifex creetur. Hinc fit, vt in conclaue, velut in clauſtrum quoddam includantur, ſinguli q; eorum ſingula cubicula lineis tantùm velis diſtincta aſſignentur, feneſtræq; omnes calce, & lateribus obſtruantur, paruis diſtaxat interuallis ad excipiendam lucem relictis. Fores item eodem modo clauduntur, vno tamen oſtio excepto, cuius in neceſſarijs eſt vſus: hoc autem quinque clauibus obſeratur, clauesq; quinque viris magna authoritate traduntur. Quãdiu ve-

rò cardinales intus ſunt nec foras egredi, nec aliquē ad ſe introducere, aut ad priuatum colloquiū vocare poſſunt. Cū ſingulis autem cardinalibus bini tantùm famuli includuntur, qui neceſſarijs in rebus ſunt ad miniſtri, eiſq; non lautus, ſed modicus cibus antiqua lege præſcriptus, cōceditur, quo vnuſquiſq; ſeparatim veſcitur. Quo fit, vt pro ſuo amplisſimo ſtatu, nimis incommodè, & anguſtè ibi viuant, & eius habitationis difficultatē ægrè ferentes, in creando ſummo pontifice magnā diligentiam adhibeant. Eſt autem tanta vigilantia in vitandis, & arcendis his, quæ foris allata cardinalium animos ſolicitare poſſunt, vt etiam quotidiani cibi, qui ad vnumquemq; ex ipſorum domicilijs deferri ſolet, diligens conquiſitio fiat, ne ſub epularū ſpecie aliquid literis mandatum lateat, quod ſuffragantium animos corrūpat, aut peruertat. Vt autem cardinalium conuentus eo tempore ab omni populi perturbatione, & potentium vi liber omnino ſeruetur, multæ in ſacro palatio cuſtodiæ grauiſsimorum optimatum & præſulum adhibentur. In primis enim primam ianuam dynaſta aliquis cum miſitum præſidio obſeruat: ſecundam magiſtratus ciuitatis cum ciuium apta multitudine: tertiam legati regum, ac principum, qui cuſtodijs, & ſatellitibus multis abundant: quartam denique, & cardinalibus proximā grauiſsimi præſules, fide, & authoritate pollentes. Cùm primùm ergo cardinales ad Diui Petri templum, & inde bini ad conclaue ſe conferunt, coram epiſcopo cardinali omnium primo cuſtodes omnes iureiurando ſe obligant, pollicenturq;, nulla in re ſe cuſtodiæ palatij, præſidio, ſecuritatiq; cardinalium defuturos: poſtremi verò, hoc eſt, proximam cardinalibus ianuam ſeruantes, addunt, nihil ſua incuria eſſe admittendum, quod ſuffragatorum animos vlla ex parte perturbare queat: atq; ita vltima illa ianua obſeratur quinq; clauibus, quæ partim per cuſtodes, partim per aliquos ſacerdotes cæremonijs præfectos, intus manentes diſtribuūtur. Cardinales igitur iam incluſos primus ille epiſcopus cardinalis fraternè, & amanter admonet, vt quantum negotium ſibi ſit cōmiſſum, diligenter perpendant, ſuiſq; ſuffragijs deligant, quem Reipublicæ Chriſtianæ verè parentē omnes agnoſcant. Duplici autem modo ſummus pōtifex renuntiari poteſt, vel duabus ſaltem partib⁹ ſuffragiorū clàm initorū conuenientibus, vel eōmuni omniū conſenſu, & adoratione, quod frequētiùs fieri cōſueuit. Quoties ergo ſuffragia

gia ſunt ferenda, poſt ſacrum piè, ac religioſè factum, omnia neceſſaria cõparantur, calixq; ſacer cũ ſuo operculo in ara maxima collocatur, in quẽ ſuffragia ſcripus tradita conijciantur. Sedet igitur ad aram primus epiſcopus cardinalis, quem primus preſbyter, primus q; diaconus, etiam cardinales comitantur, reliquis fratribus, ordine debito ſua ſub ſellia occupantibus: quo item ordine ſeruato ſuffragia ferri incipiunt. Suffragiorum verò ea eſt formula, vt vnuſquiſque planis verbis nomen ſuum explicet, ſeque clariſsimum cardinalem .N. ad ſummum pontificatũ eligere, affirmet, ſuffragiumq; ſuum ſigillo obſignet. Suffragijs ergo in ſcripta relatis, primus ille dignitate epiſcopus cardinalis, ante altare genibus flexis, paululũ orat, deinde ſuffragium ſuum reuerenter in calicem conijcit, primo diacono cardinali calicem ipſum de tegente, & mox operiente: quod munus vterq; præſtat, dum reliqui eodem modo ſua ſuffragia immittunt. Poſtquam verò omnia in calicem ſunt congeſta, primus epiſcopus cardinalis vnumquodque illorum educens, cardinali preſbytero tradit, ille rurſus cardinali diacono, qui concitata voce totum perlegit, ſingulis cardinalibus omnium fratrum catalogũ præ manibus habẽtibus, & ad nomen eius, pro quo ſuffragium latum eſt, notam quandam apponentibus, quo facilius ſuffragiorum certus numerus colligatur: atque ille, vt dixi, ſummus põtifex cenſetur, cui ſaltem duæ tertiæ partes cardinalium ſuffragãtur. Quòd ſi prima ſuffragatione non ea ſit ſuffragiorum copia pro vno lata, vt duas tertias partes expleat, ſemel, atque iterum ſuffragia ineuntur, donec is, quem dixi, numerus conueniat. Vt primùm ergo vel acclamatione, vel ſuffragijs ad numerum illum deſignatum peruenitur, & ille, qui acclamationem hanc, vel ſuffragia conſequitur, aſſenſu ſuo comprobat, à primo epiſcopo cardinali ſummus pontifex renũtiatur. Verbis explicari non poteſt, quanta ſit tunc omnium cardinalium iucunditas, quantaque omnium lætitia, & gratulatio, cùm primùm cardinalis diaconus feneſtellã, ad id deſignatã aperiens, verba illa lætitiæ pleniſsima profert. Annuncio vobis gaudiũ magnum: ſummũ pontificem habemus illuſtriſsimum cardinalem .N. qui cum nouo munere, nouum nomen ſibi .B. ſumpſit. E veſtigio igitur conclauis fores reſerantur, & omniũ gratulatione, quãta maxima dici poteſt, ſummus pontifex ad templum Diui Petri deducitur. LEO. Equidem

ordo iſte creandi ſummi pontificis non poteſt non ſummoperè nobis placere, cùm per eum malis omnibus, quæ in ſimiles actiones humana peruerſitas poteſt inuehere, aditum videamus intercluſum. MICHAEL. Quotidiana experientia id ipſum confirmat: plerumq; enim ad ſummum pontificatus culmen eos videmus elatos, qui ſapientia, virtutibus, alijſque dotibus, tum à natura tributis, tum labore comparatis, ſunt inſignes. Ad hunc modum ſummi pontificis Gregorij decimi tertij animo ad ſuperos euolante, exequijſq; eius celebratis, quinquaginta ferè cardinales ad nouum alium in eius locum ſufficiendum conuenerunt: cùmque conuentus hic vndecimo Calendas Maij habitus primùm fuiſſet, ſexto Calendas eiuſdem menſis ſumma omnium iucunditate illuſtriſsimus Montalti cardinalis, vir in omnium virtutũ genere, bonarumq; artiũ ſtudio exercitatiſsimus, quiq; olim Diui Franciſci inſtitutum fuerat profeſſus, cõmuni acclamatione ſummus pontifex eſt renuntiatus, & Xiſti quinti nomine vocari voluit. Cuius digniſſimam electionem vel illud maximè commendat, quòd ſummus pontifex Gregorius decimus tertius, cùm interdũ viuens de futuro poſt ſe pontifice ageret, & circunſtantes nomina aliquorum cardinalium, ſimulq; illuſtriſsimi Montalti retuliſſent, ille præteritis alijs, hunc poſtremum ſummũ pontificẽ fore ſignificauit. Eſt hic ſummus præſul Xiſtus natione Italus, ex agro Piceno, nũc vulgari nomine Marca Anconitana, qui parentibus quidem humilibus ortus, magnos tamen animos, atq; ingentes ſpiritus à natura inditos habens, bonis artibus ſe tradidit, & paulatim in ſtudio ſapientiæ, virtutibusq; progreſſus, ad Diui Franciſci familiam aſcitus eſt, in eaque multa munera cum laude obiens, tandẽ magiſtrum generalem totius ordinis egit: in qua prouincia adminiſtranda tantoperè placuit Pio quinto pontifici maximo, vt primùm ab eodem Epiſcopus creatus, poſtmodùm in cardinalium numerum fuerit cooptatus. Eius renuntiationẽ magnoperè Romana ciuitas celebrauit: nam & ex arce Sancti Angeli ingentes bellicorum tormentorum ſonitus frequentiſsimè ſunt auditi, & multæ artificioſæq; ignis ſpecies viſæ, per totamq; vrbem funalia, faces, variæq; diuerſi generis lampades ignem continentes ſpectatæ, quibus nocturno tempore collucentibus, nocti mira quædam pulchritudo addebatur. Quid de nobis dicam? quibus noua quædam lux oboriri viſa eſt, chariſsimum parẽ-

tentem filijs cum magno gaudio reſtitutum, in animum meritò indu centibus. Nec verò Romana tantùm ciuitas hoc iucundiſsimo nuntio potita eſt, ſed idem lætiſsimus rumor, miſsis in diuerſas partes viatoribus per omnes ferè Europæ prouincias, cum ſumma omnium alacritate diſperſus eſt: vnde reges, principeſq; per legatos miſſos ad ipſius obſequium ſe ſupplices obtulerunt. Declaratus ergo ſummus pontifex Xiſtus. V. primùm quidem ad Diui Petri templum de more delatus eſt, deinde tanquàm Chriſti vicarius in ara collocatus: vbi eius pedes, manuſq; cardinales omnes venerabundi ſunt exoſculati: hos ſecuti ſunt præſules alij, dynaſtæq; profani ad eius pedes ſe reuereter prouoluentes, muſicis interim inſtrumentis, cantorumq; vocibus ſuauiſsimis mirum concentum edentibus, & ad finem ſummo ipſo pontifice, crucis ſigno facto, benè, & proſperè omnibus precante. Nos die Saturni ſubſequenti ſummum etiam pontificem adijmus, de ſupremo illo gradu, ad quē diuino numine fuerat euectus, illi magna animi lætitia gratulaturi, & nomine Iaponenſium regum, & principum debitum honorem ei præſtituri. Ille nos lætè, & iucundè tanquàm Gregorius decimus tertius è mortuis excitatus excepit, nobiſq; lætitiam de ipſius creatione ſignificantibus, multis, beneuolentiſsimiſq; verbis affirmauit, res Iaponenſes non minore amore, & diligentia à ſe eſſe curandas, nec Gregorij decimi tertij præſentiam vlla ex parte eſſe deſiderādam: præterea patribus commendauit, vt in rebus omnibus neceſſarijs nobis ſubminiſtrandis magnam operam ponerent, & quicquid Iaponenſium rerum ſtatui vtile, & accommodatum eſſet, ipſi ſubijcerent, ſeque nulla in re vnquā defuturū conſtanter fuit pollicitus. Hæc autem verba maximum amorem teſtantia, re ipſa, atq; opere manifeſtè ſunt cōprobata: quandiu namq; Romæ fuimus, nulla in re Gregorij decimi tertij, vel beneuolentiam, vel liberalitatem, vel deniq; de Iaponenſibus rebus curam, & ſolicitudinem deſiderauimus. Calendis Maij, ab eodem ſummo pontifice ad feſtiuam conſecrationis ipſius celebritatem inuitati ſumus. Poſtquàm enim ſummus pontifex cardinalū ſuffragijs renunciatur, certus dies deſignari ſolet, quo ſolenni quodam ritu conſecrari, ſacroq; oleo vngi conſueſcit. Feſto igitur illo die illucеſcente, ex domicilij ſui penetralibus exiens, & cardinalium, præſulum, dynaſtarumq; frequentia ſtipatus, ad atrium nomine Papagalū pontifi-

tificales veſtes induturus acceſsit: vnde ſupplicatione inſtituta, cardinalibuſq; binis antecedentibus, totaq; nobilũ turba ſubſequente, ſummus pontifex ad Diui Petri templum delatus eſt: quem veſtibulũ ingredientem canonici omnes, & ſacerdotes illius templi ſuppliciter venerantes, ad pedes oſculandos procubuerũt. Mox omnes ſacellũ quod iam, Diuo Andreæ dedicatum, ſunt ingreſsi, & ad ſummum pontificẽ ſuo ſolio ſedentem cardinales omnes, ſolitam reuerentiam delaturi, acceſſerunt. Poſtmodùm multis ritibus, cæremoniiſq; obſeruatis, de quibus dicere longum eſſet, ab illuſtriſsimo cardinali Farneſio tanquam ſacri collegij decano, duobuſq; alijs epiſcopis, ad quos ex antiquo more munus illud pertinet, ſummus pontifex ſacro oleo vnctus, & conſecratus eſt, Mancio noſtro ad manus eius ſacras abluendas aquã fundente (quod magni honoris loco numeratũ eſt: quoniã clariſsimis quibuſq; viris, qui præſentes adſunt, ſiue reges, ſiue principes ſint, ea cura conuenit) alijs autẽ duobus dynaſtis, qui eius latera tenebant, mãtile ad manus extergendas porrigentibus. Poſt hæc cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, & epiſcopi ſacris, & pontificijs veſtibus induti, reliqui verò ſacerdotes, & magiſtratus ſacri, albis ex lino indumentis tecti, ſummum antiſtitem pontificali ſella ſedentem, & Romanorum magiſtratuum humeris geſtatum in ſacello maximo Diui Petri ſacrificaturum comitati ſunt. Non omittam hoc loco rem commemoratione dignam, quæ in hoc proceſſu vſurpari ſolet: magiſtratus enim ille, qui cæremoniarum magiſter dicitur, altera manu ſtuppam arundine pendentem portans, altera verò cereum ignitum arundini inſertum, ignem ſtuppæ admouet, eaque ſubitò incenſa, & inflammata, ad ſummum pontificem conuerſus ait: Pater Sancte, ſic tranſit gloria mundi: quod cùm magiſtratus ille ter de more faceret, ſummũ pontificem Xiſtum quintum, non ſine magno ſenſu, capite demiſſo annuentem, & veritatem illam manifeſtè comprobantem vidimus, credibileq; eſt, eum, re illa menti infixa, nequaquã ſummo honore animum extuliſſe, ſed in omni fortuna æqualem conſeruaſſe. Poſtquàm ad ſacellum maximum ventum eſt, cardinalibus omnibus ſuo loco diſpoſitis, alijſq; deſignatis, diaconum, & ſubdiaconum gerentibus, ſummus pontifex miro quodam rituum, & cæremoniarum genere, quod præ multitudine, & varietate verbis aſſequi nequaquàm poſſum, ſolenne omniq; religione plen-

plenum ſacrum fecit. Eo peracto, cum eadem cardinalium dynaſtarum, magiſtratuum, populiq; frequentia ad theatrum quoddam ornatiſsimum, in veſtibulo templi ante aream collocatum, idem pontifex proceſsit, pontificio diademate exornandus. Quoniam autem locus ille patentiſsimus, & ſpatioſiſsimus eſt, mirum eſt, quanta hominum cuiuſcunq; conditionis multitudo ad eum ſpectandum conuenerit: adeò vt non ſolùm tota area, feneſtræ, porticus, pergulæ, ſed etiam ipſa domiciliorum tecta populari frequentia fuerint referta: cùmque ſummus pontifex cardinalium conuentu, & reliquis optimatibus comitantibus, per ſuperiorem quandam pergulam iter faceret, vix ipſi palatini magiſtratus viam aperire potuerint. Poſtquàm igitur pontifex in ornatiſsimo quodam tabernaculo ſupra theatrum extructo, cardinalibus aſsidentibus, conſedit, Farneſius cardinalis cum alijs ſocijs preces nonnullas ſacras recitauit, quibus peractis, alter ex cardinalibus diaconis ad ſiniſtram aſsiſtens, de ſummi antiſtitis capite communem infulam detraxit: alter verò diaconus cardinalis dextram teneus, tiaram ornatiſsimam, triplici corona contextam, gemmiſque, & vnionibus pretij admirabilis onuſtam, eiuſdem ſacro capiti reuerenter impoſuit: tunc acclamatio populi feliciſsimam, diuturnamque vitam ſummo pontifici Xiſto quinto precantis, ſimul cum iucundo tubarum, tibiarumq; ſono, moxq; tormentorum bellicorum ex arce frequenti ictu, tam vehemens ſubſecuta eſt, vt omnium animos ſummoperè exhilarauerit, nouaque iucunditate permulſerit, & hac tanta celebritate ſummus pontifex fuerit inauguratus. Sed quoniam non ſolùm, cum huic tam celebri rei intereſſemus, ſed etiam modò illam memoria, & oratione repetentes, longũ tempus conſumpſimus: æquũ eſt, vt vobis annuentibus, ſolita quiete corpora reficiamus.

Quo equitatu ſummus Pont. templum .D. Ioannis Lateranẽſis adierit: & legati inſignibus equitum donati, Vrbe ſint profecti: deq; nobiliſsima vrbe Neapoli, & templo .B. Virginis Lauretanæ.

Colloquiũ vigeſimũ ſextũ.

LEO.



Erbis explicare non poſſum, Michaël chariſsime, quantam iucunditatem nobis pepererit Romanarum rerum commemoratio: quo fit, vt ſi quid adhuc tibi de illis narrandum reſtat, non minori ſtudio audire geſtiamus. MICHAEL. Dicam quod ſupereſt, & Romanis rebus finem imponam, nullum veſtrum faſtidium, nullaque ſatietatem refor midans, & de noſtro reditu hodierno etiam die dicere aggrediar. Quoniam autem rebus ad Romanum pontificem pertinentibus vos peculiariter oblectatos eſſe credo, exponam primùm, quo, & quàm nobili equitatu ſummus pontifex Diui Ioannis Lateranenſis templum ſoleat inuiſere, illius ſedis quaſi propriam, debitamq; pontificio muneri poſſeſsionem occupans: ſic enim tandem intelliges, quanta maieſtate ſummus pontifex in publicum prodire conſueſcat. Huius ergo equeſtris ſupplicationis, & cuiuſcunque alterius ſimilis ordinem ſic accipite. Primum locum tenent equites, cuſtodiæ ſummi pontificis deſtinati, bini incedentes, quod ab omnibus alijs ſequentibus obſeruari ſcitote: praceduntq; ea armatura ornati, vt in procinctu ad prælium ineundum ire videãtur: non tamen deeſt veſtium gauſapinarum exterius ornamentum. Hos ſequuntur cardinalium veſtiſpici, ſaccis ex coccineo panno dominorum indumenta equis geſtantes, ſinguli hominibus ſuæ familiæ

familiæ comitati. Procedunt post hos summi pontificis indumenta ferentes, cum omnibus alijs ex eadem clientela: hisque iunguntur reliqui omnes honesto loco nati viri, qui nō ea dignitate pollēt, vt peculiaris locus illis debeatur. Mox subsequitur vnus ex summi pontificis equisonibus, equum candidum, & optimis ornamentis elegantissimè instructum agens, quo scalæ quædam ligneæ serico cooperta deferuntur, quibus ex antiquo more summus pontifex vtitur, dum equū conscendit. Vlteriùs procedūt illi, qui cursores summi pontificis appellantur, duodecim signa portantes, ad memoriam videlicet sempiternam victoriarum, quas duodecim Christi Apostoli ex teterrimo hoste generis humani sunt adepti: statimque alij tredecim signiferi, qui tredecim vrbis Romæ regiones referre videntur. Nec minùs proximū locum exornant alij quinque vexilliferi: primus quidē ferens Romanas Aquilas populi, senatusq; Romani insignia: secundus ordinis Teutonici: tertius ordinis S. Ioannis Hierosolymitani: quartus propria, ac peculiaria summi pontificis: quintus denique totius Christianæ Reipub. signa, stemmataq; deportans: qui quidē mirum est, quibus armis muniti, & quàm elegantibus vestibus induti incedant. Vlteriorem locum tenent duodecim equi ornatissimi, vsui summi pontificis destinati, & ab equisonibus coccinea veste indutis acti: tum quatuor alij equites, quatuor pontificales pileos ex serico coccineo portantes. Post hos clerici cameræ Apostolicę, & præsides eius conuentus, qui Rota dicitur: tunc dynastæ omnes, nimirū comites, marchiones, & duces, qui sunt sub iurisdictione summi pontificis: tum legati regum, & principum, si mulq; Senator Romanus, qui post legatum imperatoris, primum locū occupat. His omnibus antecedentibus, locum habent sacram dignitatem obtinentes, & in primis subdiaconi Apostolici, & inter eos quidam, crucem pontificalem gestans, quam comitantur magistri hostiarij, virgas serico rubro inclusas manibus præferentes. Defertur etiam hoc loco equo mirum in modum ornato, valdeq; mansueto sacra capsula, qua Christi sanctissimum corpus seruatur, tota illa quidem serico, atq; auro cooperta: eam prosequūtur duodecim sacerdotes pedites, funalia accensa gestantes, duo item sacerdotes equites ex summi pontificis sacello, ignem item laternis argenteis inclusum deferentes, ita vt nequaquàm extingui possit: capsula verò sacra tegitur operculo

quodã, siue papilione ex auro opere Phrygio, ab octo nobilissimis viris detecto capite gestato: solet enim summus pontifex quotiescunque solenni pompa iter equo facturus progreditur, sanctissimum Christi corpus tanquam certissimum præsidium, honorisq; totius caput in comitatu habere: hoc maximè signo indicans, honorem illum supremum non tam sibi, quàm ei, cuius vices in terris gerit, ab vniuerso populo haberi. Procedunt vlteriùs æditui sacri palatij, mox episcopi, archiepiscopi, patriarchæ, & cardinales pontificalibus vestibus induti, omnesq; infulis pretiosissimis capite cooperto. Post quos omnes incedit summus pontifex, miram præ se ferens maiestatem, vel equo mansuetissimo vectus, vel octophoro ornatissimo, operimẽto itẽ ferico, siue vmbella ab alijs octo patricijs viris delata. Est autem in more positũ (quod in colloquio quodam iam dixi) vt si eques iter faciat, imperator, vel rex, vel quicunq; alius præsens dynasta præcipuus, pedes ascendentis equum fulciat, & aliquo loci spatio habenas manibus teneat, donec equũ iubeatur conscendere. Quod si octophoro vehitur, illud etiam à regibus, & supremis dynastis, si præsentes adsint, breui interuallo deportatur: donec item equos ascendẽdi signum illis detur. Hoc enim honore sæpe in more fuit, summũ pontificẽ tanquàm Christi vicarium in terris reuereri, & coram eo etiam magni honoris insignia pro nihilo reputare, ministrandiq; munere fungi. Post summi pontificis tergà, locum tenet præfectus præsidiariorum militum, cum militibus ipsis egregiè instructis, & expeditis. Tanta verò est populi subsequentis frequentia per vicos omnes, quibus iter fit, vt ad populum confertissimum aliqua ex parte à summo pontifice, ad quem turmatim confluitur, semouendum, necesse sit, ab aliquo pontificio magistratu nummismata argentea diripienda spargi. Tam longa verò est hæc equestris supplicatio, vt, cùm Diui Petri templum à Diui Ioannis Lateranẽsis æde ferè leucam distet, primi iam equites Diui Ioannis templũ prope teneant, postremi verò adhuc ad Diuum Petrum cõmorentur. Hoc quidem modo supplicatio hæc fit, quandocũq; Romanus antistes post diadema pontificium solenni ritu susceptum, pontificijs etiã vestibus ornatus ad templum Diui Ioannis Lateranensis procedit. Sed quoniam Xisto quinto pontifice maximo solennem hunc actum celebrante, in alium diem supplicatio ad Diuum Ioannem dilata est, aliqua sunt mutata

ta

ta, pontifice maximo pontificalibus vestibus non induto, ipsumq; cardinalibus tunc subsequentibus, vt de more fieri consueuit, nobis verò inter legatos ipsum antecedentibus. Quo autem ritu in basilica Diui Ioannis Lateranensis excipi soleat, potiùs ex libris de hac materia cõscriptis, quàm ex narratione mea velim intelligatis. LEO. Mira profectò narras de Romana curia, summiq; pontificis autoritate, quæ sanè manifestè ostendũt, eum ob omnibus taquam Christi vicarium coli, atq; adorari. MICHAEL. Magna quidẽ est in omnibus Europeis regibus grauitas, magnusq; ornatus, præsertim in curijs regũ, ac principũ: nihil tamen tam admirabile est, quàm quod in Romana, ac pontificia curia oculis, atque animis in tanta maiestate defixis, contemplati sumus. LINVS. Felices vos profectò, & fortunati, qui primi ex hoc nostro orbe minùs culto, ad illum alium tam splendidum, atque ornatum nauigare potuistis. Sed quem tandem exitũ vestræ res Romæ habuerint, quæso, edissere. MICHAEL. Optabat quidem summopere maximus pontifex Xistus quintus, tanquam verus parens nobiscũ frequentissimè, & familiarissimè agere: tanta tamen erat negotiorũ, atq; occupationum multitudo, cùm primùm pontificatum iniret, vt non solùm senex laboribus consumptus, qualis ille est: sed etiam iuuenis viribus valens, tanta mole obrui, & oneri succumbere facile posset: ille tamen vigore potiùs animi, quàm corporis excellens, ita rebus omnibus consulebat, vt Dei numẽ præsens verè liceret agnoscere. Quapropter aliquoties nos per nuntios inuisens, beneuolentiã suã aperte significauit. Semel etiam iussit, vt à præsule Alifensi tunc sacri palatij maximo œconomo ad conuiuium in pontificia villa ineundum inuitaremur: quod libenter fecimus, & eo lecticis curulibus vecti, à viginti quatuor hominibus pontificio cubiculo præfectis excepti sumus, ibidẽque lautissimè ab eodẽ præsule, nomine Romani pontificis refecti. Deinde sexto Calendas Iunij ab eodem summo pontifice euocati, cuidam publicæ supplicationi à Franciscanorum patrum cœnobio, nomine Ara cæli, ad Sanctam Mariam maiorem habitæ, interfuimus, quam summus ipse pontifex præsentia sua, & ampliſsimo cardinalium conuentu decorauit: nec minus pompæ, & ornatus hæc habuit, quàm illa equestris à me superiùs descripta. Postremò cũ iam noster reditus ad Lutetiã esset proximus, voluit maxim' pontifex per se ipsum nos equitũ

insignibus donare, quod loco magni honoris numerandum est, nec eum quoscunq; homines, sed ornatissimos, & meritis maximis præstãtes eo afficere solet. Pridie igitur diei ad hunc actũ designati, qui fuit vigilia ante Ascensionem Domini, missus est ad nos à summo pontifice cæremoniarum præfectus, vt nos de ritibus in eo opere obseruãdis edoceret. & postero die, quo vespertinæ preces Ascensionis Domini solenniter decantabantur, nos ornatissimè induti, cum breui toga, atque ense, quasi equites futuri, illis interfuimus: quibus peractis, sumimus pontifex omnibus cardinalibus, & episcopis præsentibus, nobisque genua flectentibus, quatuor enses è vaginis eductos, quatuorq; in aurata calcaria solitis precibus ritè sacrauit, ensesque nobis in manus tradidit, hæc verba ad singulos faciens. Accipe gladium istum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt vtaris eo ad defensionem tuã, & sanctæ Ecclesiæ Dei, & ad confusionem inimicorum Christi, & fidei Christianæ: & quantũ humana fragilitas tibi permiserit, neminem iniuste lædas: quod ipse præstare dignetur, qui cũ Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorũ. Amen. Tunc nos gladios vaginis inclusimus, eosque sic reconditos, præcipui dynastæ, qui præsentes aderant, ninurum illustrissimi Galliæ regis, & Reipublicæ Venetæ legati, & Marchio Altempsis, tunc suburbij gubernator, mihi quidem, & Mincio legati, Martino verò, & Iuliano iam valenti Marchio ad latera accinxerunt, summo pontifice ad singulos dicente. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, in nomine Patris Domini nostri IESV Christi: & attende, quòd sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna. Tunc nos surreximus, & gladios è vaginis eductos, ter in altũ de more vibrauimus, terque humi cuspides defiximus, & dextrorum brachiorum manicis eos extergentes, in vaginas recondidimus: significantes eo ritu, nos non dubitaturos educere gladios illos summi pontificis iussu, ad Christianam fidem, & maiestatem Dei, & Domini nostri defendendam, rursusq; ipsos ex eiusdem præscripto deponere, nulli damnũ iniuste inferentes. Tunc quatuor belli duces ad pedes nobis calcaria accõmodarũt, põtifexq;, dato osculo, non sine lacrymis lætitiæ, paternique amoris indicibus, felicissimam pacem nobis est precatus, & in singulorũ colla catenas aureas, cum ipsius expressa imagine benevolentissimè immisit, ensibusq; nostris in manus sumptis, triplici

plici ictu ſingulorū terga tetigit dicēs. Eſto miles pacificus, ſtrenuus, fidelis, & Deo deuotus: & leuiter noſtra ora manu percutiens, addidit. Exciteris à ſomno malitiæ, & vigila in fide Chriſti, & fama laudabili. Hoc modo inſignibus equitum donati, ſummi pontificis pedes oſculati ſumus, ingentes ei gratias pro tanto honore habētes, omnibus, qui aderant, nobis de tanta dignitate gratulantibus. Iam ergo tempus appetebat, quo nobis erat proficiſcendum, cum præpoſitus Generalis Societatis, de noſtrorum negotiorum expeditione cum ſummo pontifice agendum curauit: & Iaponenſis Eccleſiæ neceſſitates, & pericula, quantumq; ipſius pontificis præſidio indigeret, vſque adeò demonſtrauit, vt id ipſum inſinuante clariſsimo cardinali Antonio Caraffa Societatis amiciſsimo, ſummus pontifex reditus quatuor millium aureorum, à Gregorio decimo tertio in viginti annos Eccleſiæ Iaponenſi tributos, non ſolùm ratos, & ſtabiles, ſed additis duobus millibus, perpetuos eſſe voluerit: deinde triplices ſacras veſtes pretioſiſsimas patribus in Iaponia agentibus dono dederit, demumq; literas ſcripſerit amoris pleniſsimas ad reges, & principē, à quibus legati eramus, ſingulisq; regibus enſes vaginis argenteis, & inauratis inclusos, galeros regios, & thecas in crucis formam, cum non paruis ipſius veræ Chriſti crucis reliquijs, principi item Omurenſi gladiū, & ſimilem aliam thecā miſerit. Cùmq; huiuſmodi dona, tum propter ſe, tum etiam propter ſummā mittentis auctoritatē, ab omnibus regibus, & principib⁹ Chriſtianis maximi fieri ſoleant, non mirum eſt, ſi Protaſius noſter Armenſis rex, his acceptis muneribus, mauditā quadam lætitia fuerit elatus: eādemq; ob cauſam, Franciſci regis Bungenſis, & Bartholomæi principis Omurenſis, vtriuſq; de Eccleſia Iaponenſi optimè meriti, diſceſſum è vita ægerrimè tulerimus, quòd huius cōmunis lætitiæ, & gratulationis, quæ in noſtro aduentu fuit, maximam partem in eos redundaturā fuiſſe, cognoſceremus. Illud tamē nos conſolatur, quòd eorum filios, non ſolùm paternarum poſſeſsionum, ſed etiam donorum horum, tantæque lætitiæ, ex Chriſtiana pietate conceptæ, dignisſimos hæredes fore, meritò ſperamus. Sed quod attinet ad ſummi pontificis magnificentiam, tria vlteriùs aureorum millia nobis loco viatici tradi iuſsit, excuſatione adhuc vſus, quod propter pontificatus nouitate, reiq; familiaris, atque æraij, nondum explicatam, & expeditam notionem,

parcè

parce admodum, & tenuiter, vt ipse sibi persuadebat, nobiscum ageret, cum tamen tanta in nos magnificentia vsus fuisset. Scripsit item ad Philippum potentissimum Hispaniæ regem literas cõmendatitias, quibus eum admonebat, vt omnia necessaria ad nostrũ in Iaponiam reditum magnificè nobis subministrari iuberet, quod & ipse egregiè præstitit. Illud verò summi beneficij loco, ad omnia alia tanquàm cumulus cessit, quo summopere maximus pontifex suam erga nos eximiam charitatẽ ostendit. Voluit enim ipse ante nostrum ab Vrbe discessum, priuatum sacrum in suo sacello facere, & proprijs manibus sacrosanctam Eucharistiam nobis tam longum iter facturis porrigere. Quæ res, & ad pietatem, & ad beneuolentiam multò ardentiorem in ipsum summum pontificem nostros animos vehementissimè excitauit. Rebus ergo omnibus expeditis, & Romanis optimatibus tam sacris, quã profanis salute dicta, dominico quodam die quarto Nonas Iulij, summũ pontificẽ adiimus, ex eius sacro ore felix nostri itineris omẽ, exque mãq; salutẽ impetraturi. Tunc ille, quasi amantissimus parens, nouam in nos amoris, beneuolentiæq; argumẽta edidit, quantũq; Iaponenses res illi curæ essent futuræ, miris verbis significauit, sacratisq; multis globis, plurima, & maxima priuilegia ad peccatorũ pœnã remittẽdam, pro ea potestate, quã a Christo habet, nobis cõcessit: nos autẽ ab eo discedẽtes supremi parentis impressam intus in imagine, nunquã omnino ex animis delẽdam in patriã retulimus. LEO. Delector summopere Michael, cùm talia ex te audio: decet enim generosos viros, cùm pro tot beneficijs gratiam referre non possint, eorum tamen memoriam perpetuò conseruare. MICHAEL. Equidem Leo charissime nulla sunt verba, quibus vtriusq; summi pontificis in nos beneuolentiam, charitatem, & magnificentiam explicare possim: satis sit dicere, nos vtriq; patrem nostra indulgentia in teneros filios vtentem inuenisse: vt interim omittam admirationem, summamq; reuerentiam, quã illius dignitatis tanquã supremæ, maiestas, & amplitudo in nostris animis nullo vnquam tempore extinguenda impressit. Quid referã de illustrissimis cardinalibus, de quorum auctoritate, & splendore iam aliquoties dixi? quos omnes sigillatim inuisimus, humanissimosq; in nobis resalutandis summus experti, eorumq; amplitudinem cum singulari quadam pietate, & comitate coluimus: non potuimus non magnoperè demirari: qui profectò

fectò tam apertas, tamq; illustres amoris, & benevolentiæ significationes erga nos, gentemq; nostram dederunt, vt illis omnibus, ac præsertim cardinalibus sancti Xisti, Caraffæ, & Rusticutio, perpetuò nos esse deuinctos fateamur. Quid deniq; addam de patribus Societatis? & vtri eos de reuerendo patre præposito Generali, cuius etiam paternas viscera omnibus in rebus cognouimus, nec potuimus ab eo nisi cũ multis, mutuisque lacrymis, & mœrore diuelli, manifestèq; perspeximus, patrum omnium Societatis, quantumcunq; locis sint diuisi, erga Japonicam nationem eundem prorsus animum, eandemq; charitatem esse. Post discessum ex vrbe Roma, petẽda nobis erat nobilissima alia vrbs nomine Neapolis, quæ quadraginta ferè leucas versus Orientem Roma distat: sed quoniam propter cæli illius aduersam hospitibus æstiuo tempore naturam eò contendere, periculosum erat, votis nostris, multorũq; non potuimus satisfacere: dicam tamen aliquid de ea ex fama, & auctione collectũ, præsertim cùm tam multorum sermonibus eius nomen celebratum, acceperimus. Ea igitur, vt dixi, vrbs Neapolis in regno Neapolitano, quod ab ipsa nomẽ vendicat, constituta est. Pertinet autem regnum hoc ad iurisdictionem Philippi regis feudi iure, vt vulgò dicitur, annuumq; tributum summo pontifici tanquã proprio domino persoluit. Numeratur quidẽ Neapolis inter nobilissimas Europæ vrbes, & cùm nulli sit inferior, loci tamen amœnitate, dynastarumq; multitudine omnes alias superat. Nã quod attinet ad dynastas, illustresq; viros, mirus est profectò eorũ numerus: cùm in eo regno tredecim principes, viginti octo duces, marchiones ferè totidem, comitesq; non pauciores, omnesq; simul, qui sunt titulo insignes, domini centũ circiter numerẽtur. Cùm autẽ hi ferè omnes Neapoli sedes habeãt, vbi prorex est, Philippi regis nomine totũ illud regnũ gubernãs, incredibilis profectò est vrbis illius frequentia, & ornatus: solent nanque omnes illi optimates, & famulari apparatu, & equorũm, lecticarumq; curulium multitudine ita ornati incedere, vt per totã illã vrbẽ, ciuisq; optimè stratos vicos equitũ exercitus ferẽ semper progredi videatur. Tota verò hæc multitudo tam pretiosis vestibus, ex serico, ex auro opere Phrygio elaborato, ex lana deniq; tenuissima, similiq; materia vtitur, vt propter ciuium elegantiam, & venustatem, Neapolis elegantis, & venustæ nomen sibi vendicauerit. Cùm hac elegantia coniuncta est ædificiorũ ampli-

amplitudo, quæ siue sacra, siue profana opere magnificentissima sunt, numero quàmplurima: cùm vnusquisque dynasta palatium amplissimum habeat, & ex omnibus religiosis familijs homines cœnobia incolant ornatissima: adeò vt vrbs hæc soli Romæ templorũ multitudine cedat: & patrum Societatis tria in ea sint domicilia, domus videlicet professorũ, collegium, ac domus tyrocinij, in quibus ferè ducenti socij viuunt, domiciliorumq; ædificia habent commodissima: inter quæ domus professorum templum, quod modò ædificatur, admirabilis est structuræ. Vrbis eius, regnique totius Neapolitani, vt dixi, ad administrationem tenet prorex ex nobilissima aliqua Hispaniæ familia, qui, cùm ciuitas illa dynastarum multitudine sit referta, non minorem maiestatem, quàm rex potentissimus in curia sua præ se gerit. His igitur de causis, atque alijs breuitatis gratia à me omissis, Neapolis celebre nomen habet, & à nobis absque dubio esset adeunda, nisi superiùs à me dicta caula impedimẽto fuisset. Etsanè non frustra susceptus fuisset labor ille, vt multis satisfaceremus, qui Neapolim, vt accederemus, rogabant, nobisq; temporis importunitate impeditis, iucundissimi aspectus haud exigua fuisse iacturã affirmabant. Relicto ergo Neapolitano itinere, tertio nonas Iunij recta via Lauretanæ Virginis templum contendimus, quod situm est in quodam oppido, à Laureto nomen habente. In hoc itinere multas ingressi sumus vrbes, ad peculiarem iurisdictionem summi pontificis pertinentes, præsertim Narniam, Interamnã, Spoletum, Fulginium, Assisium, & Perusiam: in quibus omnibus à ciuibus honorificentissimo comitatu, multiplicique tintinabulorum, ac tormentorum bellicorum sonitu excepti sumus, atque à gubernatoribus, & magistratibus ciuitatum splendidissimè habiti: quod vt facerent, à summo pontifice per literas fuerãt admoniti, adeòque diligenter id præstiterunt, vt etiam ipsarum vrbium claues tanquã propriis dominis aliquoties nobis fuerint oblatæ. In his omnibus locis multa tum sacra, tum profana vidimus relatu digna, quæ prætereo, ne eadem sæpe repetere videar. Non tamen æquum est, vt Diuũ Franciscũ Assiniatem omnino reticeam, cuius sanctitas admirabilis per totam Christianã Rempublicam multis, certissimisq; testimonijs prædicatur, constatq; ex amplissima familia, quam instituit, in qua tam illustres, & religione præstantes viri floruerunt, quorum factis quoniam referendis

tissimi

tiſsimi ſunt libri, non eſt quòd hoc loco illa recenſeã. Eſt igitur Aſsiſij ſacrum Diui Franciſci cadauer, ſtatq; inſtar viuentis, vt multi affirmant, nec enim eius videndi nunc fit copia: cõſeruatq; adhuc recentia illa ſtygmata, quæ amoris cauſa Chriſtus eius manibus, pedibus, ac lateri imprimi voluit, vt ſeruum fidelisſimum ſibi quàm ſimillimum redderet. Spectantur tamen non nulla eius monumenta, ciliciũ videlicet, quo carnẽ macerabat, liber, quo ſacras preces recitabat, alia que ſimilia, quibus conſpectis animi intuentium ſummoperè commouentur. Eſt in eadem vrbe Diuæ Claræ etiam corpus venerabile, quæ eandem Diui Franciſci diſciplinam ſecuta, multas honeſtiſsimas virgines cæleſti ſponſo coniunxit, multorumq; parthenonum fuit inſtitutrix: in quibus eadem viuendi ratio cũ ſumma Chriſti gloria, Chriſtianæq; Reipublicæ vtilitate, & laude perſeuerat. Eodem itinere quoddam oppidum tranſiuimus, nomine Montem falcum, vbi ſummoperè lætati ſumus aſpectu ſacri cadaueris Sanctæ alterius Claræ, ab eodem oppido cognomen habentis, cuius venerandum cadauer præterquàm quòd incorruptũ, atque integrum adhuc extat, cor etiam eſt Chriſti cruci affixi, aliorumq; myſteriorũ imaginibus inſignitum. Præterea in eodem corde tres globi ſunt inuenti magnitudine, & forma quàm ſimillimi, quibus ea eſt addita ſupra naturam vis, vt triũ ſimul, ac ſingulorum idem omnino ſit pondus, nullumq; ſit diſcrimen, ſi in alteram lancem vnum, in alteram verò duos conijcias, rurſuſq; omnes ſimul in eandẽ conferas. Qua in re manifeſtè cognouimus ſanctiſsimæ Trinitatis ſignum indicari, cuius ſiue ſingulæ, ſiue tres ſimul perſonæ eadem natura, poteſtate, & maieſtate pollent, quod altiſsimum myſterium fidei noſtræ Diua hæc in primis animo venerabatur. Peruſiæ, quæ vrbs eſt etiam nobilis, non potuimus non tres dies morari: tanta enim fuit Peruſinorum ciuium erga nos beneuolentia, tantaq; amoris ſignificatio, vt Romam vſque nuntios miſerint, per quos à nobis ſummis precibus poſtularunt, ne Peruſiam inſalutatam tranſgrederemur. Verbis autem explicari haud facilè poteſt, quàm humaniter, & magnificè apud illos fuerimus diuerſati. Ibi etiam illuſtriſsimi cardinalis Spinolæ ſummi pontificis legati maximam benignitatem, & comitatem ſumus experti, qui, præter alia amoris argumenta, domi ſuæ apparatiſsimo conuiuio nos excepit. Nec minùs benuolè à patri

bus Societatis, in quorum collegio nobis erat hoſpitium, habiti ſumus, multarumq; rerum aſpectu recreati, quæ prudens omitto, ad Lauretanam domum properans. Tranſiuimus eodem itinere Camerinum, Tolentinum, Maceratam, Recinetum, quæ etiam vrbes ſub iuriſdictione ſummi pontificis ſunt, & vehementer ſumus mirati, tam frequentes vrbes, & tam celebres in Italia eſſe: in quibus omnibus ciuium beneuolentiam, perhoſpitaleſq; erga nos animos ſumus experti: præſertim illuſtriſſimi cardinalis Geſualdi ſummi pontificis legati, qui nos in vrbe Camerino, & Tolentino, lautis, ſplendidiſq; conuiuijs excipiens, omni officij, & amoris genere proſecutus eſt. Pridie idus Iunij ad Beatiſſimæ Lauretanæ Virginis oppidum, templumq; celeberrimum peruenimus, quod meritò per totam Chriſtianam Rempublicam nominis claritate viget: ſeruatur enim in eo templo auguſtiſſima illa, & ſanctiſſima domus, quam caſtiſſima Virgo Maria incolens, dum in oppido Galileæ nomine Nazareth habitaret, à Gabriele Archangelo ſalutata eſt, & feliciter antecedente nuntio, diuinum illum fœtũ, hoc eſt, æterni Patris Filium, mirabili vinculo ſibi naturam humanam aſtringẽtem concepit. Hæc ergo domus, vt certiſſimis teſtimonijs eſt traditũ, poſtquàm Virgo Beatiſſima in cælum conſcendit, integris parietibus, ac tecto, quod mirabile admodùm eſt, primùm quidem in Illyricum Europæ prouinciam, deinde in Italiam ab Angelis translata eſt. Cùmque aliquandiu non longè ab eo loco eſſet, in quo nunc religioſiſsimè colitur, propter dominorum fratrum diſcordiam, qui de eleemoſynarum lucro, quarum ibi magna erat copia, mutuò contendebant, tandem ab eiſdem Angelis ad Lauretanum oppidum fuit traducta. Quas ob cauſas inter omnia templa integerrimę Virginis, hoc vnum præter cætera à Chriſtiano populo in ſumma religione habetur, & frequentiſſimè inuiſitur. Eſt quidem domuncula illa ſacra ex lateribus coagmentata pro ea tenuitate, in qua Virgo, dum inter mortales eſſet, viuebat: nunc verò externo opere artificioſiſsimè è marmore confecto, ornata, ita tamen, vt nunquàm noua hæc fabrica, quantùmuis pretioſa, cum illa veteri in vnam potuerit coaleſcere. Temporis progreſſu, religione indies magis procedente, nobiliſsimum quoddam ibidem templum extructum eſt, in cuius medio adyto ſacra illa domus, ſiue ſacellum cuſtoditur, & religioſiſsimo ipſi in ſuperiore tecti parte imminente

nente cooperitur. In eodem ſacello ara eſt multis ſummorum pontificum priuilegijs donata: poſt quam videre adhuc licet focum illũ cũ ſuo vaporario, in quo Beata Virgo ignem accendere, & dilecto filio victum parare fuit ſolita, quem Chriſtiani omnes non ſine magno animi ſenſu intuentur. Habet eadem ara puriſsimæ Virginis ſimulacrum à Diuo Luca, vt creditur, artificioſiſsimè confectum, & ex aduerſo ianua quædam eſt, qua Gabriel Angelus ad eius ſacrum cubiculum ingreſſus dicitur. Vix credi poteſt, quibus victoriarum trophœis, quibus naufragorum tabulis, quibus captiuorum catenis, quàm varijs deniq; alijs miraculorum monumẽtis templi illius parietes ſint ornati. Quid agam de ampliſsimis eius reditibus, qui triginta aureorũ millibus æſtimantur? præter quotidiana munera, quæ rurſum eandẽ ſummã quotãnis explent. Quid de ſacerdotũ, cantorumq; frequentia, ſolenniq; ritu, quo preces diuinæ recitantur? Quid de ſupellectili pretioſiſsima, cuius eſt in ſacris vſus, ſiue veſtem, ſiue vaſa, aliaque inſtrumenta conſideres? Quid denique de frequentiſsimo hominum numero, peccatorum maculas eluentium? quibus vt expeditiùs ſatisfiat, præter multos ſacerdotes ordinis Diui Petri, eidem templo addictos, viginti quatuor ex Societate, his, qui Romæ pœnitentiarij dicuntur, poteſtate pares, ſemper adſunt, ex collegio eiuſdem oppidi, vbi quadraginta Socij aluntur ex eiuſdem templi reditibus. LEO. Multis de cauſis vos felices hactenus dixi, ſed hæc felicitas non eſt inter poſteriores enumeranda: quòd tam multa antiquæ religionis veſtigia, totq; Beatiſsimæ Virginis, aliorumq; ſanctorum reliquias tam religioſe ſeruatas, tot miraculis celebres, veſtris oculis fueritis intuiti. MICHAEL. Iure optimo felices oculos appellas, qui talia, tam lõgo peragrato itinere, conſpicere potuerunt, præſertim cùm nulla ferè vrbs fuerit, in qua alicuius Diui, Diuæq; reliquias non fuerimus venerati. Sed dum alia vobis auditu fiam iucunda commoro, ne narrationem diu proferam, volo multa ex ijs ſilentio præterire, quæ tamẽ ex libris alijs à nobis allatis facilè cognoſcentur. Quapropter liceat mihi per vos reliquã itineris partẽ paucis adhuc colloquijs referre, dum modò tamen hodiernũ ſermonẽ ſolita quiete intermittamus.

De tranſitu aliarum vrbium, præſertim Anconæ, Bononiæ, Ferrariæ, Veneti arumq;, & rebus ibi conſpectis. Colloquiũ vigeſimũ ſeptimũ.

LEO.

NVllus profectò erit ſanæ mentis, qui audiens, quanta celebritate, hominumq; frequentia per totam Europam fueritis excepti, non magnopere obſtupeſcat, & Europeam gentem ſuauiſsimis eſſe moribus, incredibili vrbanitate, ſingulari deniq; in omnes charitate, non fateatur. Vt enim omittã lætitiam illam, qua ſummus pontifex perfuſus, pluſquàm paternum erga vos amorem oſtendit: quis non miretur, gratulationem eam cõmunem fuiſſe omnibus populis, ciuitatibus, principibus, per quorum ditionem iter faciebatis? MICHAEL. Equidẽ ſi, vt vulgari prouerbio dicitur, vox populi idem ſentientis, vox diuina iudicanda eſt: tanta fuit omnium in nobis excipiendis gratulatio, vt nõ humano aliquo ſtudio, ſed Diuino inſtinctu permotos populos illos, ad nos videndos conuenire, turmatimq; confluere, nobis perſuaderemus. Pergam igitur vlteriùs, & quanta etiam iucunditate apud aliarũ multarum vrbium ciues diuerſati fuerimus, quàm breuiter potuero, vobis exponam. Profecti ergo ex Lauretano oppido, vbi non diutiùs morari tantùm, ſed vitam agere optauimus, atque ab aſpectu illius religioſiſsimi templi, ſi fieri poſſet, nunquàm diuelli, Bononiam petere decreuimus, vt poſteà Venetias vrbem clariſsimam pergeremus. Obtulerunt ſe ſe in hoc quatridui itinere multa videnda oppida, multæq; vrbes, quarum tanta eſt celebritas, vt de ſingulis curſim facta mentio integrũ colloquium requirat. Sed quoniam in noſtri reditus commemoratione breuitati ſtudendũ duxi, quæſo, vt aliquarum rerum ſilentium boni conſulatis. Vidimus ergo in hoc curſu celebrem vrbẽ Anconã agri Picenimetropolim, à qua etiã totus ager Marca Anconitana dicitur,

dicitur,&ſub iuriſdictione ſummi pontificis eſt,cuius ciues in nobis excipiendis,non parum lætos,hilareſq; ſe præbuerunt,nihilq; ſiue ad pōpam, & apparatum bellicorum inſtrumentorum, ſiue ad artis muſicæ ſymphoniam,ſiue denique ad hoſpitij magnificentiam attinens, prætermiſerunt. Nec verò multiplicis ſpectaculi materia, profana,& ſacra æ dificia, ſanctorum reliquias, aliaq; contemplandi nobis defuit. Poſtero die tres alias vrbes vidimus, Senogalliam, Fanum, & Piſaurū, mediam quidem ad iuriſdictionem ſummi pontificis, duas verò alias ad Vrbinenſem ducem attinentes, qui dux nulli regi ſubeſt, annuum tamen vectigal ſummo pontifici perſoluit. Senogallia, Fanoq; non ſine magna ciuium alacritate tranſitis,Piſauri pernoctauimus, vbi ducis Vrbinenſis conſanguineus quidam,Marchio videlicet Roborenſis, ipſius ducis nomine,cum equitatu nobis obuiam proceſsit, & vſque ad palatium ducis detulit, in quo idem dux ex venatione rediens humaniſsimè,& honorificentiſsimè nos habuit, ſeque & omnia ſua officioſiſsimè nobis obtulit: ſed quoniā Brigiani ducis hoſpitio occupatū reperimus,abeo diſcedentes poſtridie tres alias vrbes Ariminum,Ceſenam, & Forum Liuij adijmus,quarum omnium lætitiam ex noſtro aduentu acceptam, vt prætermittam, in collegio quodam Societatis, quod poſtremā harum habet, magnoperè recreati ſumus. Sequenti die Imolam aliam vrbem non parum celebrē tranſiuimus, cuius etiā ex noſtro acceſſu gratulationem prudens prætereo. Omnes nanq; hæ ciuitates,nobis conſpectis,tali lætitia triumphabant, vt ipſæmet vrbes cum mœnibus, ſuis ſedibus relictis,nobis obuiam prodire velle videre tur. Decimo quarto Calendas Iulij Bononiam celebrem etiam vrbē, & Æmiliæ prouinciæ metropolim ſumus ingreſsi,quæ ſicuti prima eſt, ac præcipua in ea prouincia,voluerūt etiam eius ciues applaudū ſuo,ac celebritate cæterarū eiuſdem prouinciæ vrbium incolas ſuperare. Ad hoc non parum contulit duorum illuſtriſsimorū cardinalium,Paleotti, & Saluiati præſentia, alterius quidem archipræſulis Bononienſis, alterius verò ſummi pontificis legati, quorū familiæ, præter multos equites vrbanos,nobis obuiam proceſſerūt. Fuit autē tanta in hoc ingreſſu hominum nos excipientium frequentatio, vt vltra equos,centū lecticæ curules fuerint numeratæ: vnde vrbis huius magnificentiam poteſtis conijcere.Ab vtriuſq; cardinalis familiaribus,eorum nomine inuitati-

mitati ſumus, vt ad ipſorum palatia diuerteremus: ſed nos neutrum offendere volentes, collegium Societatis, quod in ea vrbe eſt, rectà petiuimus. Non tamen deſiderata eſt cardinalis legati magnificentia, qui perſonã ſummi pontificis in ea vrbe agens, eius etiã benigniſsimos mores imitari voluit, & quandiu in ea vrbe fuimus, omnia ad victũ pertinentia abundantiſsimè ſuppeditauit: nec minorem amoris ſignificationẽ cardinalis Paleottus archipræſul nobis oſtendit, à quo etiam ad prandium, non tam lautè, & ſplendidè, quàm parcè, & frugaliter paratum, quali ipſe ſemper vtitur, vocati ſumus. Hic enim ea eſt virtute, & humanitate præditus, vt inter reliqua ſanctitatis argumenta, quibus præclarum ſui exemplum omnibus præbet, hoc maximè eluceat, quòd in cõmuni cœnatione, inſtar religioſorum hominum, cum domeſtica familia veſci ſoleat: cuius benignitatẽ, vitãq; ſanctiſsimam magno perè, & meritò ſumus admirati. Interfuimus etiam habitæ tum temporis ſupplicationi, qua ſanctiſsimi corporis Chriſti memoria pie recolitur, & in eius pompa, atque ornatu, nihil, quod ad magnificentiam, varietatem, Chriſtianamq; pietatem pertineret abeſſe, cognouimus. Nam præter alia, legatus ipſe ſacræ Euchariſtiæ pixidem detulit, noſq; virgas illas, quibus papilio ſacram capſulam, ſacerdotemq; tegens fulciri ſolet, aliquo ſpatio deportauimꝰ: mox eas alijs nobilibꝰ tradẽtes, & cardinalis archipræſulis vtrũq; latus ſtipãtes, cum ornatiſsima illa pompa ad locum deſignatum proceſsimus. Vidimus in hac vrbe ſumptuoſiſsima opera, præſertim ſacra: vidimus multas ſanctorum reliquias: vidimus deniq; Beatæ Catharinæ Bononienſis, iam ante ducentos annos mortuæ, ſacrum cadauer incorruptum, quodque admirabilius eſt, ſedens, &, vt fertur, neruorum vi tantoperè conſeruata, vt manus, pedeſque viuentis motum mirabiliter imitentur. Ex hac vrbe decimo Calendas Iulij profecti, Ferrariam vrbem nobilem ad Ferrarienſis ducis iuriſdictionem pertinentẽ contendimus. Eſt autẽ Ferrarienſis dux vnus ex his, qui immunem, & à regum dominatu liberam poteſtatem exercent, ſummo tamen pontifici vectigalis eſt. Cùm igitur dux hic nos aduentare ſciret, Biuilaquæ comitem ſibi ſubditum nobis obuiam prodire iuſsit, quẽ quinquaginta equites comitabantur. Aderant præterea quinq; lecticæ curules, optimè compoſitæ, quas vlterius velitum centuriæ aliæ, atque aliæ ſequebantur. Nobis verò iam ad muros appropinquan-

pinquentibus, Alphonsus Atestinus ducis ipsius patruus, summæ autoritatis vir, obuium sẽ obtulit, nostramq; lecticam curulem benignissimè ingressus, ad palatium vsque ducis comitatus est. Mulas ergo equitibus, multorumque nobilium lecticis, quasi quodam expeditissimo exercitu stipati, vrbis mœnia introiuimus, & ad palatium vsq; ducis delati, eundem ad impluuiũ descendentem cum summa hilaritate obuiũ habuimus. Qui cùm lætitiam ex nostro aduentu animo conceptã, multis, ijsq; officiosissimis verbis significasset, ad hospitium quoddã magnificentissimè apparatũ, quo non multos ante annos regem ipsum Galliæ exceperat, nos è via deductos ad requiescendum detulit. Huius profectò ducis affabilitatem, morumq; suauitatem, cum ipsius amplitudine, ac nobilitate certantem experti sumus. Has autem omnes res non parum exornant admirabilis ipsius opulentia, peculij, & supellectilis splendor, palatij artificiosissimè ædificati magnitudo: quæ omnia conspecta summoperè admirati sumus, eumq; vix Europeis regibus cedere cognouimus. Habet enim, vt constans fama est, annuos reditus septingentorum millium aureorũ, & quinquies millies sestertiũm, & eò plus in thesauro repositum, sicut de magno Hetruriæ duce diximus. Habet item Christi, duodecimq; Apostolorum insignes statuas, ex solido auro conflatas, admirabilemq; abacũ, quem ipsi vidimus, tam multis vasis aureis, atq; argenteis refertũ, vt nihil in regibus ipsis splendidius desiderari possit. Erat enim in quodã eius amplissimo atrio pluteus totius atrij longitudinem capiens, graduq; quamplurimos, vsque ad ipsum laquear contineus: totusq; innumeris operibus ex auro, & argento egregiè confectis, plenus. Inter hæc autem opera, primum locum iuxta pauimentum occupabant quinq; fontes, ex argento inaurato miro opere confecti, quorum artificium cum materia contendere videbatur. Hæc autem omnia opera eo pluteo inclusa non ad communem vsum, ad quem alia quamplurima designata erant, sed ad maiestatem quandam, magnificentiamq; ostendendam pertinebant. Huius suæ lectilis, domusq; splendorem, famulitij apparatus, qui regius ferè est, prorsus adæquat. Id autem vel ex eo cognosci potest, quòd dux hic illustrissimus, non solum in palatio nobilissimos famulos, sed etiam sub sua ditione, quæ amplissima est, comites, marchionesq; habeat. In hac vrbe tres dies morati sumus, quibus vbra

aliquos

aliquos cum duce iucundos, hilaresq; congressus, ducis vxorem clarissimam fœminam, eiusq; sororem Vrbini ducis coniugem inuisimus, quæ nostro conspectu mirum in modum lætatæ sunt,& honorificentissimè,ac perhumaniter se nobiscum habuerunt. Rusticati item sumus, villam quandam amœnissimam ipsius ducis, omnibus, quæ ad voluptatem,deliciasq; optari possunt, abũdantissimam adeuntes: cuius descriptionem non est modò, quòd à me requiratis, cùm ex multis alijs iam propositis, conijci facilè possit: quibus tamen locis,hic de quo est sermo,nequaquàm cedere censendus est. Vidimus in eo itinere eiusdem ducis equile amplissimum,centum,& quinquaginta equos,quosdam ad deambulandum aptos,alios ad bellum idoneos, nonnullos saltandi peritos, multos desultorios, alioq; diuersi generis ex varijs prouincijs,regnisq; selectos, continens. Vltra quæ loca, delati sumus etiã ab ipso duce ad alia, quæ venationi erant aptissima,qualis est quidam nomine Pareus, alius vulgò Montagnola, in quibus nec vmbrosissima nemora,nec multiplicis generis feras,nec ad venandum opportunitatẽ vllã desiderauimus:quib⁹ ónibus ferè in locis,ipsa ducis vxor,cũ aulicis puellis, matronisq; alio itinere progressa, maioris beneuolentiæ causa semel, atq; iterum occurrens, perhumaniter nobiscum egit. Non omittã iucunditatẽ illã, qua affecti sumus ex aspectu sacelli cuiusdam, in ducis palatio extructi, quod operis pretio, sanctarum reliquiarum multitudine, vestis sacræ ornamento, imaginũq;, præsertim cuiusdã Christũ seruatorem nostrũ exprimentis, admirabili pictura nobis insigne visum est. Postremò illud dixerim, cum tanta huius ducis amplitudine summam coniunctam humanitatem nos sumopere sibi deuinxisse, & eius magnifici, perhospitaliq;, animi memoriam in nostris mentib⁹ adhuc insidere.Vidimus in eadem vrbe multa,operosissimaq; templa, & inter ea,collegium Societatis,in quo dux ipse hospitio nostro delectatus,nos commorari non est passus. Ex totius autem vrbis aspectu, eam vnã esse ex vniuersæ Italiæ munitissimis, intelleximus. Nam præterquàm quòd muris, turribus ,propugnaculisq; frequentissimis sit cincta,in eo situ est, qui facilè circumquaq; leucam integram fluuij Padi aquis,& æstuarijs obrui, atq; operiri potest: quæ quidem res eam ferè inexpugnabilem reddit, accedente etiam tormentorum,aliarumque militarium machinarum infinita propè multitudine. Duci,vxori,alijsque no-

que nobilibus Ferrarienſibus ſalute dicta, ſeptimo calendas Julij vrbe hac profecti, recto itinere Venetias contendimus, per celebratiſsimum fluuium nomine Padum, ſiue Eridanum nauigio ipſius ducis nomine Bucentorio, artificioſiſsimè confecto, commodiſsimè vecti. Erat autem hoc nauigium ita elaboratum, vt potiùs domus optimè ædificata, quàm nauis videretur: ſupra toros namq;, remigumq; ſedes quandam habebat contignationem, in qua vnum atrium non mediocre, duoq; cubicula auro, picturis, periſtromatis, lautiſsimaq; ſupellectili ornata continebantur: vbi vectores opportunè quieſcere poterant, & quauis alia iucũda occupatione diſtineri, remigibus nequaquàm à ſuo munere impeditis. Hoc nauigium tria alia ſequebantur, primũ milites, tormenta bellica, muſicaq; inſtrumenta non pauca vehens: ſecundũ ea, quæ ad penum, tertium, quæ ad culinam neceſſaria erant, deportans. Quorum duo poſtrema, cùm primùm prandij tempus appetijt, ad noſtrum nauigium diligenter ſunt admota, & à ducis famulis tam elegans, lautumque conuiuium nobis apparatum eſt, quàm adhuc in eius palatio morantibus extrui poterat. Vnde non eſt mirum, ſi toties, tam multisq; verbis Europeam magnificentiam vobis cõmendemus. Poſt breuẽ, iucundamq; huius amœniſsimi fluuij nauigationem, ad vrbem nomine Clodiam, ſiue foſſas Clodias, in Venetæ iuriſdictionis finibus ſitam, appulſi ſumus: ex qua gubernator leucam integrum ante ipſius portum nobis obuiam proceſsit, nauicula ſerico cooperta vectus, & quã officioſiſsimè proſperum acceſſum nobis fuit precatus: quaſiq; benigniſsimi hoſpitij lætum, felixq; auſpicium præmittens, nomine ſenatus Veneti nos ad idem nauigium conſcendendum perhonorificè inuitauit. Eiuſdem ciuitatis epiſcopus non minori benevolentia nobis obuius factus eſt, ſacerdotes quàm plurimos, virosq; ſacra dignitate pollentes in comitatu habens: quibus omnibus ſtipati portum vibis tenuimus, & è nauigio deſcendentes populi confluentis acclamatione, ſclopetorum, tormentorumq; læto ictu, tympanorũ, & tibiarum iucundo cõcentu, excepti ſumus: ſtatimq; in prima vibis area varijs ex ſulphureo puluere confectis operibus, admoto ſtrenuè, & diligenter igne ſummoperè recreati. Poſtquàm ad publicum palatium ventum eſt, epiſcopus ipſe gratulationis ergò tum de noſtro aduentu, ciuitatisque lætitia, tum etiam de laudibus patrum Societatis, quorũ ductu iter hoc à nobis

bis ſuſceptum eſt, luculentam orationem habuit. Ea nocte in eodē pa latio, ijs, quæ ad cœnam, quietemq; pertinebant, apparatiſsimè extructis, cōmorati ſumus. Poſtero die eodem epiſcopo, gubernatore, alijſq; no bilibus comitati, Venetias petiuimus: ante cuius vrbis ingreſſum, ad in ſulam quandam Diuo Georgio dedicatam, tormentorum bellicorū m crebro ictu, militumque, qui in triremibus erant, clamore ſumus falu tati. Vlteriùs ad inſulam Spiritus ſancti inſigne habentem, quadraginta patritij Veneti ex grauiſsimo, vt vocant, Prægadij concilio, talaribus veſtibus ex gauſapino, & ſerico raſo coccinei coloris induti, nobis oc currerunt: inter quos primum locum obtinebat patritius quidā, ex no bili Lippomanorū familia, qui nomine totius ſenatus Veneti, honorifi centiſsimis verbis nobis de aduentu gratulatus eſt. Vehebantur patri tij viri lintribus quibuſdam, quas illi Piattas vocant, multis pretioſiſq; tapetibus contectis, & ad hoc peculiare munus, grauium, & illuſtrium hoſpitum excipiendorum deſignatis. His ergo ſocijs, & itineris duci bus, Venetias vrbem tantopere in Europa celebratā, maximo, vt ap pellant, oſtio, atque alueo feliciter ingreſſi ſumus, eandemque mediā populi, ciuiumq; admirabili numero refertam traiecimus, & homi num multitudinem, operum magnificentiam, totiuſque vrbis maieſta tem conſpicati, facilè cognouimus, quàm meritò vrbs illa celeberrimū nomen in tota Europa obtineret. Ab ijs patritijs viris domum profeſſo rum, quam Societas IESV in ea vrbe habet, delati ſumus, & à patri bus mira alacritate, gratulationeq; accepti, ipſiuſq; Reipublicæ expen ſis, decem dies, quibus in hac vrbe morati ſumus, magnificè, libera literque habiti. LEO. Multa equidem de iſta vrbe, ac Republica Vene ta, fama, & auditione accepimus, quibus fidem non omnino adiungē dam, nobis perſuadebamus: præſertimq; illud vix credibile videbatur, iſtius vrbis ampliſsimæ fundamenta in ipſo mari eſſe facta, eius longiſsi mos vicos non pedibus, ſed cymbis percurri, nec deniq; deeſſe circos latiſsimos, quib' mœnia illa optimè extructa nobilitarentur. MICHA EL. Multa vos audiuiſſe credo de huius vrbis nobilitate, non tamen verba vlla inueniri poſſe exiſtimo, quæ rei ipſius præſtantiam aliqua ex parte poſſint attingere. Quæcunque igitur dixero, vrbis ipſius, & Reipublicæ dignitate longè inferiora eſſe, velim, in animum inducatis. Atque illud inprimis, quod attigiſti, admirabile eſt, quoniam funda-

menta

menta huius vrbis, non in monte aliquo, aut viuo lapide, ſed in ipſa maris aqua ſint poſita, ita vt non ſolùm tota mœnia mari alluantur, verùm etiam domus hinc, atque inde extructæ, & velut ad amuſsim, & libellam diſpoſitæ, mari intercepto, vicos quoſdam rectiſsimos, longiſsimoſque conficiant. Nec tantùm ſitus hic eam vrbem admirabilem, celebremque reddit, ſed etiam ſummoperè munitam, hoſtibuſque ne quaquàm peruiam. LEO. Agè iam explica Michaël, quî fieri potuerit, vt iſta vrbs in ipſomet mari ædificaretur, aquarum æſtu moles, atque opera nequaquàm obruente? MICHAEL. Res quidem aſpectu iucunda, & admirabilis, explicatu verò admodùm eſt difficilis. Proponã tamen, quàm dilucidè potuero, huius vrbis formam, ſitumque ſub aſpectum veſtrum ſubijciam. Contemplamini igitur animis hinc continentem, inſtar ſemicirculi, aut arcus porrectam, illinc verò vadoſa loca, ſiue arenarias figuram chordæ obtinentes: ita tamen, vt medium ſpatiũ ampliſsimum eſſe, multaſque inſulas complecti intelligatis. In eo igitur medio ſinu ex vna parte continentem, ex altera arenarias illas attingente, partim quidem vadoſo, partim profundiore, nobilis hæc vrbs mirabiliter eſt ædificata. Diſtat autẽ à continente quinque milliaria, duo verò ab arenoſis illis locis, de quibus dixi. Sed quoniam ex continente ſeptem fluuij in hunc ſinum maris influunt, conſeruato curſu ſuo, per medias illas arenas ſeptem ſibi oſtia in latiorem maris planitiem parefaciunt, in quibus ſeptem veluti portus ad naues appellendas, ingreſſumque ad vrbem, & egreſſum, ars, naturæ maximo adiumento, fabricata eſt. Hinc facile colligere poteſtis, quàm munita, & inexpugnabilis ſit hæc vrbs, cùm nullis alijs muris, quàm vadoſis locis continentem verſus, & ſyrtibus illis ad mare protentis, omnino ſepiatur: quibus addita munitiſsima propugnacula, quæ oſtia illa, portuſque tuentur: adeò vt nullum ſit nauigium, quod cuſtodias, tormentaque poſsit effugere. Hinc etiam liquidò patet, quãta ſit eius vrbis commoditas, vt rebus omnibus ad victum, cultumque neceſſarijs abunder, quæ vel ex continente ſeptem fluuijs, vel ex alijs regnis, & prouincijs valde diſsitis, in celeberrimum illud emporium importari poſſunt. Quo fit, vt hac opportunitate ductæ gentes, nationeſq; multæ Europeæ, ſiue mediterraneæ, ſiue tranſmarinæ, Venetias frequentiſsimè confluant. Quid de eiuſdẽ ciuitatis, & Reipublicæ adminiſtra-

niſtratione dicam? qua non minùs inter cæteras principem locũ obtinet. Cùm enim Reipublica hæc libera omnino ſit, atque immunis, nullique regi obtemperans, multas, variaſque prouincias, vrbes, & oppida ſub ſua poteſtate habet, tamque egregiè hæc omnia adminiſtrat, vt cum regibus collata, nequaquàm poſteriores partes tenere dicenda ſit. Imò verò, ſi antiquitatis memoriam breuiter replicare velimus, inueniemus profectò, clariſsimam hanc Rempublicam cum multis potentiſsimis regibus, varijs de cauſis bella grauia olim geſsiſſe, ijſq; confectis, & profligatis, ſemper in florentiſsimo ſtatu ſuo permanſiſſe. Hæc eadem immaniſsimos Turcarum, atq; Maurorum tyrannos maximis exercitibus Chriſtianæ reipublicæ vaſtitatem, excidiumque minitãtes, fregit, ac retardauit, iuriſdictionis ſuæ fines longè, latèq; protulit, & in medijs barbaris gentibus dominatum ſuum diutiſsimè conſeruauit. Vt autem peculiare aliquid de adminiſtratione huius Reipublicæ dicam, ea eſt omnino apud patritios, ac nobiles viros, nemine ex populoribus ad eam admiſſo: atq; in hunc modum mille, & ducentos abhinc annos prudentiſsimè ſemper gubernata eſt. Patritij, qui eius adminiſtrandæ curam gerunt, ſunt ad tria millia, cum quibus de cuiuſcunq; momenti rebus deliberatur, & vel in eadem vrbe, vel in alijs locis munera, magiſtratuſq; obtinent. Horum omnium patritiorũ conuentus in tres diuiditur. Primus continet omnes eos, qui vigeſimum quintum annum iam egerunt: etſi nonnunquàm ante hanc ætatem locus aliquibus ad hunc conuentum pateat, à quo munera omnia, magiſtratuſq; maturo conſilio diſtribuuntur. Secundus adhuc cõtractior Prægadij Senatus nuncupatur, in quo plures ducentis numerantur, in eoq; de rebus maioris ponderis, & momenti, ſiue ad pacẽ, ſiue ad bellum pertineant, agitatur. Tertius deniq; collegij nomen habet, conflaturq; ex primarijs magiſtratibus, & cõſiliarijs, qui numero ſunt ſeptem ſupra decem, ſummamq; autoritatem in ea Republica obtinẽt. His omnibus Reipublicæ huius præcipuis membris præeſt, præcellitq;, inſtar ſupremi capitis, dux illuſtriſsimus, qui principis locum in ea Republica tenet, cuius nomine negotia expediuntur, nũmiſma cuditur, penes quem deniq; totius adminiſtrationis præcipua poteſtas eſt. Cùm dux hic tanta autoritate valeat: hoc tamen à rege differt, quòd nihil ferè alicuius momenti arbitratu ſuo, ac iudicio gerere poſsit, ſed omnia

ad ſena

ad ſenatores triũ illorũ conuentuũ, fideliter referat, & cum illis res omnes alicuius ponderis decernat. Quod ad veneracionem tamen attinet, in qua apud omnes eſt, eius profectò dignitas regia non eſt inferior. Vltra hunc triplicem ordinem, de quo dixi, multi ſunt magiſtratus, multaq; munera, quæ varijs patricijs deferuntur, ita vt ex inferioribus ad ſuperiora gradatim aſcendatur: & qui rectè impoſitam ſibi perſonam ſuſtinent, pluribus honoribus cumulentur, qui verò diſſolutè, atq; improbè ſe gerunt, graues ſuorum criminum pœnas luant. Inter hos patritios mos eſt, vt longis, & nigris veſtibus vtantur: magiſtratus tamen aliqui certa quædã munera obeuntes, ſericã, vel gauſapinam, rubram, aut conchyliatam ex purpura veſtem, nonnulli etiam purpuream geſtare ſolent. Vltra hunc morem cultus, qui grauitatem, maturitatẽque præ ſe fert, illum etiam adhibent, quòd incomitati per vrbem incedant, nec vllo famulari apparatu, quem ſuperiùs vſurpari dixi, delectentur. Timent videlicet, ne ſi comitantium famulorum multitudini locus detur, æmulatio, contentioq; inter ipſos locum habeat, æquabilitatemq; illam, cui velut paria Reipublicæ illius membra maximè ſtudent, paulatim amittant. Quo fit, vt inſignem aliquem nauarchũ, vel imperatorem, qui nuper ampliſſimũ exercitum adminiſtrans, regibus, & principibus grauiſſimum bellum intulit, belli negotijs confectis, videre liceat per vrbem ſolum, ac ſine adminiſtrorũ pompa, inſtar cæterorum ex eodem ordine incedentem. His, atq; alijs moribus, honeſtiſque conſuetudinibus obſeruatis, Reſpublica illa florentiſſima iam ante ducentos ſupra mille annos ſummoperè viguit, potentiaq; ſuæ, & gloriæ in dies, atq; in annos maxima ſemper incrementa ſuſcepit. LEO. Iſtius ſanè vrbis gubernatio non poteſt non ſummoperè nobis placere, præſertim cùm eius diuturna, ſtabiliſq; conſtantia ciuium admirabilẽ prudentiam nobis indicet. Sed ſcire velim minutiùs, quæ ad iſtam vrbem, eiuſq; priuatas res pertinent. MICHAEL. Mihi ſanè ſatis eſſet ita generatim dixiſſe, ne rerum mole obruerer, niſi tuæ interrogationi ſatisfacere, officij mei eſſe crederem. Sed quis minutatim ſingula, quæ ad hanc vrbem ſpectant, perſequi poterit? cùm eius ſitus, vt dixi, ſit admirabilis, opera, atq; ædificia præter modum ſumptuoſa, & magnifica, templorum mira amplitudo, ſacrarum reliquiarum admirabilis copia. Summatim tamen dicam, huius vrbis ambitum octo milliaria continere

re, quæ quatuor noſtras leucas explent, eā autem diuiſam eſſe in ſeptuaginta parœcias, quæ cum ſuis tẽplis, ac ſacerdotibus Patriarchæ ſub ſunt: cœnobia habere quinquaginta nouem, ex quibus triginta, atque vnum religioſi incolunt: viginti octo à ſacris virginibus poſſidentur: præter alia ſacella minora, & variarum ſodalitatum domos, ita vt omnia templa centum, & quinquaginta numerum impleant. Habet itẽ quatuordecim xenodochia, in quibus, vt ſuperiùs de alijs vrbibus dixi, quocunque morbo laborantibus medicina adhibetur. Hæc omnia domicilia, præſertim religioſa, opere magnifico ornantur, peculiariterque octoginta ſeptem turribus editiſsimis, quæ egregium præbent ſpectaculum: inter quas excellit ea, quæ ante Diui Marci celeberrimũ templum ſita eſt. Quid vobis de ſacris reliquijs agam? cùm ſola hæc vrbs quadraginta ſanctorum integra corpora in varijs templis cum ſumma veneratione, cultuq; ſeruet: & is ſit templorũ ornatus, vt centum, & quindecim muſica inſtrumenta, quæ organa ab Europeis dici ſolent, cum capſis artificiosè auro, & argento diſtinctis ibi numerentur. Quid item referam ſacram veſtem, ſupellectilemq; ? cùm eadem vrbs operibus aureis, & argẽteis, veſte Phrygia, & ea, quæ ex argenteis bracteolis eſt compacta, quæ omnia miro artificio ibidem conficiuntur, ſummoperè abũdet. Quod verò pertinet ad communes vrbis vſus, eiuſque commodam frequẽtationem, cùm in eo maris ſinu, de quo dixi, ſit extructa, vt facilè terreſtre iter quòlibet pateret, quadringenti, & quinquaginta pontes cũ ſuis fornicibus eius altitudinis, ſunt conſecti, vt cymbæ huc, atque illuc per vicos vectæ, ſubtus tranare poſſint. Huiuſmodi autem cymbæ, quæ Gundulæ vulgò appellantur, miræ ſunt commoditatis ad nauigandum, & in varias partes diſcurrendũ. Habẽt enim in media ſui parte quaſdam veluti domunculas, aptè coopertas, quibus ſex vectores capi poſſunt, ſiue ſedeant, ſiue cubent. Sunt autẽ admirabili celeritate, cũ eas duo tantũ nauiculatores, imò, & vnus moderari, & inſtar velocium equorũ in quẽcunq; locũ flectere poſſit. Earum numerus non eſt mediocris, cùm in ea vrbe decem millia, vt fama eſt, expleat, ex quibus quædã ſunt ciuium propriæ, quædã conductitiæ, quæ paſſim reperiũtur. Quod attinet ad ædificia, illud ſummatim dicã, vltra communẽ domũ ſtructurã, quæ optima eſt, centũ ferè eſſe palatia, quæ cæteris domicilijs longè, multùmque præſtant, & ea ſunt

operis

operis magnificentia, ſupellectiliſque apparatu, vt in quolibet eorum rex cõmode habitare poſsit. Cùm verò vrbs hæc in imo maris fundo habeat fundamenta, eius eſt amplitudinis, vt ſeptem ſupra centũ hortos amœniſsimos, à nobiliſsimis ipſius patritijs extructos, & conſitos, deinde quinquaginta tres areas, omnes lateribus optimè conſtratas, & varijs locis centum, ac triginta quinq; puteos, toti populo cõmunes, cõplectatur. Iam verò ſtatuæ ſiue in publicis locis, ſiue in templis collocatæ, tot ſunt, vt marmoreæ centũ, & ſexaginta, æreæ viginti tres numerentur: quibus additè nouem equos, ex ære inaurato artificiosè confectos, quæ quidem monumenta illuſtrium, ac celebrium virorum, qui bene de ea Republica ſunt meriti, memoriam conſeruant. In templis autem mira eſt, ex Pario lapide, alioque multiplici, & pretioſo, ſepulcrorum magnificentia, cum ſtatuis nobilium, clarorumque virorum, qui ſicut patriam multis præclaris meritis, & rebus geſtis ornarunt, amplificaruntq; ita etiam his ornamentis, honorumq; inſignibus memoriæ poſterorum proditis, non mediocre laborum ſuorum præmiũ acceperũt. Atq; hæc ſint, veluti ſumma capita de amplisſima Veneta vrbe perſtricta, ex quibus omnib⁹ eius nobilitatem, quàm certiſsimis coniecturis aſſequi poteſtis. LEO. Iſta profectò, quorum ſummam collegiſti, potiùs ad ardentius tantarum rerum cognoſcendarum ſtudium nos inflammat, quàm iuditatis ſicim ſatient, aut expleat. Quapropter, vt ad ſingula quæque fuſiùs proponenda accedas, ego, Linuſq; maximè optamus. MANCIVS. Æqua eſt Leonis noſtri poſtulatio, cùm res Venetæ tales ſint, vt earũ tantùm capita perſtrinxiſſe, nõ ſit ſatis. LINVS. Satis fortaſſe eſſet, ſi vrbs hæc aliarũ, quæ cõmemoratæ ſunt, eſſet omnino ſimilis: ſed cùm ſitu, multiſque rebus maxima à cæteris ſit eius diſsimilitudo, æquũ eſt Michaël, vt Leonis poſtulationi cõcedas. MARTINVS. Egregiam reddidit rationem Linus, præſertim cùm iſtarũ rerum tanta diuerſitas nequaquàm auditores faſtidio poſsit afficere. IVLIANVS. Satis facturum te fratribus Michaël opinor, ſi priùs de tribus celeberrimis Venetæ vrbis locis, palatio videlicet ducis, templo Diui Marci, & area dicas: poſteriùs verò, de nauali, & quàm honorificè à Repub. illa nobiliſsima fuerim⁹ tractati. MICHAEL. Nõ mediocre onus eſt iſtud Iuliane: quod tamẽ libẽter ſuſcipio, dũmodò ſoliti diei ſpatiũ mihi prorogetur. LEO. Vtere Michaël prorogatione, quã poſtulas.

Explicãtur inſignes res Venetijs animad uerſæ: & quo honore ſenatus ille grauiſsimus legatos Iaponenſes fuerit proſecutus. Colloquiũ vigeſimum octauum.

LINVS.

TEmpus poſtulat Michaël, vt fidem heſterna die nobis da tam liberes, de omnibuſq; illis fama ſum moperè nobilitatis locis Venetæ vrbis, honorificoque hoſpitio, quo inuitati eſtis, copioſius aliquantulum in hodierno conſeſſu agas. MICHAEL. Seuerè videris Line, id quod tum pollicitus, exigere: præſtabo tamen libenter, vt ſtudium audiendi, quod in vobis eſt vehementiſsimum, aliqua ex parte explcã: & quantum potuero, locorum illorum ſpectaculũ in veſtris oculis, mẽtibuſq; defigam. Agam verò nũc de celebratiſsimo ducis palatio, & nobiliſsimo Diui Marci templo, ac de area eius vrbis ampliſsima. Vt autẽ ab hac incipiam, fingite inprimis animis aream quandam ampliſsimã, quam nos ipſi intuiti ſumus, quadruplici planitie conſtantem, cuius ſimilis tum pulchritudine, tum ædificiorum multitudine, atque opere, quã viderimus, aut audierimus, nulla extat. Huius totius areæ pars vna, quæ frontem palatij reſpicit, ad mare vergit: ſecunda à duabus columnis iuxta mare ſitis, ad turrẽ vſque horologij porrigitur, & vnũ latus palatij, templumq; Diui Marci tranſcurrit: tertia ex aduerſo eidem templo oppoſita, in longum ſpatium vſq; ad ſanctum Geminianum producitur: quarta denique latus alterum templi occupat. Quæ inter columnas, & horologiũ eſt, longitudine quingentos, latitudine verò centum, & viginti pedes amplectitur: quæ ante templum Diui Marci eſt, quadringentos, & ſeptuaginta pedes in longum procurrit, latitu-

latitudine verò ſuperioris ſimilis eſt: quæ fronti palatij aduerſa, ad mare vergit, ducentos pedes habens, ferè quadrati formā efficit: quæ deinque latus alterū tem pli occupat, longa, & lata atque prope eſt. Ex hac quaduplici planitie area talis, tamq; pulchra procedit, vt meritò Petrarcha Italus poëta dixerit, dubitare ſe, an orbis terrarum ſimilem habeat. Sed percurramus nunc præcipua opera, quæ in hac area reperiuntur, dicamuſq; primùm de ea turri, quæ tintinabulis eſt grata eſt, & altero latere aream maximam, altero verò aream propiſ. m tem pli reſpicit. Eſt profectò turris hæc operoſiſima: in primis enim ex candidiſſimo lapide, inſtar marmoris eſt confecta: deinde in tantam altitudinem ſurgit, vt trecentos, & ſedecim pedes expleat, quæ ſane altitudo admirabilis eſt: in ſummo deniq; culmine ex ære inaurato conflatam ſtatuam habet Angeli, manu ſua pacem, & felicitatem hominib⁹ optatam indicantis: quæ quidē ſtatua ſedecim pedes alta eſt. Iam verò ipſa turris quadrata in ſingulis lateribus quinq; pilas habet, ex ſolido opere procurrētes, & interiectis ſpatijs, totum opus egregiè diſtinguentes, donec ad fornicem receptaculi perueniat, in quo tintinabula ſunt collocata, vbi hæc turris pars coronide ſua pulcherrimè facta terminatur. Hoc receptaculum, in quo tintinabula ſunt apprimè conflata, aſpectu iucundiſſimum eſt, opereq; elaboratiſſimum, in quo fornix optimè cōſtructus conſpicitur, ad quatuor angulos, quatuor pilis nixus, quorum ſingulis lateribus quinq; perpolitæ columnæ adiunguntur, quibus in omnem partem receptaculum illud patet, & tintinabulorū longè, latèq; ſonus emittitur. Poſt hunc fornicem turris aliquantulum cōtrahitur, eandem quadratam figuram ſeruans: habetq; eo in loco duo periſtylia, cum ſuis pergulis, quorum inferius ex marmoreis columnis, ſuperius verò ex æreis humani corporis proceritatem explentibus, cōficitur. Lacerna, quæ poſt hæc peripſtylia ſequuntur, à quatuor leonibus ex marmore fabricatis miræ pulchritudinis, & magnitudinis occupantur. Ex hoc verò loco turris in pyramidem conſurgit, cuius culmen ſtatua illa Angeli, de qua dixi, ſum moperè decoratur. Ad hanc turrem ſcalis quibuſdam artificioſiſimè fabricatis aſcenditur, quæ quidem ita interius per quatuor eiuſdem turris latera reflectuntur, vt in quouis earum interuallo poſt vltimum gradum atriolum quoddam ſit, & velut peropportunum ad requieſcendum diuerſorium, cum am pla fe-

ſtra

neſtra locum illum, luce ſolis admiſſa, egregiè illuſtrante, ita vt ſingulas turris latera multas, magnaſq; feneſtras, alias alijs ſuperiores contineant, valdèq; lucidam, & oculis delectabilem reddant. Huiuſmodi autem ſcalæ non quidem ex gradibus componuntur, ſed pauimentum quoddam accliue, continuatumq; habent, ita vt equi, aliaq; iumenta facilè poſsint aſcendere. Eſt ſanè turris hæc, non ſolùm munimento, atque opere inſignis, ſed etiam propter altitudinē ſuam, è longinquo admodùm loco ſpectabilis, cùm à nauigantibus etiam triginta quinq; leucas ab vrbe diſsitis, conſpiciatur. Vltra hanc turrem eodem latere ſuperiùs dictam aream attingente, ædes ſunt magnificentiſsimæ, quæ vulgò procuratoriæ Diui Marci appellantur: ſunt autem Procuratores hi magiſtratus omnium grauiſsimi, primāq;, poſt ducem in Veneta Republica dignitatem obtinentes. Habent eorum ædes duas contignationes admirabilis operis in quibus duæ item pergulæ, aliæ alijs altiores, columniſq; affabrè compoſitis nixæ conſpiciuntur: quarum columnarum ſpiræ, tori, & coronides mirum artificium oſtendunt. Intus verò tria ſunt ampliſsima domicilia, tribus procuratorum conuentibus, ſuprà, citrà, & vltrà communiter dictis deſignata, ad quæ ſcalis ex lapide optimè conſtructis, artificioſiſsimoq; fornice contectis, aſcenſus patet. Domiciliorum autem trium parietes, procuratorum, eorumq;, qui ex eodem ordine ducis nomen obtinuerunt, expreſsis imaginibus aſpectum ſummoperè oblectantibus, exornantur. His ædibus inferiorē partem verſus in eadem area oppoſitæ ſunt aliæ, non minùs magnificæ, quibus latus hoc areæ clauditur, eaſq; terminat turris alia celebratiſsima, quæ horologium publicum recipit, & tanti eſt artificij, atq; operis, vt, an ſimile aliud poſt illud Toletanum ſit, meritò dubitare poſsis. Nititur turris hæc portæ cuiuſdam ampliſsimæ fornice, ſupra quem quadratum quoddam eſt egregiè confectum, quo circulus ſolis radijs, horarumq; ſignis interiectis, diſtinctus concluditur, infra quod duodecim Zodiaci ſigna, ſoliſq;, & lunæ cum illis, ſtationes, oppoſitioneſq; in ſpatio quodam purpura, atq; auro veſtito conſpiciuntur. Supra hoc quadratum eſt aliud, in quo Beatiſsima Virgo depicta eſt, & ante eam domuncula quædam inſtar pergulæ procurrit, ex vtroq; latere ianuā habens. Quoties igitur tintinabuli pulſu ſignum cuiuſq; horæ dandū eſt, vtriuſq; ianuæ fores panduntur, & ex altera parte ſtatua Angeli eſt ſignum gerens, tubamq; pulſans, in publicum prodit, quam tres Magi

inſtar

instar viuorum hominum sequuntur, omnesq; coram Beata Virgine caput demittentes, progressiq; alteram ex aduerso ianuam ingrediuntur, & mox tintinabulum pulsatur. Efficitur autem totum hoc spectaculum mira rotarū quarundam conuersione, cuius similem alibi tradidimus: superius adhuc situm est aliud quadratum, in quo leonis figura exculpta est, Diuum Marcum, vnum ex sacri Euangelij scriptoribus repræsentans, corā quo dux Venetæ Reipublicæ supplex genua flectit. Vltimo tandem loco tintinabulū collocatum est, inter duas statuas æreas, homines exprimentes, quæ Angelo, & Magis transgredientibus, vt dixi, ad singularū horarum signū, ita malleis vtranq; æris campani partem verberant, vt viui prorsus homines esse videantur. Hoc autē artificium confectum est à quodam Ioanne Carolo Rinaldo Italo, maximi ingenii viro. LEO. Admirabilia sanè sunt Europea opera, istiusque horologij inuentum inter admiratione dignissima referri debet. LINVS. Ita profectò est, cùm eorum arte, atque ingenio statuæ ligneæ, & æreæ humanos motus, gestusque tantoperè imitētur. MICHAEL. Dixi iam sæpe, charissimi patrueles, Europeorum operum artem, magnificentiamq; talem esse, vt absentibus vix sit credibilis. Sed vt ad horum operum descriptionem redeamus: vltra illas ædes trium conuentuum, quas superiùs descripsi, dicam de alijs tribus ædificijs illud latus occupantibus. Primum est solarium quoddam, ad quod patritij Veneti, relaxandi animi causa conuenire solebant, nunc autem quoties communis omnium patritiorum Dominicis diebus fit conuentus, pro curatores Diui Marci cum satellitibus in hoc loco ad custodiam vigilant. Frontem huius solarij occupant quatuor æreæ statuæ, Palladis videlicet, Apollinis, Mercurij, & Pacis, egregio opere Corinthio exculptæ: quibus Senatus illius clarissimi sapientia, eloquentia, concordia, & pax significantur. Supra has sunt tria quadrata, multas alias figuras media sui parte prominentes, complectentia: in quibus mirum etiam opus ostenditur. Intra solarium hoc supra eum locum, in quo summi magistratus sedent, est aliud receptaculum, vbi Beatæ Virginis, sanctissimiq; pueri IESV, & Diui Ioannis Baptistæ statuæ integræ comprehenduntur, quarū opus inter omnes artifices admirabile iudicatur. Huius solarij fornix egregijs picturis, auro, coloribusq; distinguitur. Post hoc solarium sequitur Bibliotheca, quæ Diui Marci dicitur, & è regione palatij sita est: quæ quidem tam externo, quàm inte-

rioni opere inter celeberrima ædificia enumerari poteſt. Inprimis enim eius frons opere Dorico, atque Ionico cum varijs columnis, magnificique coronide ornata eſt. Nam primùm pergula inferior tā multis columnis nititur, vt ex illis, ſedecim arcus conficiantur, in quorum media parte multæ ſtatuæ ſunt pulcherrimæ: in frontibus verò iporum arcuū capita leonū, hominum, & mulierū intermiſta ſunt ita vt ſinguli ſingulas habeāt: coronis, quæ huiuſmodi arcus claudit, varijs quadratis diſtincta eſt, in quibus partitulæ inſculptæ figuræ anaglyphico opere conſpiciuntur. Supra hanc coronidē pergula alia eſt, tenuis columnellis egregiè elaboratis variata, vltra quam ſedecim feneſtræ, ſingulæ quatuor columnis fultæ, comparent: in quarum angulis alatarum mulierum prominentes item ſtatuæ ſpectantur: in fornicibus verò interiectis illa capita, de quibus ſupra dixi, cernuntur. Vltra has feneſtras coronis alia conſurgit, ſedecim alijs feneſtellis ouatæ figuræ inferioribus arcubus, ac feneſtris correſpondentibus ornata: ſupra quam rurſus alia pergula iſidem columnellis eiuſdem modi nixa porrigitur, in cuius faſtigio, ſedecim ſtatuæ, miro artificio confectæ, ſunt repoſitæ. Totum autem hoc opus multis, varijſq; ſpiris, toris, floribus ex marmore, quos pueri manibus tenent, mirificè diſtinguitur, quippe quod ab egregijs artificibus fuerit fabricatum. Quod attinet ad interiora eiuſdem domicilij, non minus admirabilis ſunt artis. Nam pergulæ inferioris fornix, ex minutiſſimo cæmento confectus, quadratis ſuis varias figuras oſtentantibus, diſtribuitur. Ianua verò illa, qua ad ſuperiorē cōſignationem aſcenditur, vtrinq; mulierum ſtatuas habet, ipſius ianuæ fornicem humeris ſuſtinentium, & velut oneris magnitudinē ægrè ferentium. Aſcenditur verò ad ſuperiorem domum ſcalis quibuſdam, tum egregio fornice, auro, coloribuſq; mirificè depicto, tum etiam columnis varijs, nitorem quendam nitorem, inſtar gemarum præ ſe ferentibus, ſummo opere exornatis: quibus ingreſſus patet ad quoddam amplißimum atrium, pretioſiſſimo marmore, tenuiſſimoq; cameto, & optimis figuris conſpicuum, vbi magiſtri à ſenatu Veneto reditibus donati, totius vrbis iuuentutem literis Græcis, & Latinis, aliſque bonis artibus inſtituunt. Ex hoc atrio ad aliud progredi licet, in quo eſt bibliophylacium, inſignis profectò operis, & columnis varij coloris, & quadrato quodam, in quo nomina ducis, magiſtratuum que, qui illius operis fuerunt autores, ſcripta continentur, mirum in modū ſpecta-

i ſpectabile. Plena ſunt huius ampliſſimæ domus latera pluteis, infinitá librorum optimè compoſitorum multitudinem recipientibus. Huic autem domui, quam bibliothecam dixi, præeſt doctus, & nobilis quidam vir, munus hoc à ſenatu ſibi commiſſum gerens. Longum eſſet explicare librorum, operiſque pretium, cùm totius bibliophylacij tectum ex camera ſit, tenuiſſimo cæmento, auro, coloribuſq; diſtincta, & quatuor ordines quadratorum continente, qui vnius ſupra vigiſti numerum abſoluunt. Poſt hanc domum, ſequitur alia cudendis nũmiſmatis deſignata, quæ miro artificio, & munimento fabricæ celeberrima eſt: vt enim nihil in ea ignem concipere poſſet, tota eſt ex viuo lapide fabrefacta. Impluuium habet, ad cuius latera varia ſunt domicilia nummiſmatum excuſoribus deſignata: in medio autem impluuio puteus eſt octangulus, in quo Apollinis ſtatua, aureas virgas manu habens, apprimèque elaborata conſpicitur. Ad ſuperiorem contignationem duabus ſcalis magnificentiſſimis conſcenditur, vbi atria, & cubicula ampliſſima tum ad magiſtratuum nũmariorum habitationem, tum etiam ad nũmiſmatum cuſtodiam ſunt ædificata. LEO. Iſta ſanè opera, de quibus agis, nobiliſſima mihi videntur: ſed vellem ſcire, quæ ſit iſta nũmiſmatum cudendorum ratio. MICHAEL. Ratio auri, argenti, atque æris expendendi in Europa longè à noſtra Iaponica, & Sinica differt: nos enim hunce argentum ponderamus, & iuxta rei emptæ pretium, pondus maius, minus ve perſoluimus: in Europa verò in vſu auri, & argenti non ponderum, ſed nũmiſmatum habetur ratio: quæ quidem nũmiſmata, regum, vel rerum publicarum imaginibus inſignibus inſculpta cuduntur: ideoque pretioſiora nũmiſmata ex auro, & argento, viliora verò ex ære, iuſſu regum, & rerum publicarum fiunt: & hanc pecuniæ varietatem Europæi in emptionibus, venditionibuſque vſurpant. Cùm ergo Reſpublica Veneta ſui iuris ſit, ac libera, inſtar cæterorum regum pecuniæ cudendæ facultatem habet, eaque de cauſa huic muneri domum hanc ampliſſimam deſignauit. LINVS. Coniecto equidem, iſta nũmiſmata tam pulchre inſignita, aſpectu fore iucundiſſima, ideoq; aliqua ex illis videre geſtio. MICHAEL. Facilè videbis Linus: nequid enim vobis ex noſtro reditu voluptatis deeſſet, cuiuſcunq; generis nũmiſmata nobiſcum detulimus. Sed nunc ad aream redeamus. Ex aduerſo commemoratis ædibus reſpondet tem-

plum Diui Marci, ducisq; palatium, de quibus mox dicemus. Eam igitur partem areæ, quæ ad mare vergit, nulla alia ædificia occupant, præter duas quasdam insignes columnas, nō mediocri spatio inter se distantes: insignes dixi, tū crassitudine, tū altitudine, tū deniq; singulas eodē scapo, quod mirabilius est, constantes. Hæ columnæ cū alia tertia Constantinopoli dicuntur allatæ, cumq; è nauib⁹ in terram deducerentur, tertia illa in mare decidit, quod quanuis eo in loco vadosum esset, parumq; profundum, ita tamen columna præ suo pondere in arenam depressa est, atq; obruta, vt nequaquàm inde extrahi potuerit. Reliquæ igitur duæ in terram subductæ, diuturno tempore in littore iacuerunt, nullus quippe erat artifex, qui eas erigere, & in altum extollere auderet: donec post multos annos inuentus est quidam celeberrimus, qui eas miro artificio extulit. Nec enim parum mirandum est, duas tantæ magnitudinis columnas, suis tantùm basibus nixas, nullaq; alia re fultas, integras, rectasq; consistere. Vnius epistylium occupat statua Diuū Theodorum patronum etiam Venetorum imitans, eumq; velut armis munitum, ad pugnandum pro ea Republica oculis obijciens. Alterius capitellum alatus leo, Diuum Marcum significans, cū summa venustate tenet. In vtriusq; autem intercolumnio solet capitalis pœna à damnatis ad mortem repeti. LEO. Ita Michaël, aream istam cum suis ædificijs descripsisti, vt eam vnam ex pulcherrimis orbis terrarum iudicē, & multò nunc maiori admiratione suspensus, Europea opera considerem. MICHAEL. Multò maior esset, Leo, admiratio tua, si oculis hæc eadem opera fuisses intuitus: nec enim in illis assequendis id cogitatio facilè attingit, quod oculorum acies repræsentat. Nunc quandoquidē aream totam percurrimus: ad templū Diui Marci accedamus. Quod igitur ad eius magnitudinem attinet, poterunt equidem alia templa ampliora reperiri: hoc enim, veluti quoddam senatus Veneti sacellum fuit extructum, etsi non mediocre videri debet: si tamen cū alijs eiusdem magnitudinis conferatur, operis magnificentia cæteris omnibus Italiæ templis profectò antecellit. In primis enim ex purissimo marmore est, quod, vltra pretium, difficillimè perpolitur: deinde tantum habet sculpturæ, atq; operis anaglyphici, tot statuas, totq; columnas, talesq; omnium artificium, vt sumptus in hoc templo facti vix æstimari queant. Vt autem singula quæq; minutiùs pertractem, quod ad colū

nas

nas attinet, octo pretioſiſsimæ ex Porphyrite ſunt, quæ præcipuum tẽ pli aditum pulcherrimum reddunt. In eodem aditu quinq; portæ numerantur ex ære confectæ, in quarum fronte variæ ſtatuæ, ex marmore atq; ære ſunt collocatæ, cum ſuis receptaculis apprimè elaboratis, reliquo frontis ſpatio, ex opere Muſino, quod apud Europeos magni fieri ſolet, ornato: quibus adiunguntur quatuor ærei equi, iam inde à Neronis tempore exculpti, tanto artificio, vt ſculptoriæ artis rariſſima ſint quædam exempla. Habet templum hoc in ſummo tecto quinque ex eodem fornice faſtigia, crucis figuram præ ſe ferentia, tegulisq; plũbeis cooperta, quibus pulcherrima redduntur, interiecta verò ſpatia tubulis æreis, quibus pluuialis aqua excipitur, foraſq; mittitur, optimè muniuntur. Sed ingrediamur iam templum ipſum, cuius tectum fornicem habet egregiũ, faciemq; ipſius ex opere Muſino compoſitã, vbi variæ figuræ, & res geſtæ, ſacris monumẽtis traditæ, mirabiliter ſunt expreſſæ: pauimentum verò vermiculato opere arborum, animalium, auiumq; picturis egregiè decoratur, aſpectumq; ſummoperè recreat. Quoniam verò in toto hoc opere auri maxima copia conſpicitur, cõmuni ſermone templum etiam aureum dictum eſt. Ornatur etiã idẽ templum multis, ac varijs ducum ſepulchris, quorum cadauera ibidẽ ſunt recondita, quæ quidem præter pretioſam marmoris materiam, nominibus, inſignibuſq; eorum, qui ſepulti ſunt, pulchrè inciſis, valde exornantur. Sed veniamus iam ad ſacellum maximum, quod in primis faſtigium quoddam habet ex lapide ophite, quatuor marmoreis colũnis nixum, opere anaglyphyco, perpolitis, vbi prominentes figuræ, & palmi magnitudinem ſuperantes, res geſtas monumentis tũ veteribus, tũ nouis proditas, graphicè repræſentant. Præter cætera tamen omnia, admirabile eſt ornamentũ illud ſacrũ, quod loco tabulæ ſacræ aſpectũ terminat, ac palla vulgò appellatur: totum enim eſt ex bracteis aureis, cũ ſimulachris mediocriter prominentib⁹, quæ receptacula adamãtib⁹, beryllis, ſmaragdis, aliiſq; pretioſiſsimis gẽmis diſtincta, occupãt. Ipſius maximæ aræ facies ex argento confecta eſt, in quo prominẽt etiã variæ figuræ ſuis locis, columnelliſq; ſeiũctæ, opuſq; illud magni pretij mira venuſtate abſoluunt. Eandem aram maximam exornant ſtatuæ æneæ quatuor ſcriptorum ſacri Euangelij, qui ſedentes miro opere exprimũtur. Intra hanc maximam aram Diui Marci ſacrum cadauer collocatũ

eſſe

esse dicitur, quem peculiarem patronum Veneti omnes recognoscunt, & ea de causa insignia ipsius, alatum videlicet leonem, cuius nomine, ac specie in sacris literis Divus Marcus significatur, in vexillis suis, atq; armis vsurpant. Sacrum serinum est etiã cõmemoratione dignissimum, cuius fores varijs miri operis figuris decorantur, & quatuor columnis ex alabastrite, siue oniche maximi pretij confectis. Similiter latere huius sacelli ingressus patet ad eam domũ, in qua supellex sacra seruatur: cuius fores ex ere artificiosissime sunt fabricatæ, plenę videlicet figuris prominentibus, quibus Christi, Apostolorumq; res gestæ sunt expressæ, tam singulari arte, vt viginti annos in eo opere consumptos esse, fit cõpertũ. Sequitur, vt de odeo, quod ante aram maximam est cõstructũ, aliquid dicamus: habet illud quidem sellas ebore, ebenoque distinctas, & supra omnes solium pulcherrimũ, in quo dux sedet, quoties solenni ritu preces sunt festis diebus decantandæ. Adhoc odeum tribus scalis, quarum media cæteras pretio, & pulchritudine superat, ascenditur: reliquæ verò partes à pariete quodam ex porphyrite, & ophite, politissimis lapidibus confecto occupantur. Superiorem huius parietis partem columnis ornatam, claudit coronis artificiosissima ex eadem materia, quatuordecim statuas marmoreas quatuordecim Apostolorũ sustinens, medioq; loco crucem pulcherrimam, ex solido argento ostẽdens. Vt deniq; vno verbo absoluam, quod ad templum pertinet, nihil est in eo, quod non inprimis decorum, pretiosumq; sit, præsertim, cùm in eius ædificatione publico decreto sancitũ esse dicatur, vt quicquid nautæ, & vectores per varias orbis partes pretio dignum reperirent, ad huius templi molitionem decorandam, Venetias cõportarent. Huic magnificentiæ templi nequaquam dissimilis est sacra supellex: cùm vrbs illa artificum omnium, qui ex auro, argento, bombyce, aliaq; simili materia opera conficiunt, verè mater dici possit. Post huius templi aspectum, vidimus etiam domicilium aliud, quod Sanctuarij commune nomen habet, in quo tum sacræ reliquiæ, tum omnia opera aurea, & argentea, & similia pretiosissima iam à multo tempore conseruantur. Quod attinet ad sacras reliquias, præterquã quòd multitudine, magnitudine, Sanctorumq; celebritate sint mirabiles, celebrantur etiam diuinitus edito miraculo, anno millesimo ducentesimo trigesimo. Cùm enim casu domicilium illud ignem conciperet, & paulatim

latim concitato incendio, totum conflagraret, reliquiæ tantùm sacræ saluæ, & superstites permanserunt. Quæ quidem res non solùm publicis literis est testata, verùm etiam sum mi pontificis testimonio confirmata. Quid dicam de pretiosis operibus, quæ sanè animos intuentium admiratione defixos tenent? Ibi enim cernuntur multa aurea diademata, & fasciæ adamantibus, smaragdis, topazijs, beryllis, chrysolithis, alijsq; multis, & maximis gemmis distinctæ: duo integra cornua Monocerotis animalis rarissimi, singula septem palmos explentia, nonnulla item vasa partim aurea, partim ex solidis margaritis confecta, duo carbunculi quis magnitudine pares: tabella quædam aurea, quæ in sacris faciendis ad pacem precandam, populo ostendi solet, tota ite gemmis exornata. Inter alias gemmas beryllus quidam miræ magnitudinis, quē cardinalis Grimaldus natione Venetus Venetæ Reipublicæ testamento legauit: alius item adamas auro inclusus, quem potentissimus Galliæ rex Henricus duci dono dedit: vt omittā candelabra, pocula, scyphos, lances, aliaque multa opera, ex auro, & argento: ad extremum deniq; corona quædam est ducis, tot margaritis referta, vt centum, & quinquaginta millibus nūmorum aureorum æstimetur. Ex quibus omnibus thesaurus talis cōficitur, vt nullus alius tanti pretij reperiri dicatur. Vt verò aliquid dicam de sacrarum rerum administris, multos, grauesq; hoc idem templum habet, viginti quatuor videlicet canonicos cum diaconis, & subdiaconis, quorum antistes primicerius appellatur: quibus adiungite maximam cantorum turbam, qui sacras preces, adhibitis musicis instrumentis, suauissimè concinunt. LEO. Ex istis, quæ hactenus dixisti, clarissimæ Venetæ Reipublicæ incredibilis videtur esse opulentia. MICHAEL. Incredibilis est profectò, vt ex his etiam, quæ dicēda sunt, facilè cognoscere poteritis. Sed iam nūc agam de ducis palatio, quod etiam Sancti Marci appellatur, in quo dux, siue princeps Reipublicæ habitat, & alij multi conuentus magistratuum fieri solent. Est igitur palatium hoc eius fabricæ, vt nobilissimis, sumptuosissimisque totius Italiæ anteferri debeat. Habet duo latera amplissima, alterum Diui Marci templo coniunctum, alterum verò ad mare vergens, quorum singula ducentos pedes continent. In eo duplex est pergula, altera inferior, altera verò superior, vtraq; suis perpolitis columnis fulta, coronide egregia concluſa, varieque opere

exornata: ſupra ſuperiorem pergulam, tertia eſt contignatio, in qua atria, cubiculaque ampliſsima reperiuntur, frequentiſsimiſq; feneſtris decorantur. Ad extremũ deniq; pinnis quibuſdam egregiè elaboratis parietes extremi muniuntur, & altitudinem quandam admirabilem præ ſe ferunt. Eſt in eo duplex periſtylium, alterum ex illis quadratum miræ amplitudinis: cum quo cætera domicilia ita conueniunt, vt excepto ſacro ſummi põtificis palatio, longè diuerſi operis, ac formæ, hoc ipſum, de quo agimus, cætera omnia, vt dixi, totius Italiæ magnitudine, & elegantia ſuperet. Cernuntur in eo ſedecim atria capaciſsima, quorũ in conuentibus magiſtratuum eſt vſus, eo autem opere fabricata, vt humanum ingenium vix vlteriùs progredi poſſe videatur. Sunt omnia hæc atria extenui cæmento confecta, auro intermiſto variata, deinde tam eorum parietes, quàm laquearia quadratis ſuis diſtribuuntur: in quibus omnibus eximij operis picturæ, & in aliquibus egregij artificij ſunt ſtatuæ, antiquiſsimas hiſtorias victoriarum, & aliorum etiam ſimilium operum inſigniter exprimentes: quibus huius clariſsimæ Reipublicæ facta tam multis libris commẽdata, oculis quodammodo ſpectantur, multorumq; principum, ac ſenatorum imagines veluti ſpirantes conſpiciuntur. Quid dicam de eorum atriorum magnitudine? quæ profectò admirabis eſt, præſertim verò ſpatium eius atrij, quod maximi conſilij dicitur, tã amplũ eſt, vt latitudine ſeptuaginta quatuor, longitudine centũ, & quinquaginta pedes expleat, & præter ducẽ, alioſq; magiſtratus, quingentos ſupra mille patritios, & eò plures, decem ſubſellioru ordinibus ſedentes recipiat. Ad hoc atrium opere, & magnitudine proximè accedit illud, quod Prægadij dicitur, in quo vndecim ſtatuæ, totidem imperatores ad viuum artificioſiſsimè effingentes, cernuntur. Reliqua verò atria Scrutinij, Cancellariæ, Collegij, Antecollegij, Concilij decem virorum, addite, & quadraginta virorũ, aliorumq; tribunalium, interſe opere, magnitudine, ſtructuræq; magnificentia contendunt: omnia enim auro, ſtatuis, picturis, opere anaglyphyco, aliiſq; artificijs abundant. Quid verò dicam de armarijs? in quibus nobilium tantùm arma ſeruantur, quæ quatuor ſunt, multis armorum generibus, tam ad offenſionem, quàm ad defenſionem pertinentibus, tam peditum, quàm equitum, & cataphractorum proprijs refertiſsima. Videntur enim ibi innumeri thoraces, loricæ, pilæ, arcus, ſclopi multiplicis

modi,

modi, aliaq; similia bellica instrumenta, non solùm affabrè elaborata, verùm etiam auro vestita, maximèq; splendentia. Inter ea verò sunt aliqua talis magnitudinis, tantiq; ponderis, vt non à cómunis staturæ hominibus, sed à gigantibus gestari solita fuisse videantur: ideoq; non tam ad vsum, quàm ad antiquitatis memoriam conseruentur. Exornantur item eadem atria non solùm statuis marmoreis, sed etiam trophœis, spolijsq; ex hostibus captis, quarum omnium rerum vetietate, armorumq; pretio, nescio, an aliud sit armarium cuiusuis regis, aut principis, quod hoc Reipublicæ Venetæ prorsus adæquet. Sed veniamus nunc ad beneuolentiam, qua Senatores Veneti nos sunt prosecuti. Postridie eius diei, quo Venetias peruenimus, ducem, & præcipuos magistratus, nos in palatio opperientes inuisimus: cùm ipsi priùs honoris causa multos Senatores ex ordine Prægadij ijsdem indumentis, quibus nos primò exceperant, ornatos, & ijsdem lintribus vectos, vt nos deducerent, & comitarentur, præmisissent. Descendentes ergo è lintribus in terram, tanta per aream, porticum, peristylium, atriaq; palatij hominum multitudo nobis occurrit, vt cum officiosissimè cederent, vix tamen vlteriùs progredi daretur. Postquàm tamen non sine difficultate ad principis atrium deuenimus, princeps è solio ornatissimo, in quo Senatoribus grauissimis circunstipatus, & veste ex auro Phrygio opere intexta, indutus sedebat, nobis ingredientibus, cum ijsdem assurrexit, & honorificentissimè, atque vrbanissimè ad colloquium admisit, & ad sedendum in binis ex vtroque latere paratis sellis inuitauit. Nos igitur primùm pro honore, & magnificentia, qua iter facientes per Venetam iurisdictionem habiti fueramus, quanta verborum vrbanitate potuimus, ingentes principi gratias egimus, deinde significauimus, quãta animorũ nostrorũ lætitia adeũ Senatũ grauissimũ inuisendum accessissemus. Ille ad hæc placido, ac sereno vultu, non solùm lætitiam de nostro aduentu maximam indicauit, sed etiam ea omnia, quæ erga nos præstita fuerant, adolescentibus ingenuis, pro patriæ, & religionis causa ad Romanam curiam tam longinquo loco missis deberi, imò nec adhuc ijs rebus officij partes omnino expletas esse, nõ minùs prudenter, quàm amanter ostendit. Aliquibus sermonibus vltro, citroq; habitis, principi, magistratibusque salutem diximus, & non sine magna admiratione ab eorũ conspectu discessimus. Post maiestatem enim il-

Iam tanquam ex humili loco suspiciendâ, quam in summo pontifice, & cardinalium sacro collegio obseruauimus, nunquàm alias talem grauitatem ex senili ætate, loquendi maturitate, Patrum multitudine conflatam iunus intuiti, præsertim cũ principẽ circumfusam magistratibus, & senatoribus omnibus, ex quibus totum Reipũblicæ corpus componitur, in Diui Marci templo diuino Eucharistiæ sacrificio præsentem contẽplati iumus. Quoniam autem aliqua ex nostris munusculà, eidem principi non ingrata fore cognouimus, vestem Iaponicam cum gladio, & pugione dono dedimus, quæ amoris pignora ille iucundissimè accepit, & ad nostri memoriã perpetuò cõseruãdã, tãquã gratissima monumenta custodienda esse, affirmauit. Post discessum à principe, ad varia loca palatij, ac templi, de quibus superius egi, à grauissimis viris deducti iumus, deinde per totam aream ad vicos vrbis conspiciendos cum summa voluptate delati. Transeuntes ergo portam illam, & fornicem, quo turris horologij fulcitur, ad vicũ illum deuenimus, qui peculiare à mercibus nomen habet, cuius tabernæ nullis senatus excompositò mirabiliter erant ornatæ, ita vt pretiosissimi quiq; veluti nobis spectanda comparerent, quorũ sanè pretium vix æstimari poterat. Ex solis namque tabernis, quibus chirothecæ, aromata, & ex variis floribus odoriferis expressi liquores, vẽdebantur, plures exrũ, decẽ, aut duodecim millia nũmorũ aureorum cõtinere, pro comperto fuit habitum. Vnde de cæteris, quibus vestis Phrygia, vel ex aureis argenteisq; bracteis texta, similisq; alia pretiosa expolita est, iudicia in fieri poterit, quorũ multitudo, ornamentum, & infinita prope varietas, totum illud spatium à templo Diui Marci ad Rialtum vsque pontem complens, nos planè obstupefecit. Et quoniã huius pontis mentionem feci, dicam aliquid de eius magnificentia, & artificio, quod vt intelligatis, meminisse oportet, vrbem totam Venetã mari illo vndiq; allui, cuius multa sunt ostia, quorũ celeberrimum est illud maximum, quod instar tortuosi serpentis variis flexionibus vrbem ambit, & litoræ huius Europeæ. Sic formam efficit. Ad hoc igitur omnium transiciendum, eò quod latissimum sit, vnicus tantũ hic pons, nomine Rialtus, est ædificatus, qui quanuis ex lignea materia sit constructus, miræ tamen est magnificẽtiæ: eius enim amplitudo tanta est, vt in eo vici vtrinque tabernas dispositas habeant: me-

dia verò eius pars ita est fabricata, vt tolli aliquando possit, locũ tran
seundi etiam maioribus nauigijs concedens, alias verò obstruens. No
stamea deest, id oltiam hoc tra[illegible]mittẽdum, nauigiorum con moditas,
quæ, vt dixi superius, conductitia mira iunt multitudine. Ad hunc pon
tem accedentibus, conspiciendum se offert insigne quoddam palatium,
quo olim ienatus Veneti vtebatur, nunc autem Germanis, Germanis
q; mercibus est designatum, vnde & ab ipsis nomen obtinuit. Ad
hoc autem ex Germania tanta comportatur mercium copia, vt ex ipsa
rum vestigijs maximi reditus Venetæ Reipublicæ proueniant. Am
plitudo huius palatij tanta est, vt in eo cubicula, atq; atria vltra duceta
numeretur, quorũ plurima tum, foris verò etia palatiũ totũ egregijs, pre
tiosis q; picturis, mira pulchritudine præ se ferentib⁹, exornatur. LINVS.
Admiror etiam externos parietes picturis decorari: qui fieri potest, vt
contra cæli pluuiæ, ventorumq; aperitatem integræ permaneant?
MICHAEL. Non est existimandum Lunc picturas eas in papyru, aut
aliam fragilem materiam, vt inter nos fieri solet, esse inductas, sed in
ipsos parietes calce circunlitos: colores verò non esse cuiuscunq; tem
peramenti, sed ita variorum fructuum succis commistos, vt diutissimè
permanere possint, & aliqua ex parte amissi, instaurari. Traiecto pon
te, de quo loquor, accus est ad aream Rialti dictam, quæ quidem
celeberrima est, propter mercatorum multitudinem ad eam confluen
tium, præsertimq; eorum, qui iusto fœnori operam dant, cum multis a
liarum vrbium mercatoribus contrahentes, ab alijs pecuniam accipi
tes, alijs denique persoluentes: quod fœnerationis negotiũ locum illu fre
quentissimum reddit, eiusq; vrbis homines, cũ aliarum nobilium ma
rum hominibus multiplici societate commercioq; deuincit. Eandem
aream illustrat etiam amplissima ædificia, quibus cingitur, vbi por
ticibus magnificè conspiciuntur, ad quas senatores negotiorũ cau
sa, & mercatores ipsi conueniunt; vt de varijs rebus ad mercaturã
pertinentibus, tum inter se, tum etiam cum quibuscunq; alijs eo con
fluentibus agant. Ad extremum pontem, de quo ago mus, seu est tem
plum, quod omnium Venetorum temporis antiquitate celebratissi
mũ est: & iuxta illud aræ um singularis fabricæ, totum ex Istrio lapi
de, quod à Camerlengis nomen habet, & varijs, artificiosisq; pictu
ris, auro, coloribus vsq; distinctus, varia & cubicula splendentia continet.

Est

Est in eodem palatio locus quidam, in quo nũmismatum argenteorum, aureorumq; maximam copiam eadem Veneta Respublica reconditam habet, tanta magistratuum fide, tanta loci securitate, tanta deniq; Reipublicæ ipsius vigilantia, vt etiam externi principes, per alia regna, & prouincias sparsi, in eodem thesauro pecuniam suam, qua non vtuntur, seruari summoperè cupiant, postulentq;, tutius illud Gazophylatiũ, quàm propria reputantes. Si alteram huius areæ partem per curras, inuenies etiam multa ædificia mercatoribus designata, quorũ inferiores porticus varia venali veste, præsertim panno pretiosissimo, serico, gausapino, alioque simili tegendi, ornandique corporis genere sunt refertæ: quarum omnium rerum æstimatio, cum pretio earum, quæ in vico mercium, superiùs à me commemorato, venduntur, ex æquo certat. Ad calcem eius est quædam area, quam hinc occupant aurifices, illinc verò gemmarum artifices, quorum illi, tantam auri copiam cælant, & sculpunt, tantam isti margaritarum multitudinẽ poliunt, & excolunt, vt tam pretiosa varietas, tum operum aureorum, tum gemmarum, externos omnes intuentes in admirationem, & stuporem traducat. Vnde fit, vt Venetæ Reipublicæ, vrbisque diuitiæ, vix ab absentibus concipi, & cognosci possint. Sed vt hæc opulentia vobis sit exploratior, vnum etiam insuper argumentum, & testimonium addam ad finem huius colloquij, aliquid ex quadam publica supplicatione, quæ nobis præsentibus habita est, vobis proponens. Est in more positum in ea vrbe, quod de alijs intelligi debet, vt eius diei, quo Christus vindex noster, iam in procinctu ad mortẽ pro nobis tolerandam, sacram Eucharistiam instituit, memoria piè, solenniterque facta publica supplicatione recolatur. Eam igitur Veneti patritij de nostro accessu certiores facti, in diem tertium Calendas Iulias Sanctissimis Apostolis Petro, & Paulo sacrum distulerunt, volentes animos nostros è viæ molestia defessos, iucunditate aliqua delinire, & religiosissimæ illius pompæ, ad quam nostri causa non parum vltra solitum est adhibitũ, spectaculũ externis hominib⁹ proponere. Perreximus igitur die designato, aliquib⁹ patritijs comitati, ad templũ Diui Marci, in cuius superiori ædeo sedes nobis paratas cum sellis, puluinis, subsellijsque ornatissimis occupauimus. Vbi non solùm sacro ritè celebrato interfuimus, verùm etiam aspectu grauissimi illius conuentus, ex

ducen-

ducentis, & quinquaginta magnæ autoritatis ſenatoribus conflati, mirum in modum exhilarati ſumus. Poſt ſacram hoſtiam cum cantu ſuauiſsimo, aliiſque inprimis ſolennibus cæremonijs immolatam, ad quoddam palatium, ex quo publicam illam ſupplicationem totius Veneti populi concurſu ſummoperè frequentatam, ex animi ſententia intueri poſſemus, ab iiſdem patritijs viris delati ſumus. Ex quo ſpectaculo, quid primùm vobis commemorem, ciuium ne multitudinem, cũ religione coniunctam, an ordinem, rectamq; collocationem, deniq; rerum, quæ portabantur, pretium admirabile, prorſus ignoro. Sed dicã aliquid de ipſo ſupplicationis ſolito proceſſu, vt ex eo nõ nihil colligere poſsitis. Inter multas alias religioſas ſodalitates, quæ Venetijs ſunt, ſex extant præcipuæ, quæ propter ſodaliũ multitudinem, domicilij magnificentiam, piorum operum aſsiduam exercitationem, ſcholæ maiores appellantur. Harum ergo ſodalitatum ſocij incedunt bini, iuſtumq; ordinem ſeruantes, præferentes cereos maximos, auro, variiſq; coloribus diſtinctos: ex quibus etiam nos recordationis, & grati animi cauſa aliquos ſeruatos nobiſcum detulimus, quibus à quadam illarum ſodalitatum, nos honoris ergò in numerum ſuum referente, liberaliter donati ſumus. Poſt ſocios ita diſpoſitos, procedit cantorum precatium chorus, ſimulq; eiuſdem ſodalitatis inſigne, quod reliqui omnes ſodales ceteros ſimiliter geſtantes, eodem ordine ſequuntur. Iiſdem ſodalium cõuentibus ſic progredientibus, ſuis interuallis diſsitæ feruntur thenſæ, ſiue ſacra vehicula, quorum tria tunc fuerunt genera: primum compoſitum erat ex varijs operibus auri, atque argenti, & quandam veluti turrium ſpeciem præ ſe ferebat, quicquid in ea vrbe pretioſum erat, complectens: ſecundum conflatum erat ex varijs, artificioſiſsimiſq; reliquiarũ thecis, quæ ſimiliter gemmis, vnionibuſq; magnoperè abundabant: tertium deniq; genus varias, pulcherrimaſq; ſtatuas, & imagines continebat, quibus multiplicia Chriſtianæ religionis myſteria, & inſignes à martyribus per multos cruciatus palmæ obtentæ, repræſentabantur. In eorum autem poſtremo, noſtrũm quatuor ſociorum ex Iaponia ad ſummum pontificem expeditio, fauoris, & beneuolentiæ cauſa egregiè exprimebatur. Erant horum triũ generum thenſæ ſuis ſpatijs diſpoſitæ, centum quadraginta, & eò plures, partim ſericis papilionibus, partim verò auro Phrygio opere intextis coopertæ: quæ omnia ita

ſacra

sacra illa vehicula pretiosa reddebant, vt omnia opera, quę illis continè hantur, quater millies sestertiũm pecunia æstimari posse dicerentur: quod manifestum est Venetarum opum experimentum, quandoquidẽ ad vnam solùm publicam supplicationem tantum auri, atq; argenti collatum est. Post has sodalitates, locũ habent omnes religiosi viri, qui quidem quàm plurimi tũ fuerunt, cùm Veneta vrbs centum quinquaginta templa, & cœnobia complectatur: post religiosos viros archipræsul, idemq; patriarcha Venetus, cum summa grauitate progreditur, eũ que familia principis subsequitur: vlteriùs verò sacerdotes Diui Marci templo addicti, qui pretiosissimum vehiculum, serinitumq; sacrum cũ sacrosancta Eucharistia gestant. Mox dux ipse cum omnibus regum, principumq; legatis, qui semper Venetijs sunt, & post eos, omnes magistratus, Senatoresq; Prægadij bini, vestibus talaribus ex serico coccineo induti, deinde reliqui patritij, ad extremũ verò omnes populares viri, qui cũ sint innumeri, & funalia ex candidissima cera confecta gestent, admirabilem ornatum præ se ferunt. Eo die essi dux propter decrepitam ætatem abfuit, (agebat enim nonagesimum quintum annũ) fuit tamen hæc supplicatio à tam multis senatoribus, & ciuibus frequentata, tot pretiosorum operum ornamentis decorata, tam multisq; alijs artificijs, & inuentis insignita, tam longo deniq; tempore acta (tres namq; horæ integræ in area Diui Marci transeundo consumptæ sunt) vt ne animis quidem eius celebritatem vos assequi posse existimem. LEO. Nescio sanè, vnde ista ciuitas Veneta tantam rerum omnium opulentiam consequi potuerit, quam facilè illius supplicationis indicio, ac certissimo testimonio cognoscimus. MICHAEL. Multa quidẽ sunt in ea vrbe ad hanc opum, facultatumq; amplitudinem conducentia, immunitas videlicet illius Reipublicę, longè, latèq; propagata iurisdictio, mercatorum, negotiatorumq; concursus: sed præter cætera, vna illa res principem locum obtinere mihi videtur, felicitas videlicet, diuino fauente numine, tam à multis annis obtenta, qua Dei immortalis beneficio vrbs illa donata, iam inde à suis primordijs, ex quibus ad hoc vsq; tempus ducenti supra mille annos interceserunt, nunquam hostium irruptionem, direptionemue passa est: quo fit, vt quidquid tam longo tempore fuit comparatum, tam multis victorijs acquisitum, tanta artium varietate congestum, in ea vrbe velut in

thesau-

theſauro repoſitũ, ſaluũ, integrũq; perſeueret, & per ipſius Reipublicæ cũies, quaſi per membra corporis fuſum, ſparſumq; in eadem Republica coſeruetur. LINVS. non dubito, quin inter diuina miracula hoc etiam recenſeri debeat, integra videlicet vrbis, & Reipublicæ per tã multa ſecula conſeruatio, nũquã alij, quod ſciam, conceſſa. Sed proh dolor! quantum intereſt inter vrbem iſtam felicisſimam, & noſtram Laponiam, quæ tot hoſtium prædis, tot bellorum incendijs, vrbiumque deflagrationibus, tot denique inteſtinis diſcordijs, & intestinecionibus obnoxia eſt, vt mirandum ſit potiùs, aliquid ex tam aſſidua vaſtitate ſupereſſe, quam florem illum veteris Laponici ſtatus decidiſſe. MICHAEL. Omiſſa in aliud tempus iſtarum rerum lamẽtatione, felices profectò, & fortunati patritij Veneti dici poſſunt, qui tanta nõ ſolùm rerum abundantia, ſed etiam tranquillitate hactenus ſunt potiti. In hac vrbe clariſsima decem dies ſimus morati; quos in variarũ, admirabiliumq; rerum aſpectu, & in mutua ſalutatione inter nos, magnateſque, præſertim Patriarcham grauiſsimum, ſummi pontificis vicariũ, imperatoris, Hiſpaniæ, Galliæq; regũ legatos, & alios huius notæ viros frequentata conſumpſimus. Habuimus autem horum noſtrorũ itinerum, & ſpectaculorum ſocium, clariſsimum quendam patritium virum, à ſenatu deſignatum, nomine Conſtantinũ Molinum, quem memoriæ, & honoris cauſa refero, teſtorque, nos miram eius beneuolentiam, morumq; ſuauitatem fuiſſe expertos. Infiniti propè operis eſſet, alia omnia notatu digna huius vrbis vobis referre, duo tamen loca nõ omittam, quæ valde celebria ſunt: Arſenale videlicet, hoc eſt arcem ſenatus, vbi & armarium aliud eſt, & omnium nauigiorum nobiliſsimum nauale: deinde verò inſulam quandã, quæ ab vrbe milliare diſtat, nomine Muranum, vbi opera vitrea conficiuntur. Sed quoniam longum fuit hodiernum colloquium, vtrumq; locum, quæſo, in craſtinum diem reijciamus. LEO. Tui ſermonis varietate, rerumque admirabilitate, tempus celeriùs opinione præteriſſe credo: ſed quandoquidem ſermonis intermiſsionem poſtulas, nos quoque voluptatem noſtram breui hoc tempore intermitti, patiemur.

Agitur adhuc de rebus Venetis, & accessu ad alias vrbes, præcipuè Patauium, Veronam, Mantuam, Cremonam, Mediolanum: & qua gratulatione in illis legati fuerint excepti. Colloquium vigesimum nonum.

LEO.

STudiũ audiendi ea, quæ ad duo reliqua vrbis Venetæ imprimis celebrata loca pertinẽt, nos ad citiùs solito cõueniẽdũ impulit: parati igitur auditoribus, agè iam Michael, incipe. MICHAEL. Vellem potiùs, patrueles amantissimi, vt daretur, celeri quodam volatu, vobiscum vrbem illam petere, & in ea, quæ ex me quæritis, digitos intendere, quàm tam longo interuallo distantia, ieiuna oratione prosequi. Sed satis faciendum est tandem vobis pro viribus, nec onus ante debitum tempus abijciendum. Quod ergo attinet ad locũ nomine Arsenale, est ille quidem, in quo nauigia vniuersa illius Reipublicæ confician̄tur, & reliqua omnia, quæ ad bellicam expeditionem, præsertim nauale, siue paranda, siue instaurãda pertinẽt, diligẽtissimè cõseruãtur, tãtaq; earum rerum est multitudo, tanta eius loci magnificentia, vt hinc manifestè maxima illius Reipublicæ opulentia, & potẽtia cognoscatur. Cõtinet enim locus ille ferè leucã integram, & muro, turribusq; fortissimis ita est circunsẽptus, vt tamen maris accessui, & recessui aditus pateat, & accõmodatum sit littus, ad naues malè materiatas, marisq; tempestatibus conquassatas, in siccum subducendas, & refectas iterũ, pice, & butumine egregiè oblicas, in mare deducendas: quod mira facilitate, & cõmoditate fit. Nec verò in eo loco sub dio naues sunt, quascunque aëris, & pluuiæ molestias perferentes, sed tectis optimis cooperta:

apertæ, quasi domibus incluſæ, ſub quibus plerumq; centũ,& quinquaginta, vel ducentæ triremes cuſtodiuntur: vltra quas, quo tempore ibi fuimus, vidimus alias viginti quatuor, multo maioris magnitudinis, quas octoremes poſſumus appellare, præter quãplurimos alios patones, multaq; minora nauigia, quorum ſumma difficilè poteſt colligi. Sunt præterea ibidem multa loca, in quibus ea, quæ ad munitionem, inſtructionemq; huiuſmodi nauium pertinent, ſeruantur, nimirum remi, vela, ſimiliaq; armamenta, anchoræ item, funes, rudentes, tormenta bellica, & reliqua huius generis: quæ omnia ita ſunt diſpoſita, vt ſingulis triremibus ſua omnia inſtrumenta ſint parata, & facillimo negotio claſsis maxima poſsit apparari: quæ quidem expeditio, talis eſt, vt nullibi alia ſimilis reperiatur. Vltra has autem omnes triremes, quæ ſunt in cuſtodia, triginta, vel quadraginta, aliæ huc, atq; illuc cõmeantes, oram maritimã tuentur: quo fit, vt Reſpublica Veneta totius Adriatici maris domina, & regina cenſeatur. Quod vt in ea vrbe ſignificetur, vetus eſt, & iam inde à priſcis ducta temporibus conſuetudo, vt die ſacro Chriſti domini in cælũ aſcenſus, dux ipſe ſenatoribus comitatus, infinitaq; populi multitudine cõcurrẽte, in mare proceders, ſolenni ritu annulũ in illud conijciat, quod vulgus maris ſponſalia appellat. Sunt etiam in alio receſſu armaria cõmunia, præter illa, quæ ſuperiùs nobilibꝰ deſignata dixi. Hæc enim ſeptẽ atrijs cõtinetur, & omnia armorum genera, peditum videlicet, & equitum, offendẽtium hoſtem, corpuſque tegentium, & cætera ſimilia reperiuntur: tanto verò numero, vt ſexaginta, vel ſeptuaginta militum millibus conſtans exercitus ad bellũ accingi poſsit. Sunt in alio receptaculo multa diuerſi generis bellica tormenta, multique globi ferrei, & lapidei adeò magni, vt ambitus aliquorum quinque palmos impleat: quorũ tanta eſt multitudo, vt bellicorum tormentorum duo millia, & quingenta, globorum verò vltra ducenta millia numerentur. Præter hæc omnia, in aliquibus turribus puluerꝭ eius, quem tormentarium vocãt, maxima copia ſemper præſto adeſt. Omniũ deniq;, quæ ad munitionem claſsis pertinent, mira eſt in ea Republica, & eo loco abundantia, tantaque magiſtratuum prouidentia, vt mille, & ſexcenti opifices à ſenatu conducti, varijs rebus ad rem nauticam pertinentibus, continẽter ibi diſtineantur: vnde & annuos ſumptus facili argumento aſſe-

qui poteſtis. LEO. Res quidē Europæ, peculiariter verò iſtius Reipū-blicæ, in primis ſunt admirabiles: illud autem multò magis demiror, quæ ſit cauſa, quare iſta Reipublica potentiſſima, multò plures alias prouincias non dum ſubegerit, & ſuæ iuriſdictioni adiunxerit. MICHAEL. Reddidi Leo rationem ſuperiùs, quæ iſti interrogationi poterit accommodari, & ex potentia reliquorum principum Europeorum, & iuſtitiæ norma ab omnibus diligenter ſeruata, ſi rectè memini, ſumpta eſt: amplitudinem tamen huius Reipublicæ ſatis commendare nequeo. LINVS. Dic nūc Michaël de illo alio loco, quē Muranū appellaſti. MICHAEL. Tranſeo iam libenter à bellico apparatu ad iſtius loci delicias, & amœnitatem. Eſt enim velut quoddam oppidū multis ædificijs, hortis, & villis refertum, multis item tabernis, & fornacibus, in quibus vitrum, quod cryſtallinum dicitur, vitreaq; opera conficiuntur, magnoperè decoratum: quorum quidem tam admirabilis eſt copia, vt non ſolùm in ea ciuitate, & tota Italia, verùm etiam multæ aliæ prouinciæ orbis terrarum eorum iucundiſſima ſupellectili delectentur. LEO. Vitrum iſtud, quod nominaſti, quidnam eſt, & qualis eſt eius vſus? MICHAEL. Egregiè rogaſti, cùm huius materiæ nulla ſit apud noſtros notitia. Eſt igitur vitrū materia quædā maximè ſplendens, nihil opaci habens, ſed tota luci peruia, ex quodā arenæ, vel calculorū, atq; herbarū genere confecta: quæ ita eſt fragilis, vt opera ex ea compoſita, quocunq; casu, & ruina in minutiſſimas partes confringantur, ideoq; maxima eorum copia quotannis empta, quotidiano vſu conſumatur. Nec tantùm hæc opera ex ſimplici materia fiunt, ſed aurum etiam artificioſiſſimè adhibetur, ita vt vaſa non mediocris pretij reddātur, vt colligere poteſtis ex ijs, quæ attulimus: inter alia enim nobis ab ea Republica dono data, dūæ fuerunt capſæ vitreis vaſculis refertiſſimæ. Nec verò ſolùm vaſcula conficiuntur, ſed alia multa opera, qualia ſunt ſpecularia, quæ lucem optimè admittunt, pluuiamque, & ventum prohibent, & in tectis, palatijs, alijſque ſimilibus ædibus vſurpantur: fiūt item optima ſpecula, qualia etiam nos ab eadem Republica donata attulimus. Conflantur deniq; turres, organa, aliaq; pulcherrimi artificij opera aſpectu iucundiſſima, quibus patritij, & nobiles viri aba eo ſuos refertos habere ſolent. Hæc autem omnia magna ex parte ab illo loco vendenda in varias regiones exportantur. Iam verò admirabilis

bilis est modus, quo artifices in his conficiendis operibus vtuntur. Primùm nanq; materiâ igni admotâ mollitur, deinde ferreis quibusdã, cauisq; instrumentis vtentes, vnica eorũ cuspide materiã apprehẽdunt, foramine verò per interiores partes instrumentorum commeante, ita insufflant, vt materiam illam producant, & protendant, intima ipsius parte vacua remanente, præsertim si pocula, aut similia vascula conflentur: postea verò alijs instrumentis eandẽ materiã initat mollissimæ ceræ poliunt, excolunt, & ad varios vsus accómodant, auruque, & varios colores adiungunt: vasculaq; confecta, donec obdurescant, in accómodato loco reponunt, atque ita equorum, leonum, hominũ, aliæque variæ formæ subsequũtur. Sed tempus postulat, vt iam ex hac vrbe, in qua propter rerum magnitudinem, & multitudinem morati sumus, pedem efferamus, & duobus tantùm illius Reipublicæ erga nos beneficijs commemoratis, huic materiæ finem imponamus. Prius fuit studiosa quædam de nostris rebus memoriæ conseruatio: quam vt senatores illi grauissimi obtinerent, historiam nostræ legationis cum nostris imaginibus, ad viuum expressis, inter reliqua illius Reipublicæ clarissima facta in atrio magni consilij, ab egregijs artificibus, tanquam certissimum nostri monumentum, depingi voluerunt, expensis in eo opere, vt auditione postea accepimus, duobus aureorũ millibus. Posteriùs beneficium fuit, munus quoddam ad nos missum, quod duæ maximæ capsæ, plusquàm quingentis operibus vitreis refertæ, continebantur: deinde multa vestis gausapina, Damascena, ex serico raso, ex serico denique vndulato, & ex aureo filo cõfecta: postremò octo maxima specula, quatuor quidem ebeno circunfecta, quatuor verò tabulis auro depictis inclusa. Quod quidem munus ita fuit magnificum, vt etiam cuiuis amplissimo principi esset accómodatum. Vltra hæc omnia, missum est ab eodem senatu edictum ad ciuitatum præfectos Venetæ iurisdictionis, qua eramus iter facturi, vt ab omnibus populis honorificè exciperemur, omniaq; necessaria nobis subministrarentur. His ergo beneficijs, alijsque multis beneuolentiæ, & amoris signis, illi Reipublicæ obstricti, principi, magistratibus, senatoribus, patribus denique Societatis, qui erga nos tãquã filios charissimos indulgẽter admodùm se gesserant, salute dicta, illiusque clarissimæ Reipublicæ memoria penitus animo impressa, pridie nonas Iulij nauigia duo conscẽdimus,

dimus; vbi multis ſenatoribus comitati, vſque ad templum Diui Georgij in Alga, ibidē cū ijſdem viris conuiuiū nobis lautiſsimè inſtructum iijmus, eoque celebrato iucundiſsimè, ad vrbem aliam nomine Patauium diſceſsimus, quò eodem die peruenimus. Fuit iter illud magnæ profectò iucunditatis, cùm fluuio amœniſsimo nomine Medoa co, nauigij funib⁹, ab equis per ripam fluminis incedentibus magna tranquillitate tractis, veherentur, ſummoperèq; pulcherrimorū ædificiorum vtraniq; ripam occupantium aſpectu delectaremur. In hoc amne duo opera vidimus egregij artificij: alterū eſt in eo loco, qui vulgo Lizafucina appellatur, quod ſic ſe habet. Ne fluuius hic è Mediterraneis locis magna vi profluens, eluuione ſua maritimos per vrbem Venetam curſus obſtrueret, curatum eſt, vt molium, aggerumq; vi aliò arceretur: quo factum eſt, vt inter fluuium, & æſtuaria illa ſinus Venetiæ, cuius quædam pars terræ interijceretur, Ne igitur id cymbarum nauigationi eſſet impedimento, excogitata eſt quædam forma veluti pontis curuati, qui à vadis ad flumen producitur, per quē catadromus, ſiue tympano ab equo circunducto, lintres etiam oneratæ, ſuppoſitarotarum machina, ab æſtuarijs ad amnem per illum terræ tractū facillimè tranſportantur. Alterum, magni etiam ingenij opus eſt: cū enim in media parte fluminis arduus quidam, & valdè præruptus ſit locus, curſum nauium impediens, confectum eſt quoddam aquarum receptaculum, cum ſuis foribus, ad aquam vel retinendam, vel ſoluēdam, cùm opus eſſet. Quoties igitur cymbæ ex inferiori parte ad eū locum appropinquant, intra receptaculum illud admittuntur, donec clauſis foribus, ita paulatim aqua excreſcat, vt ad altitudinē præruptí loci perueniat, & plano iam curſu cymba feratur. Quòd ſi ea è ſuperiori loco aduentet, plenum illud receptaculum ingreditur, & apertis foribus, ita aqua paulatim defluit, & cymba quodāmodo deſcendit, vt adæquato iam curſu, in inferiorem partem aluei prolabatur: atque in hūc modum naturæ difficultas inſigni artificio ſuperatur. Patauij magiſtratus ciuitatis, cùm alijs equitibus, & patritijs viris noſtrum iam aduentum præſtolabantur, & in currus ſuos nos recipientes, ad vrbem, & Societatis collegium deduxerunt, vbi ornatiſsimum hoſpitium inuenimus, duoſque dies in ea vrbe variarum rerum iucundiſsimo aſpectu morati ſumus. Vidimus ergo in primis cœnobiū Diui

Anto-

Antonij, cuius templum in ea vrbe Diui per quandam antonomasiam dicitur. Est autem diuus hic beatissimus ille Antonius Franciscanæ familiæ decus, & ornamentū, de quo iam aliquid dixi, cùm de vrbe Olysippone agerem. Fuit enim Diuus Antonius Olysippone natus, & nutritus, & in cœnobio Diui Vincentij, quod in eadē vrbe est, sacris addictus, postea verò ad Franciscanam familiam accitus: cùmq; in Italiā traiecisset, multosque annos ibi egisset, Patauij tandē sanctissimus eius animus corpore solutus, multis miraculis editis, in cælum conscendit. Mira fuit semper tum Lusitaniæ, tum etiam Italiæ, præsertim q; Pactatinorum erga hunc Diuum pietas, adeò vt celeberrimum templū illi extruxerint, quod non solùm operis magnificentia, sed etiam pretio vestis sacræ, ac aureæ, & argēteę supellectilis, quę centū millib. auru, ornū æstimatur, insigne est. Sunt alia multa in eadē vrbe præclara ædificia, inter quæ primo loco numero publicū quoddam atriū, ad quod magistratus conueniunt, quod, præter picturæ artificiosissimam varietatem, & tecti plumbeis tegulis cooperti singularem structuram, ea est amplitudine, vt nullum aliud vnicum domicilium cum hoc conferri posse videatur. Est item in eadem vrbe celebris Academia, omnium bonarum artium altrix, ad quam non solùm ex Italia, sed etiam ex multis alijs prouincijs sapientiæ studiosi magna frequentia concurrunt: qua ex re egregie vrbs illa nobilitatur. In eadem vrbe ædificatum est quoddam Societatis collegium, operis ædificatione, situque ad ripam fluminis amœnissimi magnoperè florens, vbi summoperè gratam patrum hospitalitatem experti sumus. Vidimus in eadem vrbe hortum quendam celebrem publico sumptu consitū, vbi omnes herbæ ad varia medicamenta pertinentes seruntur, conseruanturq; magno Reipublicæ Venetæ studio, omniumque vtilitate. Huic horto præerat ornatus vir, & bonarum artium satis peritus Melchior Guilandinus, quē iure optimo inter bene de nobis mericos numerare possumꝰ, qui præter alia multa amoris signa, quatuor egregijs voluminibus nos donauit, quorum primo theatrum orbis, ab Abrahamo Ortelio compositum, continetur: in tribus verò alijs, præclarissimæ orbis terrarum vrbes, ab ingeniosissimis artificibus expressæ, & exactæ comprehenduntur: quod quidem munus præterquam quòd centum aureis nummis æstimetur, benignè, liberaliterque oblatum, & sine

obtuto vlla

vlla remunerationis ſpe, ſatis Chriſtianum animum, & erga nouos Iaponiæ fœtus benouolum ſignificauit. Patauio ſexto idus Iulij profecti ſumus, Vicetiamq; vrbem aliam proximam eiuſdem Venetæ iuriſdictionis contendimus, in qua magnã etiam ciuiũ gratulationem, hoſpitaleſq; animos erga nos eſſe cognouimus, multis, ornatiſſimiſq; ciuil us nobis obuiam procedentibus, & acceſſum noſtrum, qua poterant animorum, & corporum hilaritate proſequentibus. Sed non eſt locus ſingula tam minutè referendi, quã grati animi officium poſtulabat. Non tamen ſilentio præterire poſſum ſingularem iucunditatem, quam ex congreſſu, aſpectuque nobilium fere omnium tam virorum, quàm fœminarũ, ad theatrũ quoddã confluentiũ, percepimus: in quo ab eruditis quibuſdã hominib⁹, qui Academici dicũtur, tragœdiæ, comœdiæ, aliaq; id genus dramata nõ minùs ornatè, quàm ſumptuosè populo ſpectanda proponi ſolent. Hoc in loco honorificè excepti, ſuauiſſimam multiplicis generis ſymphoniam non ſine maximo animorum oblectamento audiuimus, & ex his quæ hũc, aliiſque in locis vidimus, excellentiam, varietatẽ, ſingularemq; concentum inſtrumentorum ad artem muſicam pertinentiũ, quorum apud Europeos paſſim eſt vſus, ſummoperè demurati ſumus: vt omittam elegantiſsimam orationem, quam quidam ex ipſis Academicis de noſtri aduentus gratulatione, rerumq; Iaponenſiũ laudibus Italico ſermone publicè habuit. Hinc ergo progreſſi, vrbem aliam valdè celebrem, nomine Veronam petiimus, cuius ciues primùm in villa quadam ante ipſam vrbem, ad prandium apparatiſsimum nos inuitarunt: deinde ante ingreſſum quinquaginta equites cùm centum armatis peditibus nos exceperunt: vlteriùs verò tanta fuit paulatim cõuenientium patritiorum, & militum copia, tantus bellicorum tormentorum ſonitus, tam varia deniq; militaris exercitatio, acie inſtructa, & manipulis in gyrum actis, vt in caſtris eſſe videremur. Quoniam autem collegij Societatis tunc primũ ædificari cœpti non tanta erat commoditas, ad ornatiſsimum epiſcopi hoſpitiũ delati ſumus, vbi nec miniſtrorum diligentiam, nec muſicorum inſtrumentorum varietatem, nec deniq; alia ad magnificentiam pertinentia deſideraui mus. In hac vrbe duos integros dies morati ſumus, eoſq; in variis rebus ſpectandis iucundiſsimè conſumpſimus. Conſpeximus enim in primis templum maximum, illudq; ſumptuosè fabricatum: ſe

cundò theatrum illud vetuſtiſsimum, in eadem vrbe à Romanis olim conditum, quod etſi temporis vetuſtate magna ex parte iam ruinoſum erat, modò renouatum eſt publico vrbis ſumptu, & antiquam illam Romanorum in operibus conſtruendis, artem, opulentiamq; demonſtrat. Vltimò tandem à comite Biuilaquo ad ipſius ædes intuendas inuitati ſumus, quarum aſpectus miram ſanè nobis iucunditatem cum admiratione coniunctam peperit. In primis enim ingreſſi ſumus atrium quoddam, muſicis inſtrumentis refertiſsimum, quorum varia pulſatio mira ſuauitate aures noſtras permulſit. Deinde verò adijmus aliam domum multis, varijſq; ſtatuis marmoreis, multiplicibus picturis, emblematis deniq;, atq; imaginibus omnium Romanorum imperatorum, capſis ex ebeno artificioſe incluſis, ornatiſsimam: quod ſpectaculum mirificè antiquorum temporum vetuſtatem repræſentabat, & non dynaſtæ tantùm, ſed regium apparatum continebat. Poſtremò vidimus eius bibliothecam, tam multis, tam beneq; compoſitis voluminibus cumulatam, vt ſimilem aliam in noſtra Iaponia meritò optare poſſemus. Placuit ergo ſummoperè nobis huius vrbis ornatus, eamque tum ædificiorum pretio, tum hominum nobilium apparatu, tum deniq; Athеſis fluuij amœnitate, vnam ex celeberrimis Italiæ iudicauimus. Verona pridie idus Iulij profecti, oppidum nomine Villafrancâ ad meridiem tenuimus: quod quoniam eſt in confinijs Venetæ, & Mantuanæ iuriſdictionis, nobiliſsimus vir Mutius Gonzaga, ducis Mantuani conſanguineus, nobis nomine ipſius ducis occurrit. Eſt autem dux hic Mantuæ ex præcipuis Italiæ, & ab omni regum iuriſdictione immunibus dynaſtis, cùmq; Venetijs eſſemus, iam à nobis per literas contenderat, vt iter Mantuam dirigeremus. Explicare verbis non poſſum, quo honore dux hic Mantuæ, princepſq; eius filius nos tractauerint. Nam præter hunc tantæ dignitatis virum, cùm duobus curribus ad confinia miſſum, poſtquàm paululũ fines ducis ingreſſi ſumus, ſex alios currus obuios habuimus, ex quibus vnus erat ipſius ducis, grauſapino rubro coopertus, in quem ſtatim admiſſi ſumus: poſtmodùm nobis obuia facta eſt ala cataphractorum, qui non ſolùm ſplendidiſsimis armis, ſed etiam veſtibus pretioſiſsimis erant ornati: vlteriùs verò altera ala velitum ſimili ornamento inſignita. Tandem ad duas leucas, antequam ciuitatis ingreſſum, princeps ipſe ducis filius quadriga inaurata ve-

ctus, quinquaginta fere alijs bigis, quadrigisq;, & centũ equitib⁹, vestes gausapinas, monilia, pennas struthionum pulcherrimas, atq; aurea emblemata gestantibus comitatus, cuius quidem vigesimum primũ tum annum agentis corporis venustas, cum vrbanitate certabat. Vt primũ ergo ad nos peruenit, post honorificentissimam consalutationem, eum tum, quo vehebamur, ingressus est, & nobiscum vrbanitatis, & honoris causa vltimo loco sedit. Nobis ad vrbem appropinquantibus ex duabus arcibus multis tormentis bellicis, admoto igne, festiuus, admirabilisq; sonus est redditus: idemq; in vrbis ingressu præstitum est à multis militib⁹, quorũ duæ erant cohortes, vna sclopis, altera bipennib⁹ vtens. Obuium se nobis etiam obtulit ad suburbiũ cum summa humanitate illustrissimus vir Scipio Gonzaga, ducis consanguineus, eius absentiam ipsius nomine excusans: cùm iam idem per principem fecisset, quòd non ita recta esset valetudine. Hic est ille Scipio, qui cũ summo honore Patriarchã Hierosolymitanus, & paulò post omnium applausu, ma gnaq; animorum nostrorum lætitia à Xisto quinto cardinalis creatus est. Delati sumus igitur à principe ad palatium quoddam non solùm opere, & pictura, sed etiam statuis quàm plurimis ornatissimũ, adeò vt in vnico domicilio, in quo Mancius noster hospitiũ habuit, paucis ante diebus octo nũmorũ aureorum millia expensa esse, audierimus: ibidemq; in loco lautissimum conuiuium, omniq; ornatu splendidissimũ nobiscum celebratũ est. Vrbs hæc Mãtua est ex pulcherrimis, amœnissimis, & munitissimis totius Italiæ. Nam quod ad munitionẽ attinet, duas illas arces habet, de quibus dixi, omni apparatu bellico instructissimas: sita est item in medio quodã lacu nauigabili, cuius quibusdam locis artificiosè apertis, eiusdem lacus aqua tota illa Mantuani agri plantes obrui potest, vt de Ferraria vrbe diximus: ex quo argumento etiam ædificiorum ornatum, vrbis pulchritudinem, & amœnitatem conijcere potestis. Postero die, etsi dux non dum erat firma ad hodiernã valetudine, voluit tamen sella quadam vectus, omniq; nobilitate stipatus nos inuisere, quo in congressu, eius item vrbanitatem, & comitatem summopere experti sumus. Post aliquos fere menses nos ad se collatos, inuitauit nos dux, vt sacro in templo Diuæ Barbaræ, quod cum ipso palatio coniunctum est, solenni ritu faciendo interessemus. Cũ enim dux hic illustrissimus præter alia naturæ, & industriæ

bona, artem canendi egregiè calleat, nihil antiquius, & charius habet, quàm vt ſuauiſſimo cantorum concentu, aliiſque caremonijs de more ſeruatis, in hoc templo ſacra fiant: quod eo die diligenter factum eſt, noſq; ad eam celebritatem, ſacra Euchariſtia ſumpta, animorum refectionem adiunximus. Eodem apparatu recitata ſunt poſt meridiem preces veſpertinæ, quibus adiuncta eſt lætitia non parua, Lucæo quodam ex ſapientibus vulgò Rabbinis, à ſuperſtitioſa legis veteris obſeruatione ad Chriſtianam veritatem traducto, quem in ſacris, & diuinis filiũ princeps ipſe ſuſcepit, meoq; & Mancij nominibus coniunctis, Michaelem Mancium voluit appellari. Poſt hæc ad videnda celebria loca vrbana & ſuburbana à principe delati ſumus: in vrbanis quidem ſummam operũ elegantiam, ingeniumq; obſeruauimus: in ſuburbanis verò, præſertim in hortis ipſius ducis eandem amœnitatem, magnificentiã, & ad omnes vitæ delicias opportunitatem, quam ſuperiùs de alijs ſimilibus locis commemorauimus, ineſſe notauimus: qua de cauſa non eſt curæ rum repetam. Nec ſolùm princeps ipſe comem, & perhoſpitalem ſe nobis oſtendit, verùm etiam ipſius vxor, quæ eodem etiam die ruſticari voluit: & in agro cum maximo comitatu nobiſcum congreſſa, tantam affabilitatem, vrbanitatemq; præ ſe tulit, vt currum ſuũ transgredi non ſit paſſa, quin primùm nos traijceremus. Nocte iam aduentante, ad lacum ab eodem principe deducti ſumus, vbi nauigiũ principis intus, foriſque gauſapino rubro, & auro ornatum ingreſsi, ſex aliorum nauigiorum vehementiſſimo applauſu, inſtrumentorũq; muſicorum vario ſonitu, exhilarati ſumus, & nocturno aſpectu vrbis ſummoperè recreati. Iuſſerat enim princeps, vt ad omnes vrbis feneſtras, & circum muros, & in ponte quodam, quo ad vrbem tranſmittitur, lucernæ, lampadeſq; diſpoſitæ comparerent: quæ profectò res magnam oculis, animiſque iucunditatem attulit, cùm nox inſtar diei lucere videretur. Præterea in eodem lacu duabus cymbis nixæ, & extructæ erãt quædam machinæ ad modum pyramidum, ex quibus, opera multa ex puluere ſulphureo, papyroque confecta, admoto igne, in varias partes mittebantur: taliſque erat adiuncta materia, & ita ignem conſeruabat, vt opera iam ignita in aquam miſſa non ſolùm non extingueren tur: imò verò inde emergentia huc, atque illuc diſcurrerent, & circunſtantes venuſtiſsimè terrerent, ac macefacerent. His etiam ad

iungitè cormentorum, tubarum, tibiarumq; ſonitũ, quibus omnibus cõmixtis, celebritas quædam admirabilis ſequebatur. Poſtquàm autem aliquandiu hoc ſpectaculo recreati ſumus, ex nauigijs in terram deſcendentes, duodecim ducis adminiſtros, totidem funalia præferẽtes, cum magno alio comitatu obuios habuimus, & ad palatiũ vſq; principem ſocium habentes, nos recepimus. Sequentes dies abſque animorum relaxatione princeps præterire non eſt paſſus. In primis enim longiùs aliquantulum progreſſi, cum eo inuiſimus templum quoddam Beatæ Virginis, quod leucam cum dimidia ab vrbe diſtat, & propter miraculorum multitudinem, quæ frequenter Beatæ Virginis precibus ibi edũntur, celeberrimum eſt. Deinde adiuimus cœnobium religioſorum virorum ex Carthuſiana familia, diſciplinæ ſeueritate, & vetuſtate florentiſſimum: vnde digreſſi, iucũdo piſcatu plurimorũ, variorumq; piſcium non modicam cepimus voluptatem. Ad extremum venatione etiam variarum ferarum eius diei lætitia fuit cumulata. Alio item die ad cœnobium quoddam religioſorum hominum ex Diui Benedicti familia, quatuor vrbe leucas diſtans, cum eodem principe iter fecimus. Eſt autem cœnobium hoc ex celebratiſsimis totius Italiæ operis magnificentia, & ſumptu, redituum pretio, denique ipſorum religioſorum multitudine, qui ferè centum, & quinquaginta ſunt. Hi autem omnes cum cœnobij abbate, magnæ autoritatis viro, ſupplicatione facta, & campano ære pulſato (quod ſolũm in aduentu principis fit) nos peramanter, & benignè exceperunt. Sed nolo ſilentio præterire aditum noſtrum ad ducis vxorem, principiſq; marrem clariſsimã fœminã, omniq; virtutum genere inſignem: quæ cùm Ferdinandi imperatoris filia ſit, & Philippi Hiſpaniæ regis ſoror patruelis, tanta eſt animi ſummiſsione, & charitate prædita, vt pauperes ægrotantes inuiſere, eiſdẽq; non ſolũ res neceſſarias ſuppeditare, verũ etiam per ſe illis miniſtrare conſueſcat. Inuiſimus etiam ipſius principis illuſtriſsimam coniugẽ, quorum vtraq; pro amplitudine ſua, & generis nobilitate vrbaniſſimè nobiſcum ſe geſſit, ex intimis penetralibus ad portam atrij procedens: quo vrbanitatis genere erga magnos principes tantùm vtũtur. Vidimus deinde vtriuſq; familiæ ſupellectilem, & æraria, ac in vtroq; loco preciоſiſsimis rebus cumulato, dignam tanta amplitudine magnificentiam conſideraũimus. Non prætermittam hoc loco noſtrum

de more

de more acceſſum ad patres Societatis, veluti certiſsimos hoſpites, apud quos tamen recens in eam vrbem introductos, & adhuc incommodè viuentes, non ſumus, vt ſolebamus, cómorati. Ad alia multa beneuolentiæ ſigna addiderunt hi duo dynaſtæ pater, & filius, munera pretioſiſsima, & iucundiſsima nobis oblata. Nam princeps dedit in primis nobis duo integra indumenta bellica, ex politiſsimo chalybe confecta, auroq; ornata, quorum vim, firmitatem, ac pulchritudinem vos ipſi eſtis intuiti: deinde duos ſclopos ingenioſiſsimè fabricatos, qui eódem rotæ inſtrumento intendi, & igne concepto glandes mittere poterant: duos item gladios, quibus ſimul ſcloporum inſtrumenta adiuncta erant: præterea quatuor horologia ex eis, quæ penſilia dici poſſunt, & mira arte, vt vidiſtis, tam breui magnitudine, omnia, quæ ad maiora horologia pertinent, egregiè continent. Vlteriùs tormentum quoddam bellicum paruæ, ſed artificioſæ magnitudinis, quod ipſemet princeps manibus ſuis conflauit: tantum eſt in eo etiam ad huiuſmodi opera ingenium, & inter ea, maximè ad picturam! Quam ob cauſam ſuperiora dona imagine etiam ſui ad viuum expreſſa cumulauit: quæ quidem tam bene depicta eſt, & nobis tam iucunda, vt quoties illam intuemur, toties cum principe ſermonẽ conferre videamur. Dux etiam alia pretioſa munera nobis miſit, præſertim quatuor gladios ancipites, quorum capuli, vaginæq; argentea erant, auroq; ornata, ita vt ſinguli enſes ducentis aureis nũmis fuerint æſtimati: quib⁹ addidit quatuor ſacrarum reliquiarum pretioſiſsimas thecas, eaſdemq; ſanctorum reliquijs refertiſsimas. Ex quibus omnibus non ſolùm illorum principum copiam, & affluentiam, ſed etiam in hoſpites, & externos homines tantanobilitate dignam munificentiam poteſtis cognoſcere. LEO. Cognoſcimus planè, & exploratam habemus abundantiam, & magnificentiam: cùm erga homines tam breuis temporis hoſpitio exceptos, in tam remotas regiones nauigaturos, ad eorum deniq; conſpectũ nũquàm redituros, tam magnificos ſe præbuerint. MANCIVS. Ita prorſus eſt, vt affirmas Leo, illudq; vlteriùs admirari debes, quòd tam excelſi, generoſiq; ſint Europeorum principũ animi, vt non diuitiæ in ipſos, ſed ipſi in diuitias dominẽtur. LINVS. Longè id profectò abeſt ab Ethnicorũ conſuetudine, qui quò ditiores ſunt, eò parciùs, tenaciùsq; partacõſeruant. MICHAEL. Decimo quinto calendas Auguſti, Mantuæ

digreſsi, ipſo principe, aliiſq; patritijs vſq; ad vrbis portam officioſiſsimè comitantibus, quibus ſalute dicta, iter Mediolanum direximus: vt inde Genuam profecti, triremibus in Hiſpaniam tranſmitteremus. Miſsi autem ſunt nobiſcum multi, qui nos vſque ad caſtrum nomine Gazolum, ad Mantuanam iuriſdictionem pertinens, proſequerentur: vbi tã lauto, & magnifico hoſpitio, quàm Mantuæ accepti ſumus. Huc accedentibus, illuſtriſsimus cardinalis Sfondratus, idemque Cremonenſis præſul, quinq; currus, ſimulq; tabellarios miſit, qui nos ad tranſitũ per eam vrbem, in qua erat, nomine Cremonam, inuitarent. Poſtero igitur die à Mantuanis diſcedentes, gratiſque actis, cum Cremonenſibus iter aggreſsi, ad caſtrum aliud nomine Suſpirium deuenimus, in quo multi ex ipſius cardinalis familia magnificum nobis hoſpitium appararunt. Vlteriùs verò leucam integr. m ante vrbis ingreſſum, occurrit in primis ipſius cardinalis vicarius cũ multis equitibus, & patritijs, mox prætor vrbanus cum militum cohorte, aliique equeſtri, & pedeſtri comitatu, adiunctis curribus vltra triginta: denique illuſtriſsimus ipſe cardinalis: ciues verò in primo aditu multiplici tormentorũ bellicorum, & tympanorum ſonitu, lætitiam de aduentu noſtro conceptam ſignificarunt. Vrbem ingreſſos cardinalis intra palatium ſuum recepit, mirificèque ſuam erga nos beneuolentiam ſignis, argumentiſque multis aperuit: præter notitiam enim illam, quam de noſtris rebus Romæ habuerat, in ea vrbe agens, cùm ſummum pontificẽ adiremus, ea eſt ſanctitate, & religione præditus, vt Iaponenſes res, tanquam ad reipublicæ Chriſtianæ incrementum magnoperè pertinentes, in ſummo amore habeat. Ipſe igitur nobis præſentibus bis ſacrum fecit, alterum in priuato ſacello, alterum verò in templo maximo, vbi & nos cæleſti ſacræ Euchariſtiæ pabulo refecit: vtrumque autem ſacrum, eam lacrymarum vim profundens, peregit, vt quanta animi reuerentia, ac pietate noſtræ ſalutis memoriam recolat, ſatis manifeſtè oſtenderit. Poſtmodùm eum in publica, eaque ſolenni ſupplicatione ſanctiſſimum Chriſti corpus ferentem comitati ſumus. Inter reliqua animoris ſigna, ſacras reliquias, quæ tum in priuato ſacello, tum in templo cuſtodiuntur, proprijs manibus nobis benigniſsimè oſtendit, & ſingulis ſingulas aureas cruces, ſacri ligni particulas continentes, dono dedit: omnibus denique beneuolentiæ, charitatiſque officijs erga nos

functus

ſunctus eſt. In hac vrbe commorantes adijt nos patritius quidam ab illuſtriſsimo duce Terræ nouæ, totiuſque Mediolanenſis tractus gubernatore miſſus, vt nos ipſius nomine Mediolanum vſque comitaretur: quos etiã diſcedentes cardinalis ipſe ad portas vrbis, & Cremonenſis gubernator, qui tunc Placentia redierat, ad duo milliaria proſecuti ſunt, militeſq; ex arce, tubis, ac multiplici tormentorũ bellicorũ genere abeuntes feſtiuè ſalutarunt. Cremona igitur profecti, acceſsimus ad oppidum nomine Piziquitonum, vbi & ab ala equitum, & a cohorte peditum excepti ſumus, & ad arcem cum eadem amoris, & lætitiæ ſignificatione deducti, ibique ab eo equite, qui nos comitabatur, lautè, ac honorificè ſumus habiti. Ex hoc oppido iter fecimus ad vrbem nomine Lodum, quæ eſt ex præcipuis ad Mediolanenſem iuriſdictionem pertinentibus: ante quam prætor, & præfectus arcis nobis obuiam proceſſerunt, cum magna militum copia, & tum eſclopis, tum etiam tormentis in arce diſpoſitis, igne admoto, noſter acceſſus mirificè celebratus eſt. Vlteriùs verò prodijt etiam gubernator vrbis, cum multis magiſtratibus, & nobilibus, additũcta velitum ala, atque ita cum maxima frequentia, & applauſu vrbem ingreſſi ſumus. Quoniam autẽ ex præſcripto ducis, gubernatoriſq; Mediolanenſis, die Diuo Iacobo ſacro nobis Mediolanum erat petendum, ſequentem diem etiam Lodij egimus, & aliqua aſpectu digna in ea vrbe ſumus intuiti. Adijmus enim templum maximum, ſacerdotibus, qui canonici appellantur, nos, ſupplicatione facta, excipientibus, ſanctiſsimaq; Euchariſtiæ hoſtia, ſolenniter, & cum mirifico cantu immolata. Conſpeximus etiam ſanctorum reliquias, ſacramq; veſtem, vnionum, gemmarumq; multitudinẽ, quibus hæc omnia diſtincta erant, adeò vt in Inſubrium finibus nihil ſimile reperiatur. Poſt lautiſsimum prandium, gubernator, nos ad videndum iucundiſsimum petauriſtarum ſpectaculũ inuitauit. Sunt autem quidam artifices, qui corporis velocitate ſummoperè valent, ita vt circum haſtas ſe voluant, funes conſcendant, circulos more piſcium tranſmittant, aliaque ſimilia præſtent. Vidimus ergo in eo ſpectaculo tres fœminas, & puerum, qui monſtri formam gerebat: omnes autẽ ad ſonum barbiti enſes ſtrictos manibus præferentes, egregiè tripudiarunt, ſimultatumq; prælium inter ſe cõmiſerunt, tali ſono edito, vt quàm plurimi milites viderẽtur. Poſtmodum vario ſaltu, aſcenſu, ac deſcenſu, circu-

itione,

itione, alijſque ſimilibus motibus magnæ admirationis ſe exercuerũt. Poſtremò eorumdem artificũ ingenio à pupulis ſcenicis pegmate pro deuntibus, equites, peditesq; repræſentantibus, tam graue certamen initum eſt, ſclopis, tormentiſque arte adhibitis, vt vera pugna videri poſſet. Poſtero die Diuo Iacobo dedicato, Mediolanum perreximus, & ad nouem ab vrbe milliaria multos equites Mediolanenſes obuios habuimus, & in quodam oppido nomine Marignano ad opiparũ conuiuiũ fuimus inuitati. Ad duo milliaria extra vrbẽ vicarius illuſtriſsimi archipræſulis Mediolanenſis nos conuenit, & nomine ipſius archipræſulis de aduentu ofnciosiſsimè fuit gratulatus. Vlteriùs progreſsis occurrit nobiliſsimus quidam vir, ducis cognatus, centum equites ſecum deferens, quoſdam haſtarios, & ſcloparios, alios autem velites, quorum illi gauſapino nigro, auro ornato erant induti, cum galeis ſplendidiſsimis: hi verò veſtes ex gauſapino purpureo ſin brijs auro intextis geſtabant. Aderant præterea quatuor equi egregiè inſtructi, nobis ad vrbem ingrediendam nomine ducis oblati. Cùm ergo equis vecti pergeremus, tanta fuit populi, nobiliumq; confluentiũ multitudo, vt meritò cognouerimus, eam vrbem eſſe omnium totius Italiæ frequentiſsimam. Nobis igitur ad portam ſuburbanam peruenientibus obuius factus eſt illuſtriſsimus dux, idemq; gubernator Mediolanenſis, duobus filijs, ac nobiliſsimo Marchione Auali ipſius nepote, reliquiſq; magiſtratibus, & ſenatoribus, quingentis denique equitibus comitatus. His autem antecedentibus, poſt mutuam ſalutationem, nos ſinguli ad dextras grauiſsimorum virorum ſuorum adiuncti. Nam Mancius noſter ducis ipſius dextram tenuit, cuſtodijs, & ſatellitibus omnibus comitatus, ego ſocium habui Philippi regis viſitatorẽ, Martinus maximum cancellarium, Iulianus denique ſenatus præſidem, omnes horum quatuor grauiſsimorum in ea vrbe virorum dextras occupantes, & infinitis propè militibus circunfuſi, ita vt ingreſſus ille admirabili fuerit apparatu: quem auxit populi innumerabilis frequentia, tabernarumq; omnium, quæ in vicis erant ſitæ, celebris quædam compoſitio. Cùm enim indictũ fuiſſet mercatoribus, vt pretioſam veſtem venalem explicarẽt, tam multa fuit copia ſerici, gauſapini, auri Phrygio opere texti, tanta item multitudo tapetum, periſtromatum, & aulæorum, vt facilè magnificentiam, opeſque Mediolanenſis

lanensis vrbis primo aspectu cognouerimus. His adiungite spectatores, spectatricesq; tãto numero, vt feneſtrę multęad solùm illud spectaculũ quinq;, & sex aureis conductæ fuerint. Hac ergo celebritate incredibili post duo ferè milliaria confecta, ad collegium Societatis peruenimus: vbi precibus Deo in templo adhibitis, saluteq; duci, & reliquo comitatui dicta, à patribus Societatis ea humanitate, quam in alijs locis fueramus experti, in collegium recepti sumus. Sed quoniam vt aliquid de hac nobilissima vrbe agamus, longior temporis mora requiritur, materiam hanc, si placet, in crastinũ diem differamus. LEO. Placet, dummodò tamen hodie, semperq; grati animi erga Europeam gentem, quæ tam beneuolè vobiscũ egit, significatio testata maneat.

De his adhuc, quæ Mediolani, ac Papiæ sunt notata, & ingressu ad vrbem Genuam, nauigationeq; vsq; in Hispaniã. Colloquiũ trigesimũ.

MICHAEL.

NOn dubito, patrueles charissimi, vos Mediolanensium rerum cognoscendarum ardenti studio teneri: cui vt satis faciam, velim sciatis, in Italia vrbes numero multas, easq; frequentissimas, & opulentissimas reperiri, quatuor tamen esse omnium celeberrimas, Romam scilicet, Neapolim, Venetias, de quib' iam egimus, & Mediolanũ, de quo modò nobis est sermo. Hæ nanq; quatuor vrbes ita ciuibus sunt frequentatæ, vt singulæ vltra triginta millia incolarum contineant, templa verò, & reliqua publica ædificia tot sunt, vt cum dynastarum palatijs, eas dem amplissimas reddant, quod ex superioribus colloquijs liquidò constat. Ex his tamen quatuor, quantus Roma ambitum habeat capacissimum, frequentia tamen ciuium, populiq; multitudine Mediolanum

illi non cedit: vnde huius vrbis nobilitatem, amplitudinemq; manifestè cognoscere potestis. Est præterea caput totius iurisdictionis, quæ ad Mediolanensem ducem pertinet, qui hoc tempore est Philippus potentissimus Hispaniæ rex, quòd eam ditionem totam pater ipsius Carolus quintus huius nominis imperator, ab vltimo Mediolanensi duce sibi legatam hæreditario iure, vt iam dictum est, obtinuerit. Pollet vrbs hæc maximè, tum loci munitione, tum etiam amœnitate. Quod enim ad hanc attinet, ita est in ea parte Italiæ, quæ olim Gallia, cisalpina, nunc Longobardia dicitur, & absque controuersia cæterarum omnium Italiæ prouinciarum est amœnissima. Hanc vrbem fluuius quidam iucundissimus interfluit, ripariumq; suarum vestitu viridissimo, altissimisq;, & opacissimis arboribus, pulcherrimum eius agrum efficit. Munita verò est duplicibus mœnibus, quibusdam quidem amplioribus, recentioribusq;, adhibita latissima fossa: aliis verò vetustioribus, adiuncta item fossa, vtrisque tamen firmissimis. Cùm enim olim vrbs hæc mœnibus cincta esset, & postea eius suburbana maxima susciperet incrementa, necesse fuit, alios muros ea circũsepire, quibus vrbs spatiosissima redacta est. Præter vtraq; mœnia, est etiã in ea quædã arx, omnium totius Italiæ munitissima, quæ etsi vrbi coniuncta, peculiarem tamen præfectum, propriamque administrationem habet, fossaque, & validissimis propugnaculis circundata est. Exornatur item hæc vrbs vicorum latitudine, domuum pulchritudine, ædificiorũ apparatu, quæ omnia pulchram, amœnam, & valde munitã perficiũt. Ad amœnitatem non solùm ipsius, sed etiam totius pagi Mediolanensis facit, quòd septemdecim lacus vberrimos, & sexaginta quatuor fluuios habeat. Est præterea ipsamet vrbs tantoperè non modò mercatorum, verùm etiam variorum artificũ frequentia florens, vt cõmuni proverbio dici soleat: ei, qui vellet totam Italiam exornare, Mediolanum esse extinguendum: quia videlicet totius ornatus, artificij, operisque genere ita est cumulatũ, vt ab eo acceptis, reb. cæteræ omnes vrbes abundare possent. In hac enim vrbe omne genus gausapini, serici, auri Phrygio opere texti, argenti in bracteas moliti, & alia omnia ingeniosissima opera fiunt. In eadem ex auro, & argento, ex ære, & ex marmore, vasa, statuæ, emblemata, imagines, similiaque alia pretio, & pulchritudine conspicua conficiuntur. Ex quibus eo tẽpore, quo

Mediolani fuimus, viginti octo æreas ſtatuas, duodecim videlicet Apoſtolorũ, quatuor ſacri Euangelij ſcriptorum, quatuor item doctorum, aliorumque diuorum plurũ, iuſſu regis Philippi operoſiſsimè fabricatas vidimus, ad Scurialenſe cœnobium deportandas, quarũ ſingulæ ſex aureorum millibus ſtetiſſe dicebantur. In eadem denique vrbe arma, ſeu ad defenſionem, ſeu etiam ad offenſionem pertinentia miro opere cuduntur, & ex illis ſunt ea, quæ à Mantuano duce nobis dono data, ſuperioribus diebus vidiſtis. Quo fit, vt nihil arte, & ingenio elaborari poſsit, quod non abundè in hac vrbe reperiatur. Inter nobiliſsima ædificia, templum maximum in primis numeratur, tanto ſumptu, tamque admirabili arte confectum, vt ſiue magnitudinem, & artificium, ſiue materiæ, & ornamenti pretium perpendas, ex cepto Romano templo Diui Petri, pauca omnino in tota Europa cum eo poſsint conferri: parietum namque facies vtraque tam interior, quàm externa non ſolùm ex puriſsimo marmore eſt cõpoſita, verùm totũ illud tam multis ex lapide Pario ſtatuis abundat, vt maximo inde decor, ſplẽdorq; ſubſequatur. Iam verò aræ maximæ paries eo eſt ornamẽto, & reliquiarũ ſacrarũ eo eſt artificio, ad aurum multis adiunctis vnionibus, & margaritis, vt pretio, & pulchritudine reliqua, de quibus diximus, facilè adæquet. Cœnobiũ etiã Dominicanæ familiæ eſt in ea ſumptuoſiſsimũ, cuius inter alia bibliothecã ex optimis totius Italiæ iudicauimus. Habet Societas IESV in hac vrbe duo domicilia: vnũ eſt collegium, in quo gratiſsimum hoſpitium habuimus, cum eiuſdem patribus, & fratribus, qui octoginta numerantur: alterũ verò eſt domus profeſsorũ, cuius opus etſi nouum, & nondum ad faſtigium perductũ, ſexaginta iam aureorum millia conſumpſit. In hac vrbe octo dies morati ſumus, paucos illos quidem, ſi multa, quæ in ea ſpectanda ſe offerebant, conſiderentur: non tamen diutiùs morari licuit, nũtio Genua allato, ad triremes iam paratas conſcendendas, nauigationemq; Hiſpanicam ineundam nos vocante. Toto eo tempore ab illuſtriſsimo duce, filijs, & nepote, ab ampliſsimo item archipræſule, ab alijs denique epiſcopis, & dynaſtis vrbaniſsimè, & familiariſsimè nobiſcum actum eſt. Erant enim ibi præſules Nouarienſis, & Dertonenſis, legati item ducis Bituriæ, & Venetæ Reipublicæ, ſimul cum præfecto arcis Mediolanenſis, inter quos, uoſque hoſpites nullum conſalutationis,

congreſſuſque officium eſt prætermiſſum, imò cumulatiſsimè expletũ. Archipræſul autem ipſe non ſibi ſola ſalutatione ſatisfaciens, die dominico ad ſacrum ſolenne, quod primũ in ea diœceſi facturus erat, nos inuitauit, præſenteſque ſuis ipſe manibus ſanctiſsimo Chriſti corpore refecit: mox domum deduxit, & nobiſcum amantiſsimè voluit conuiuari. Nec minor fuit ducis ipſius beneuolẽtia, qui toto eo tẽpore ex ſuis ſumptibus nobis victum neceſſarium parari iuſsit: deinde ad domeſticum, lautiſsimũq; conuiuiũ vrbaniſsimè nos vocauit: Mancium noſtrũ ad dextrum latus, noſque in ornatiſsimis ſedibus collocans. Poſt prandium verò intra ipſius palatium drama quoddam iucundiſsimũ nobis exhiberi voluit, cuius materia, hiſtrionumq; venuſtate non parum delectati ſumus. Præterea matutino, veſpertinoq; tempore filios, ac nepotem frequenter cum lectica curuli, & Heluetiorum cuſtodia ad nos miſit, vt illis ſocijs celebratiſsima quæq; loca vrbis adiremus: denique ſingulis gladios, ac pugiones capulis inauratis donauit, alijs que multis argumentis amorem ſuum erga nos ſatis, ſuperque perſpectũ, exploratumq; reddidit. Vidimus etiam munitiſsimã arcem illius vrbis, rogatu ipſius præfecti, nomine Sanctij nobilis viri, qui militum omnium Heluetiorum cuſtodia ſtipatus, ad nos excipiendos in aream deſcendit, muris etiam à quingentis militibus occupatis, qui ſolutis ſclopis, tormentiſq; bellicis igne admoto, quæ vltra quingenta ſunt, grauiſsimo, lætiſsimoq; ſonitu noſtrum acceſſum celebrarũt, & quam topere locus ille munitus eſſet, manifeſtè ſignificarunt. Factum eſt ſacrum nobis præſentibus in ſacello maximo à ſacerdote cum duobus miniſtris, diacono videlicet, & ſubdiacono, ſolenni ritu, cãtuque valde iucundo. Quo abſoluto, nobis egredientibus, varia ex puluere ſulphureo opera, ſpectaculaque exhibita ſunt, præſertim quarundam ſphærarum, quarum ſingulæ per quartã horæ partem circumuolutæ centies, & eò amplius veluti tormentorum ſonitum emiſerunt. Poſt hæc ad conuiuium lautiſsimum, apparatiſsimumq; acceſsimus: cùm verò accumberemus, miles quidam totius arcis claues ad præfectũ detulit, ille eas Mancio noſtro offerre iuſsit, quo vrbanitatis genere indicauit, ſe Mancio præſenti cedere, præfecturamq; arcis penes eũ eſſe. Poſt prandium ad intuenda munitiſsima quæque illius arcis loca præfecti ductu perreximus, quæ ſummam nobis mouerunt admirationẽ, præſer-

præſertim quadringẽta maiora tormenta bellica, quorũ multa vaſtæ erãt magnitudinis: deinde modus eorũdem cõficiendorũ, optimè enim in eadem arce conflantur: deniq; multa alia munitionis genera, quibus arx illa ſummoperè abundat, rebus omnibus ita paratis, excubijſq; per tempora, locaq; diſpoſitis, quaſi præſens periculum immineat. Nec enim Europei reges, & principes ſuorũ animos otio langueſcere vlla ratione patiũtur, ſed ſemper eos militari diſciplina excolunt, & exercẽt adeò, vt nulla ex parte ordinem, inſtitutumq; huius artis perturbari vellint: cuius rei nos ipſi teſtes ſumus, videntes militem eo in loco, quòd citiùs debito ignem ſclopo applicuiſſet, iuſſum comprehendi, qui tamen ſtatim Mancij noſtri precibus impunitus dimiſſus eſt. Poſt hæc, aditumq; noſtrum tum ad profeſſorum domum, tum ad ſeminarium, & vtrobiq; egregiũ conuiuiũ apparatum, tertio nonas Auguſti Mediolano profecti ſumus, filijs, & nepote ducis, cum alijs multis equitibus nos ad ſuburbana vſq; comitantibus, & eo die ad cœnobium Carthuſianorũ, quod propè Ticinũ, ſiue Papiam eſt, ac in primis, celeberri miſq; totius Italiæ numeratur, ad meridiem deuenimus. Dicuntur huius cœnobij reditus triginta aureorum millibus æſtimari: capacitas verò ædificij ampliſsima eſt, multis abundans impluuijs, hortis, alijſque amœnis locis. Cùm enim religioſi illi viri veluti cuiuſdam ſacri claſtri, & incluſionis ſeueriſsimam diſciplinam profiteantur, non poſſunt non intra cœnobium multis, varijſq; rebus ad vitæ commoditate neceſſarijs abundare. Templum ſumptuoſiſsimum habent, cuius parietes interiùs cruſtis marmoreis teguntur: externa verò facies ex rubris laterculis venuſtatem ſummam præ ſe ferentibus, coagmentatur. Iam verò veſtibulum ipſum admirabile profectò eſt, in ſummam altitudinem quam plurimarum vlnarum conſurgens, cùm tamen ad tectum nondũ ſit peruentũ. Nec minùs ſpectabilis eſt materia: ex ſolido namque marmore confectum eſt, tam multas habens Diuorum ſtatuas, ſuis receptaculis diſtinctas, vt cum venuſtate operis, artificum ingenijs certet. Decoratur item templum ſacro ſcrinio, in quo ſancta Euchariſtia ſeruatur: nam præterquàm quòd ſit ex opere vermiculato, magnoperè auro, margaritiſq; ornatur. Eiuſdem ferè operis eſt totum ſacellum, quod etiam magnificentiſsimo ſepulchro Ioannis Galeazij primi Mediolanenſis ducis decoratur, quod materia marmorea, ſtatuarum circumſ-

circunſtantium multitudine, totiuſq; fabricæ artificio, regum tumulis nequaquam cedit. Prætermitto eiuſdem cœnobij veſtem ſacram, ſanctorumq; reliquias auro, & argento circunclulas, quæ ita illud nobilitant, vt non immeritò tam celebre nomen ſibi vendicauerit. Apud huius cœnobij patres lautè diuerſati, poſtero die Papiam contendimus, quæ etiam celebris eſt vrbs in Italia. Nos accedentes excepit epiſcopus magnæ authoritatis vir, qui non multò poſt ad cardinalium numerum admiſtus eſt. Idem præſtitit prætor vrbanus, non ſolùm magiſtratus authoritate, ſed etiam generis nobilitate pollens, frater videlicet archiepiſcopi Mediolanenſis. Hos ſequebantur quindecim currus, multi item equites, & patritij, præterea velitum armatorum ala, & populi maxima multitudo. Noſter ad vrbem ingreſſus ſolito ſcloporum, tormentorumq; ſonitu fuit celebratus, & poſt ſacrum in templo maximo ritè factum, à præſtantiſſimo præſule domum ipſius, quæ ornatiſſima erat, fuimus delati, vbi hoſpitalitatis, beneuolentiæq; ſigna fuimus experti. Et quoniam Genuenſis nuntius nullam ſinebat moram interponi, poſtero die ab eodem præſule leucam integram comitati, ad oppidum quoddam nomine Voguerium deuenimus, vbi nobilis ille eques, quo locati, nomine ducis Mediolanenſis iuriſdictionis fines tradecimus, à nobis cum ſummâ beneuolentia diſceſſit: cuius loco alius nomine illuſtriſſimarum fœminarum, alterius quidem Lotharingiæ ducis, alterius verò Brunſuicenſis item ducis vxoris, illius quidem matris, huius verò filiæ Dertoſæ commorantium nos excepit: vrbemq; introeuntes ſimili cæterarum vrbium gratulatione, & applauſu ſumus habiti. Poſtridie fines Genuenſis ditionis attigimus, vbi duos nũtios, equitesq; eiuſdem Reipublicæ nos Genuam vſq; deducturos inuenimus, & aliquibus oppidis tranſmiſſis, cùm magna omnium ũcũditate, Gauio videlicet, & Otagio, Genuam vrbem nonis Auguſti acceſſimus, quæ inter Italiæ nobiliſſimas locum habet, & Republica immuni, ac libera, qualis eſt Veneta, ſummoperè exornatur. Antequàm vrbem adiremus, aſpectu totius illius tractus Genuenſis multis villis, ædificiorum molibus, hortiſq; amœniſſimis nobilitati, magnam animis voluptatem cepimus: habuimuſq; obuios quatuor ſenatores, multis equitibus, & patritijs ſtipatos, à quibus ſalutari, & in quatuor ornatiſſimos equos nobis oblatos aſcendentes, vlteriùs progreſſi, quatuor alios ſenatores

inue-

inuenimus, veſtiũ ornatu ſummam grauitatem præ ſe ferentes, multos præterea alios magiſtratus, populi verò infinitam multitudinem. Delati ſumus igitur ad hoſpitium patrum Societatis, vbi domicilium nobis omni aulæorum, tapetumq; ornatu erat apparatum. Eſt vrbs hæc, vt dixi, ex nobiliſsimis, & locupletiſsimis Italiæ, in eaq; Reſpublica hæc florentiſsima, cuius ditio ampla eſt, multas vrbes, atque oppida in toto Liguriæ tractu complectitur, præterea Corſicam inſulam magni nominis. Quo fit, vt quanuis amplitudine Venetam Rempublicam non adæquet, proxime tamen accedat, & multis terra, mariq; partis quondam victoriis militaris diſciplinæ laude ſemper floruerit. Diuitijs etiam, & rerum abundantia ſummopere valet, nempe cuius ciues ciuiſsimi ſint, multiſq; nauibus, triremibus, aliiſq; nauigijs maritima loca frequentes, non ſolum Liguriæ oram ab hoſtium incurſione cum magna nominis gloria conſeruent, ſed etiam multas merces alio inuehentes, vel in vrbem comportantes, Rempublicã iuam magnopere locupletent. His addite ædificiorum magnificentiam, quæ picturæ varietate, domuum artificioſa ſtructura, & altitudine, ſumptibuſq; maximis ibidem collocatis, conſpicitur. Quo fit, vt ſicut Veneta vrbs diuitis, ita etiam Genua ſuperbæ nomen obtinuerit. Quanuis autem triremibus iam ad Hiſpanicam nauigationem paratis, diem tantum in ea vrbe morari licuerit, nec ciues propter temporis breuitatem ea amoris ſigna, quæ cupiebant, in nos expromere potuerint, anguſtijs tamen vnius diei, quem Genuæ cum ſummo voluptate egimus, nullum erga nos officij genus fuit prætermiſſum. Multi enim vrbis optimates, grauiſſimiq; ſenatores nos adierunt, ex quibus aliqui, vt nos comitarentur, & ad videnda celebria vrbis loca deducerent, fuerunt à Senatu deſtinati. Cum autem hæc omnia inuiſeremus, altera vrbem Venetã ſpectare nobis videbamur. Vidimus item multa ſacra, & inter ea expreſſam venerandi vultus Chriſti ſeruatoris noſtri effigiem, cuæ lineo linteo fuit impreſſa: celebratiſsimum etiam illum cauſum ex ſmaragdo confectum, quo Chriſtus libertatis noſtræ vindex mortem pro nobis toleraturus, paſchalis agni conuiuiũ cum diſcipulis dicitur iniſſe: & tum propter eum vſum, tum etiam propter margaritæ magnitudinem, nullo certo pretio æſtimari poteſt, & inter omnes alias orbis terrarum gemmas primum locum meritò ſibi arrogat. Inuiſimus in

ea vr-

ea vrbe totius Reipublicæ ducem, & pro eo honore, quo in tota Genuenſi iuriſdictione affecti fueramus, gratias ingentes egimus. Erat ille in palatio magnificentiſsimo, quod cum alijs egregij operis, quæ retulimus, iure conferri poteſt. Excubias agebant ducenti milites Germanii, qui nos accedentes tum muſicorum, tum bellicorum inſtrumentorum ſonitu exhilararunt. Dux optimatum turba circunfuſus ad medium atrium nos excepturus prodijt, & deſcendens ad ſcalas vſq; prolequutus eſt, reliquis magiſtratibus, ſenatoribuſq; vſque ad periſtylium procedentibus. Vt deniq; breuiter, quæ vno die acta ſunt, abſoluam, ab eodem Senatu Genuenſi munus non exiguum ad nos miſſum eſt, quo cibaria totius generis ad nauigationem inſtituendam accommodatiſsima continebantur, ita vt non ſolùm nobis, verùm etiã multis alijs abũdè ſuppeditauerint, ſuperq; fuerint. Conuenerunt nos tandem iam diſcedere volentes primores vrbis, inter eoſque legatus regis Philippi, & nobiliſsimus vir Ioannetinus Spinola, nepos illuſtriſsimi principis Andreæ Oriæ, ſupremi nauarchi, totiuſq; maris mediterranei nomine Philippi regis præſidis, qui tunc, abſente principe, vnde viginti triremibus præfectus in Hiſpaniam tranſmittebat, & vnam ex præcipuis triremibus, qua veheremur, nobis apparari iuſsit. Eo igitur die triremẽ conſcendimus non ſine maximo Italiæ deſiderio, in qua prouincia tam à ſacris, quàm profanis principibus tam multis honoribus fueramus cumulati: nec minus noſtri deſiderium in omnium animis relinquentes, quos tot optimates, tot populi, tot denique vrbes veluti conuulſæ ſedibus ſuis excipere videbantur. LEO. Meritò ſanè iſtius deſiderij mẽtionẽ facis: nos enim ipſi à te itineris iſtius progreſſum audientes, ſummoperè admiramur, credimuſq;, etiam ſi in ea prouincia ex clariſsimis quibuſq; viris nati eſſetis, eòque hinc poſt longiſsimũ ſpatium reuerteremini, non potuiſſe veſtrum reditum maiori gratulatione, applauſuque celebrari. MANCIVS. Equidẽ ſi iudiciũ aliquod de Michaëlis narratione ferri poteſt, eum de beneuolentia, benignitateque huius prouinciæ erga nos agentem, potiùs concisè, & breuiter, quàm copioſè, prolixèque dixiſſe, cenſendum eſt. MARTINVS. Tãta ſanè fuit omnium erga nos charitas, vt veluti è cælo lapſos ſuſpicerent, nec noſtro aſpectu vnquàm ſatiari poſſent, multis, variiſque modis nobis itineris exitum feliciſsimum precantes, imò & noſtrorũ

corpo-

corporum ſolo tactu ſe beatos exiſtimantes. IVLIANVS. Sed qua pietate eorum animi cõ ouebantur, cùm nos culpas confeſtione expiantes, ad ſacramq; Euchariſtiæ menſam accedentes, & religioſa loca adeuntes intuerentur? LINVS. Non ſolùm ego vos, ſed etiã nos ipſos iſtis tot beneficijs, quaſi quibuſdam arctiſsimis vinculis Europeæ gẽti obſtrictos eſſe exiſtimo. MICHAEL. Ad ſuperiora omnia à me commemorata, accedunt carmina, epigrãmata, orationes, in ò & libri integri de noſtro itinere compoſiti: nulla enim fuit Academia, quæ non multos, inſigneſque titulos, elogia, aliaque ſimilia noſtri itineris monumenta protulerit, poſtea tradiderit. Sed quoniam ad Europæorum retum ferè calcem deuentum eſt, & de Hiſpaniæ rebus ſuperiùs à me fusè eſt actum, in his, quæ nobis redeuntibus euenerunt, propter ſimilitudinem cum ſuperioribus, non admodùm immorabor. Vt ergo narrationem repetam, cùm Genua ſexto idus Auguſti ſoluiſſemus, octauo poſt die, nimirum decimo ſeptimo Calendas Septembris, in Barcinonenſem portum inuecti ſumus. Eſt autem Barcino celebris vrbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, nunc ad Cataloniã, ſiue vt alij loquuntur, Gothaloniam pertinens, eiuſque præcipua vrbs, in quam tum à ciuibus, tum à patribus Societatis ſolita iucunditate recepti ſumus. Quoniam autem Iulianus noſter quartò in morbum incidit, vt ei curatio neceſſaria adhiberetur, viginti quinq; dies ibidẽ morati ſumus, quos magna ex parte in villa quadã reficiendis corporibus, redintegrandiſq; viribus accõmodatiſsimè peregimus, eo tamen tempore frequenter ad vrbem venientes, mutuæ ſalutationis officio cum optimatibus functi ſumus, & ſacra loca de more luſtrauimus, ad templum maximum ſupplicationē habita introducti: vbi ſacrum cadauer Diui Ologij, eiuſdem vrbis præſulis, venerati ſumus: qui cùm ante ſexcentos annos mortalem vitam cum cæleſti cõmutarit, caro tamen adeò integra, & recens conſpicitur, quaſi pridie animus ex eius compagibus fuerit emiſſus. Vidimus item ſacrarium, in quo Diuorum reliquiæ ſeruantur, intus quidẽ ſanctorũ pretioſiſsimis oſſibus, extra verò fulgentiſsimis gemmis ornatum. Ex hac vrbe quinto idus Septembris Monſanũ oppidum Aragoniæ petiuimus, vbi rex Philippus tunc regia comitia habebat, quæ ad res varias Aragoniæ, Cataloniæ, Valentiæ componendas, & ad filium regnorum hæredem denuntiandum, populorumq; fidem recipi

endam indixerat, quod iam antea in Caſtellæ regno factum eſſe dixi-
mus. Antequàm ad hoc oppidum deueniremus, Barcinone profecti, in
uiſimus celebratiſsimũ illud templum Beatæ Virginis, quod Monſer-
rati cognomen habet. Eſt autem fama nominis eius tantoperè vulga
ta, propter multa, creberrimaq; miracula, quæ in eo loco Diuina vir
tute, Beatæq; Virginis precibus geruntur: quorum innumera propè
monumẽta in eodem templo ſpectanda proponũtur, qualia ſunt vin
cula, quibus homines ſunt liberati: pelles mortiferorum ſerpentum,
quorum tamen morſus lethũ non intulit: ſindones mortuorum, qui ad
vitam ſunt reuocati: opera denique multa cerea, imitantia varias hu
mani corporis partes, quæ multis morbis, remedio ſupra naturam ad
hibito, ſunt releuatæ: quarum omnium rerum ſimilem formam vobis
propoſui, cùm de Lauretana Virgine agerem. Et ſanè iucundum mihi
foret, nonnulla ex ijs diuina facta recenſere, niſi nuper de illis omni-
bus liber Hiſpano ſermone ab eiuſdem cœnobij patribus compoſitus
eſſet, quem nos etiam attulimus. Dicam tamen aliquid de huius loci
ſitu, qui non tam hominum artificio, quàm naturali ſtructura nobili-
tatus eſt. Finxit enim natura egregia artifex montem quendam, tot
cacumina, tot ſcopulos, tot denique prærupta loca aſpectui oſtenden-
tem, vt non ſolùm oculi ſummoperè oblectẽtur, ſed etiam animus ad
contemplandam Dei ſupremi opificis excellentiã, facilè traducatur.
His adiungite arbuſta denſiſsima, opaciſsima vmbracula, ſeceſſus
quoſdam ad vitam ſolitariam agendam valde accõmodatos. Nec ve-
rò in illis deſunt incolæ religioſiſsimi, qui poſt multos annos in cœ-
nobio religiosè, ſanctèque actos, à præſide ſuo impetrant, vt ſibi liceat
in diuerſa ſacella in eo monte extructa, tanquam ad opportuniſsima
quietis, contemplationiſq; loca confugere, quorũ aliquos nos vidimus,
antiquos illos anachoreſeos cultores, amatoreſq; imitantes. Sed quoniã
de ijſdem ſacellis in eodem libro fusè agitur, non eſt, quòd plura hoc
loco referã. Eſt ibidẽ cœnobiũ familiæ. D. Benedicti, multa veſte ſacra,
quàm plurimis vaſis aureis, & argenteis, permultis ſacrarum reliquiarũ
thecis, alijſq; omnib' ornamentis ſummoperè locupletatum: quæ omnia
cognoſcere poteſtis hoc tantùm argumento, quòd quinquaginta lam-
pades argenteæ, à varijs regibus & principibus dono datæ in eo templo
coram ſancta Euchariſtia, & Beata Virgine aſsiduè ignẽ ferunt. In hoc

cœnobio diei tantùm mioram fecimus, varia opera ſpectantes, & cum religioſis illis viris amātiſsimè, beneuolentiſsin èq; agentes. Hinc Mōſanum adijmus, vbi Philippus rex eadem comitate, & fauore, quo nos euntes habuerat, redeuntes etiam complexus eſt: idemq; princeps filiū, & filia præſtiterunt. Quæ omnia, quoniam ex ſuperioribus colloquijs conijci poſſunt, pluribus verbis hoc loco non proſequar. Illud tantùm dicam, Philippum regem, pro ſua eximia in nos humanitate, literas ad clariſsimum Albertum Luſitaniæ cardinalem, & ad proregem Indiæ miſiſſe, quibus ſummoperè illis noſtrarum rerum curam iniunxit, quarum commendatione factum eſt, vt omnia ad commodam nauigationem faciendam nobis affluentiſsimè, vt regiam liberalitatem decebat, ſuppeditarentur. Impetrata igitur à rege potentiſsimo facultate, inde in Luſitaniam cœpimus curſum dirigere, aliquas tamen vrbes, & oppida inſignia Caſtellæ tranſituri. Inter hæc autem primo loco numero nobiliſsimam vrbem Cæſarauguſtam, totius Aragoniæ caput, vbemq; ex totius Hiſpaniæ florentiſsimis, tum ædificiorum magnitudine, tum rerum ſacrarum abundantia, tum deniq; populi, nobiliumq; frequentia. Eſt in ea amplum Societatis collegium, cuius patres multa in nos ſolitæ charitatis ſigna ediderunt: diſcipuli autem iucundiſsimum dialogum exhibuerunt, quo Italia, Hiſpania, & Iaponia ita introducebantur, vt de noſtra hac legatione honorifica mentio fieret. Nec minùs vrbis ciues, optimatesq; beneuolos ſe erga nos præſtiterunt, multis, variiſq; oblectamentis animos noſtros recreare, & reficere ſtudentes. Etſi autem in huius reditus commemoratione breuitati conſulere cupio, nō poſſum non aliquas res ſacras, easq; inprimis inſignes, quæ in ea vrbe ſunt, vobis referre. In ea enim templum eſt illud ſanctitate, religione que pleniſsimum, quod primùm Diuus ipſe Iacobus vnus ex Chriſti Apoſtolis, ipſi Beatæ Virgini Mariæ, adhuc viuenti erexit, dicauitque. Nec verò id ſine diuino oracvlo fecit, cùm ipſa Beata Virgo cæleſtiū agmine comitata, & in pila quadam Angelorum virtute fabricata conſiſtens, ipſi ſe videndam obtulerit, & de loco templi extruendi admonuerit. Quo fit, vt pila illa tanquàm inſignis miraculi monumentum hodierno etiam die in ſacello maximo cōſeruetur, omneſq; intuentes, & piè oſculantes ad pietatem permoueātur adeò, vt nullū ferè ſit tempotis ſpatium, quo illuc tam peregrini, quàm ciues frequentiſsimè non

conueniant. Eſt etiam in ea vrbe alia Beatæ Virginis imago, quam ciues religioſiſsimè colunt. Cùm enim ſemel excubijs dormitãtibus, Saraceni in vrbem impreſsionem facerent, eiuſq; portas iam ferè ingrederẽtur, Beata Virgo, quæ eam vrbem ſub peculiari tutela & patrocinio habet, innumerabili cæleſtium ciuium exercitu circunſtipata, ſe ſe Saracenorum copijs in vrbem irruentibus obiecit, eorumq; impetum cæleſti vi retardauit, ſignumq; huius admirabilis facti, imaginem videlicet ſui in ipſo muro reliquit, vbi templum celebre ædificatum eſt, & huius rei geſtæ quotãnis memoria religioſiſsimè recolitur. Habet præterea hæc vrbs cœnobiũ D. Hieronymi, ſacro cadauere Diuæ Engratiæ Luſitanæ, ac nobiliſsimæ fœminæ nobilitatũ, quę cùm à patre, Luſitaniæ olim principe in matrimoniũ cuidam Gallici regni dynaſtæ daretur, & vndeuiginti nobilibus viris ſociata, in Galliam iter faceret, pilamq; ſacram Beatæ Virginis, de qua ſuprà dixi, venerabunda cum ſocijs adiret, in eo loco ab impijs Chriſtianæ religionis hoſtibus cum comitibus interfecta, cæleſtem palmam cum ijſdem obtinuit: quorum omnium ſacræ reliquiæ in hoc amplo cœnobio auro, argentoq; incluſæ continẽtur. Ibidem videre licet Diui Lamberti martyris ſacras reliquias, qui olim cùm paſtor eſſet, & Chriſtianam fidem profiteretur, ita ab eiuſdẽ aduerſarijs occiſus eſt, vt ſanctitatis ſuæ admirabilia ſigna oſtẽderit: cũ enim aculeum, quo boues agebat, in terra defigeret, è veſtigio inſtar arboris verno tempore frondentis folia emiſit. Præterea cùm obtruncatus eſſet, ſanctum ipſum cadauer (ô miram diuinæ poteſtatis vim!) caput amputatum manibus tenens, quaſi adhuc viueret, ad locum, in quo Chriſtiani ob fidei profeſsionem interfici ſolebant, rectà perrexit: & ſermonem cum illis, qui ibi ſepulti erant, conferens, & ad diuinas laudes eos inuitans, verſiculum illum pſalmi .149. recitare cœpit. Exultabunt ſancti in gloria: cui cæteri Diui reſponſum retulerunt, eundẽ verſum abſoluentes, dicenteſq;: lætabuntur in cubilibus ſuis: tandemque cadauer illud venerandum in terram decidens, cæterorum ſocietatem ſe appetere ſignificauit. Nobilitatur etiam eadem vrbs præſtãtiſsimo quodam noſocomio, cuius amplitudinem, miniſtrandi ordinem, reditus abundantiam, aliaq;, quibus huiuſmodi domus excellunt, ex Olyſipponenſi ſuperiùs à me deſcripto, colligere poteſtis, cum quo hoc ipſum, de quo ago, parem locum habere videtur. Ex hac igitur vrbe,

pòst multa in nos beneuolétiæ argumẽta, profecti, ad vrbem quandã nomine Darocam eiusdem prouinciæ contendimus, celeberrimo quo dam miraculo sacri lintei, sacrosanctæq; Eucharistiæ nobilitatã. Nam cùm ante quingentos annos multa Saracenorum millia paucos Christianos adorirentur, & hi potiùs diuinam opem, quàm humanam à se implorandam iudicarent: sex præcipuè ex illis, sacrum à quodam sacerdote faciendum, seque cælesti pane reficiendos curarunt. Parauerat sacerdos, vltra solitam sacrificij hostiam, sex minori magnitudine, quibus iam sacratis, diuino pabulo sex illos viros recreare statuebat. Interueniunt hostes, Christiani arma capiunt, sacerdos præ celeritate linteum cum sacris hostijs lapide contegit. Deus piam Christianorum voluntatẽ attendens, ita illis animos addidit, vt magna ex parte ab hostibus victoriã obtinerẽt. Redítur ergo ad sacrã mensam, sed dum linteũ à sacerdote explicatur, cælestis ille panis sanguinis guttis infectus, linteo adhærescere visus est. Mirantur Christiani rei nouitatem, & præ religione multò magis commouentur. Sed cùm, renouatis hostium copijs, prælium recrudesceret, sacerdos linteum illud sacrum pandens, quasi formidabile vexillum hostibus opposuit, quo benè animati Christiani rursus maximam aduersariorum internecionem fecerunt. Ad hanc duplicem victoriam diuina virtute partam, accessit etiam, quòd cùm de loco, in quo venerabile illud linteum collocandum esset, dubitaretur, & ad tollendam totam disceptationem, capsa inclusum mulæ imponeretur, quò Deus ipse duceret, vehendum, Darocam ipsius sacerdotis patriam diuino numine delatum est, quò vt primùm iumentum illud peruenit, sacrum onus deferens, genibus flexis extremum spiritum emisit. Quibus omnibus miraculis commoti ciues, sacrum linteum guttis adhuc pretiosissimis sanguinis insignitum, cùm summa veneratione conseruant. Illud postquàm vidimus, & venerati sumus, Complutum perreximus, quà anteà, vt dixi, iter feceramus, nec minori omniũ iucunditate redeuntes accepti sumus. Nobis enim accedentibus occurrerunt grauissimi viri, inter eosque Ascanius Columna Italus dynasta, qui posteà cardinalis dignitate donatus est: filius item ducis maris Hispanici præfecti, quibus accessit patrũ Societatis lætitia, qui beneuolentiæ, & hospitalitatis suæ signis, quasi certissimis amoris vinculis, nos quatuor dies in eodem oppido retinue

runt,

non

runt, qui omnes à nobis iucũdiſsimè acti ſunt. Inuitauit nos ſemel Aſcanius Columna ad conuiuium, quod cum illo more Romano iniuimus, exhibita etiam nobis iucunda perſonarum actione. Prætereà dono nobis dedit inſtrumentum muſicum, quod clauicymbalum dicitur, ex ligno cedrino artificioſè confectum, illudq; tanquam maximũ pignus amoris erga nos adhuc ſeruamus, & eius memoriam frequẽter repetimus. Hinc Matritum progreſsi ſumus, vbi auguſtam imperatoris vxorem, eadem beneuolentia ab illa accepti inuiſimus: poſtmodùm ipſi, & cardinalí, eidemq; archipræſuli Toletano, qui nos etiam paterno quodam amore cõplexus eſt, & Societatis patribus ſalute dicta, Oropeſàm tranſcurrimus, cuius comes illuſtriſsimus hoſpitium nobilitate, & magnificentia ipſius dignum nobis præbuit, eodemq; apparatu, quo ipſe vritur, nos apud ſe diuertari voluit. Vlteriùs Luſitaniæ fines ingreſsi, recto curſu Villauizoſiam Brigantini ducis ſedem approperauimus: cuius & Catharinæ principis clariſsimæ, matris eius humanitatem ante acto tẽpore, tot ſignis nobis demonſtratam, nequaquàm deſideraſſimus, imò, ſi dici poteſt, ad eam cumulũ aliquẽ acceſsiſſe, hoſpitij repetitione cognouimus: eaque de cauſa quatuor integros dies apud eos morari compulſi ſumus, quibus eorum auiditati nobiſcum colloquendi, familiariterque, & benevolè agẽdi, vix ſatisfacere potuimus. Hinc ergo Eboram nos contulimus, in qua vrbe eandem etiam patrum Societatis beneuolentiam, eundemq; illuſtriſsimi archipræſulis Theotonij Brigantini amorem erga nos experti ſum⁹: cuius variis ſignis, pignoribùſq; nouẽ ipſe dies curſũ noſtrum retardauit, quotidiano, ſplẽdidiſsimoq; victu, ſaluti noſtræ, & voluptati conſulens, totumq; ſacellũ ſuum imagnib⁹, picturis, reliquiarũ thecis, aliiſque pretioſis muneribus nobis, Iaponiæque datis exhauriens: vltra quatuor illa ditiſsima ſtromata ex auro, & ſerico, ſuperiùs cõmemorata, inſuperq; mille aureos nũmos, quibus varia opera in patriã deportanda emeremus. Quæ quidem omnia ampliùs quinque millibus nũmorum aureorum æſtimari poſſunt. Magnum ſanè re ipſa munus; ſed ad eius propenſam in nos voluntatem ſatis exiguum. Erat in eadem vrbe Franciſcus Maſcarenius nobiliſsimus Villadortæ comes, quẽ initio noſtrorum colloquiorum prorege Indiæ fuiſſe, affirmati, cùm Romã euntes, ad eam acceſsimus. Hic igitur præteritæ in nos beneuolẽtiæ

non

non oblitus, nos benighiſsimè inuiſit, ſe, & omnia ſua nobis paratiſsima ſignificans, atque offerens, quem nos etiam adiuimus, & ea familiaritate nobiſcum egit, vt ad idem colloquium, congreſſumq; vxorē honeſtiſsimam fœminam, filioſq; vocauerit. Eadem erga nos amoris ſigna præſtiterunt omnes Academici auditores, orationibus, carminibus, aliiſq; ſimilibus exercitationibus noſtrum reditum ornantes: præſertim verò Ecloga quadam lepidiſsima animos noſtros lætificantes. Hinc tandem non ſine magno deſiderio diſcedentes, Setobrigā oppidū florens tranſeūtes, ad villam amœniſsimam Patrum Societatis, qui in collegio Olyſipponenſi viuunt, & vulgò Vallisroſeti nuncupatur, deuenimus. Ibi nos reuerendus pater præpoſitus prouincialis, cū alijs multis tam ex domo profeſſorū, quæ Olyſippone eſt, quàm ex collegio Diui Antonij auidiſsimè præſtolabatur, & ad terminum itineris Europei, Olyſipponē videlicet, quæ inde duas leucas diſtat, iam accedentes, pro ſummo erga nos amore humaniſsimè, indulgentiſsimeq; nos accepit, & cum eo, cæteriſq; patribus per aliquot dies quiete optata potiti ſumus. Et quoniam villa hæc in Tranſtagano tractu eſt, nobis poſt dies illos Olyſipponem petere iam volentibus, triremis quædam regia iuſſu clariſsimi cardinalis Alberti, vt Olyſipponem traijceremus, parata, & allata eſt. Tranſmiſimus igitur Tagum, Olyſipponemq; introeuntes, in domo profeſſorum Diui Rochi accómodatiſsimam habuimus habitationē. Dum Olyſippone moraremur, inuiſimus aliquoties clariſsimum cardinalem Albertum, cuius & humanitatis, & magnificētiæ exempla maxima in nos fuerunt. Nam ad illorū menſiū ſumptus, quingentos ſupra mille nūmos aureos nobis attribuit, vltra ſummā illā, quā ad nauigationis commeatū adiecit, ex qua etiā pretioſiſsima Phrygio videlicet opere auro texta, indumenta varia confecimus. Eodem tempore, quo Olyſippone fuimus, frequenti aditu ad collegium Diui Antonij ſumus magnoperè oblectati. Auditores enim, cùm per tempus longius liceret (erat enim noſtra nauigatio in ſequentis anni octogeſimi ſexti menſem Martiū differenda) multis, variiſque modis ſuā erga nos beneuolētiam demonſtrarunt, eleganter gymnaſia ornantes, variarumq; actionum ſpectaculum nobis præbētes, in quibus magna ex parte de noſtro itinere, Iaponiciſq; rebus eſt actum. Quoniam autem hæc noſtra Olyſipponenſis commoratio tandiu erat proterenda,

& ex vrbe Conimbrica, quæ eſt in vmbilico Luſitaniæ, crebri ad nos perferebantur nuntij, quibus ſignificabatur, patres collegij Conimbricẽſis nos videndi ardẽti ſtudio flagrare: & quia de eius collegij celebritate multa audieramus, nihil eo tempore nobis fuit iucundius, quàm vt noſtris, & illorum patrum votis ſatisfaceremus. Menſe igitur Decembri hoc iter aggreſſi ſumus, nauigatumq; iucundiſsimè per fluuium Tagum, de quo aliquoties mentionem feci: primùmq; ad celebre oppidũ nomine Scalabim, vulgariter Sanctarenum peruenimus. Quod quidẽ tam frequens eſt, tum nobilium, tum populi multitudine, vt aliquas Luſitaniæ vrbes longè ſuperet: oppidani tamen illud primum, ac præcipuum Luſitaniæ oppidum, quàm communem vrbem, aut ciuitatẽ eſſe malunt. Omiſsis ergo huius oppidi ædificijs, quæ multa vrbana ſine vlla lite adæquant, quatuor eſt inſignitum miraculis, quæ pro anguſtijs temporis, conciſa breuitate vobis referam. Primo igitur loco numero admirabile ſacroſanctæ Euchariſtiæ myſterium, quod hodierno adhuc die multis, varijſq; argumentis oſtenditur. Et quoniam eius explicatio ex euentu quodam admiratione etiam digno pendet, cum breuiter ſic accipite. Debebat mulier quædam illi⁹ oppidi Iudæo cuidam pecuniæ ſummam, qui ſe illam ære alieno liberam, & immunem abire permiſſurum, affirmauit, ſi ſanctam Euchariſtiam, quam Chriſtiani in templis reuerenter ſuſcipere ſolent, ſibi traderet. Illa potiùs de ſe, quàm de religione ſolicita, aſſentitur, & impio animo ad ſacrã menſam accedens, ore ſacram Euchariſtiam ſeruat, indeq; nefarijs manibus extractam, linteo inuoluit, & ad Iudæum crediterem properat. Non eſt paſſus iuſtiſsimus Deus, immane hoc facinus abſq; iudicio præterire: ex linteo namq;, quo ſacra Euchariſtia ſeruabatur, tanta ſanguinis copia cœpit profluere, vt improbę mulierculę corpus, veſtesq; reſpergeret: vident prætereuntes, mirantur, nomen eius ad ſacerdotes deferunt. Illa timore perculſa, ſanctam Euchariſtiam in abiecto, ſecreto q; loco collocat. Adſunt ſacerdotes, & magiſtratus, fugientem interci piunt, & quæſtione habita, quo loco ſacram Euchariſtiam recondiderit, diligenter explorant: veniunt igitur omnes ad locum ab illa nuntiatum, inueniuntq; ampullam quandam diuina virtute ex materia veluti cryſtallina confectam, ibiq; cæleſtem panem incluſum: defertur ergo cum ſumma veneratione, & frequenti ſupplicatione ad templũ,

quod

quod Diuo Stephano dedicatum est: vbi ampulla etiam hoc tempore cum summa pietate seruatur. Nec verò diuina potentia superioribus miraculis contenta, in eadem ampulla noua indies, & inaudita cum summa omnium admiratione, mentium que commotione edit. Accidit enim, vt templum illud inuisentes, & ampullam illam pio, ac religioso animo intuentes, admirabilia spectacula diuinitus oblata cospiciant. Sunt nanq; qui Christi admirabilem, multiplicemq; formam, hi velut in stabulo nascentis, alij a tribus Magis adorati, nonnulli ad populū concionantis, quidam patre cælestem precantis, plures denique, vincti, flagellis cæsi, corona ex spinis consecta transfixi, crucem portantis, cruci suffixi, ad vitam redeuntis non sine maximo animi sensu manifestè videant. LEO. Mira profectò narras Michael, & quæ ad sui aspectum animos nostros magnopere commouent. MANCIVS. Tale sanè est illud spectaculum, vt longissima nostra nauigatione dignum videri debeat: cùm non solùm in Christiana fide intuentium animos corroboret, sed etiam ad miram pietatem, diuinumq; amorem flectat. MICHAEL. Secundo loco vobis propono admirabilem Christi cruci affixi imaginē, quæ in eodem oppido est, brachijs ita pendentibus, vt annuere, & assentire videatur. Cùm enim vir quidam mulieri de matrimonio cum ea ineundo fidem daret, & postea mutata sententia, tergiuersaretur, nec testimonijs rem probare posset, ad Christum verum iudicem confugit, homini, vt se coram alijs multis Christo fistat, persuadens. Itur ad templum, & antè Christi è cruce pendentis sacram statuam, mulier hominem violatæ fidei crimine accersit, rogatq;, an vir ille sibi fidem dederit: tum sacra statua remissis clauis brachia contrahit, rē ita se habere confirmans, atq; ita sceleratus homo perfidia conuictus est. Quodq; maiorem admirationem facit, sacra illa statua in eadem corporis inclinatione perseuerat, & religiosissimè ab omnibus colitur, cœnobio nunc Diui Benedicti familiæ ibi ædificato. Est etiam in cœnobio Dominicanorum tertia res admiratione dignissima sacra videlicet statua Christi adhuc pueri, quæ cū pueri alij ad aram accedētes ad puerilia fercula inuitarent, aliquoties ex Beatæ Virginis brachijs ad puerorum societatem descendere visus est, quos tertio post die feliciter obeuntes ad cælestem mensam vocauit. Est vltimo loco nobilitatum idem oppidum sepulchro Beatæ virginis, & martyris Irenes, quod

in medio Tago fluuio diuina virtute dicitur ædificatum, cuius simili honore sanctum cadauer Diui Clementis in mari ad tria milliaria reconditum, à Deo affectum esse, certissimi scriptores tradunt. Ex hoc ergo oppido tam celebrato, aliud etiã nobile, quod à fluuio præterfluente Nabantia dicitur, petiuimus, vbi eandem virginẽ Irenem pro tuenda mentis, & corporis integritate, interfectam fuisse historiæ testãtur. Est in eodem oppido magnificentissimum cœnobium eius ordinis, qui à Christo nomen habet, opere, reditibus, supellectili regiã opulentiam æquè, ac cætera Olysipponensia ostendens, in quo non ante multos annos comitia totius regni Philippus rex habuit, & tres Lusitaniæ status fidei regi debitæ sacramento adegit. Ex eo oppido profecti, Conimbricam peruenimus, cuius videndæ tanto studio tenebamur. Nobis accedentibus obuiã inprimis processit illustrissimus vir Ioannes Brigantinus Tentugalensis comitis filius, quem nos Romã petentes, in curia Philippi regis reperisse, superiùs dixi: mox adfuit prætor vrbanus, alijque magistratus: postremò illustrissimus, & inprimis reuerendus præsul Conimbricensis Alfonsus Albicastrensis, ex huius nominis clara familia ortus. Hi omnes cum multis alijs equitibus, nos ad collegium vsque patrum Societatis comitati sunt, vbi quidam ex Societate orationem habuit elegantissimam, in qua de laudibus regum nostrorum, à quibus missi fuimus, ornatè, copioseq; dixit, cum summa auditorum iucunditate. Accessit postea instrumentorum musicorum concentus, aliaque multa communis gratulationis testimonia. Salute igitur dicta illis, qui nos fuerant comitati, iucundissimo patrũ omnium aspectu, beneuolentissimisq; singulorum amplexibus nimirum in modũ lætati sumus. Sed quoniam Conimbricenses res, & aliæ, quæ vlteriùs se offerũt, integrum colloquium requirũt, ad solitam quietem nos recipiamus.

De vrbe Conimbrica, & celebri in ea Societatis Collegio, quaq; liberalitate iussu Philippi regis ad Indicam expeditionem Olysippone legati sint habiti, & de Europearum diuitiarum causis. Colloquium trigesimum primum.

LINVS.

VRbis Conimbricæ nomen, cuius in calce superioris colloquij mentionem Michaël fecisti, crebris vsurpatũ sermonibus à patribus Societatis, scimus, collegijq; Conimbricensis, in quo multi ex nis educati sunt, iucundum sæpe desiderium, memoriamq; renouari. Quo fit, vt tam de vrbe, quàm de collegio illo celebri nos magnopere edoceri cupiamus. MICHAEL. Faciam. Line libentissim è, id enim & patribus apud nos morantibus, & mirę charitati, qua Conimbricenses patres nos complexi sunt, deberi mihi persuadeo. Dicã igitur primùm de vrbe: deinde de Academia: postrem ò tandẽ de collegio ipso Societatis. Vrbs ergo Conimbrica vetustate in primis est nobilis, cùm eius primam molitionem ciues ad ipsum Herculẽ referant. Hæc fuit prima sedes Lusitanorum regum, quo tempore exigua adhuc eorum erat iurisdictio, magna Lusitaniæ parte à Saracenis occupata, & ex hac reges ipsi, eruptionibus factis, regni sui fines summopere auxerũt, licet vndique hostium incursionibus appeterentur. Id autẽ manifestè indicant huius vrbis insignia, in quibus pingitur virgo quædam vase inclusa, capite diademate ornato, in quam à dextra leo, à læua serpẽs impetum faciunt: quod quidem significat, Lusitaniam olim, cuius veluti parens Conimbrica fuit, breuibus quondam terminis circumclusam, etsi ab immanissimis hostibus, & ab aduersarijs fidei oppugnare

tur, victoriam tamen nobilissimam reportasse, victricemq; coronam capiti suo in hac vrbe imposuisse. Hinc fit, vt hæc vrbs multa, præclaraque habeat veterum regum monumenta, quæ vobis patebunt, ex sacrorum ædificiorum cõmemoratione. Est igitur Conimbricæ in primis cœnobium quoddam operosissimum, vetustate reliquis antecellens, sanctæ cruci dedicatum, quod canonici regulares, Diui Augustini institutum profitentes, incolunt, à primo Lusitaniæ inuictissimo rege Alfonso Henrico magnis sumptibus ædificatum: eius tam templum, quàm patrum domicilium, cum magnificentissimis à me descriptis, conferri potest, siue opus, siue sacra supellex, siue deniq; amplitudo, & reditus spectentur: quæ omnia cùm sæpe de alijs cœnobijs agens, fusè sim prosecutus, non est quòd sigillatim modò recenseam. Insignitur præterea cœnobium hoc quinque sacris cadaueribus sanctorum martyrum, Berardi, Petri, Adiuti, Accursij, & Othonis, quos ipse Diuus Franciscus in Africam, promulgandæ Christianæ legis causa missit, & pro eiusdem legis professione, à Miramolino impio Marrochij imperatore crudeliter necati, inter sacros Christi martyres sunt relati. Cùmque Petrus, Alfonsi secũdi hoc nomine Lusitaniæ regis frater, sacra hæc cadauera ex Africa, precibus impetrata detulisset, in hoc cœnobio honorificè sunt seruata, ipsis Diuis insigni miraculo eam sedẽ, tanquam sibi gratam comprobantibus. Est autem Conimbricensium, incolarumq; totius illius pagi erga Diuos hos tanta pietas, vt decimo septimo Calendas Februarij, qui dies his sanctis martyribus sacer est, ex toto Conimbricensi pago quàmplurimi viri conueniant, & religionis ergó, quo tempore maxima est vis frigoris in Lusitania, seminudo corpore supplicationi intersint, salutis, & incolumitatis, horum sanctorum precibus olim tempore grauissimi morbi impetratæ, memoriam pie recolẽtes. In eodẽ cœnobio sunt magnifica sepulchra Alfonsi Henrici primi Lusitaniæ regis, & eius filij Sancij, qui mortuo patre Lusitaniæ regnũ obtinuit, cum alijs multis ex eadem regia familia viris, fœminisque. Hoc ipsum cœnobium nobilitatum est habitatione olim Diui Antonij Olyssiponensis: prius enim huic religiosorum familiæ se mancipauit, posterius vero fama superiorum martyrum commotus, ad Diui Francisci Societatem se transtulit, & adhuc in Franciscano cœnobio, quod extra eandem vrbem est, & ab eodem Diuo nomen habet

habet, cubiculum, in quo habitauit, conseruatur. Est in eadē vrbe, præter alia, partheno sacrarum Virginum, quæ Diui Francisci institutū sectantur, quod, præter religiosarum fœminarum nobilitatem, & alia, quæ prætereo, illustratur magnoperè sepulchro, sacroq; cadauere Diuæ Elisabethæ, Lusitaniæ reginæ, Dionysij regis vxoris, cuius singulares virtutes, eximiamq; sanctitatem crebra miracula testantur, quæ tot scriptis sunt tradita, vt à me hoc loco percenseri non sit necesse. Exornatur eadem vrbs templo maximo sumptuosissimo, quod etiam ab Alfonso primo rege extructū fuisse traditur, quod etsi magnitudine non sit prætermodū spatiosum, operis tamen magnificentia, sum moperè excellit: nam eius parietes tesserulis ingeniosè dispositis sunt distincti, vtriusq; portæ vestibulum impluuijs, politissimo lapide constratis decoratum, denique tectum ipsum templi fastigiaro quodā culmine miræ altitudinis, pulchritudinisq; illustratum. His addite eiusdem templi ministrorū ornatū, sacerdotumq;, qui canonici appellantur, reditus amplissimos, & præsertim ipsius præsulis Conimbricensis, qui vectigalium amplitudine cæteros omnes Lusitaniæ episcopos superat. Decoratur etiam Conimbrica multitudine collegiorum, quæ omnes religiosæ familiæ in ea vrbe habent, vt in illis discipuli bonarū artium curricula peragant. Sunt autem hæc collegia tot, vt vnus longissimus, amplissimusq; vicus à Diua Sophia nomen habens, nullas ferè alias domos, nisi has sacras complectatur: cùm tamen inter celebriores vrbis vicos numeretur. Veniamus nunc ad profanarum rerum eximiam fabricam: primumq; locum tribuamus ponti illi magnificentissimo, qui ex vlteriori ripa Mondæ Conimbricam vsq; protenditur, cuius nescio quid primum celebrem, an latitudinem, & longitudinem, an arcuum, fornicumq; altitudinem, an denig; pauimenti optimo lapide coagmentati planitiem. Altitudo arcuum tanta est, vt nō mediocres cymbæ antēnis in altum sublatis, velisq; passis, subtus transitum accōmodatissimum habeant: cùm tamen hic pons alio vetustiore suui arenarij obstructo fulciatur. Secundo loco se offert arx munitissima, multis turribus circumsepta, vbi quædam est octangula Herculis turris munita, altera verò perennem aquam ibidem ebullientem conseruat, & his, qui in carcerem in eadem arce coniecti sunt, ad restinguendam sitim, non minimo est adiumento. Tertiò occurrit amplissimum,

pliſsimum, regiumq; palatium, quod à Dionyſio rege dicitur exædifi catum, & areæ longiſsimo ſpatio, atriorum capacitate, conclauium multitudine, pergularum numero, egregio proſpectu in totam Mondæ fluuij ripam, campoſq; viridiſsimos, longè, latèq; patentes, alijs deniq; rebus ad magnificentiam conducentibus, palatijs Olyſipponenſibus nequaquam cedit. Poſtremum, recenſq; opus eſt quorundam aquæductuum, quibus multorum fontium aqua intra vrbis muros infertur, qui etſi non in longum admodùm ſpatium ſunt protenti, vt de Eborenſibus diximus, operis tamen artificio ſunt inſignes. Sed dicamus iam de Academia, quæ ſummopere vrbem hanc nobilitat, & ante quinquaginta annos Olyſippone, vbi antèa erat, ad hanc vrbem, tanquam ad locum accommodatiorem tranſlata eſt. Huius ego vobis duas præcipuas partes propono. Altera in palatio, quod ſuperiùs commemorauimus, locum tenet, & ſcholas, quas maiores dicunt, continet. In hoc ergo palatio docentur auditores Ius ciuile, Ius pontificiũ, Theologiã, medendi Artem, Mathematicas deniq; diſciplinas. Sunt autem multa, quibus Academiæ hæc pars maior exornatur: primùm atriorum, ad quæ diſcipuli conueniunt, mira amplitudine, nempè quæ regijs ſumptibus ſunt extructa. Singulis autem bonis artibus, ſingula, eaq; ſpatioſiſſima ſunt aſsignata, ad quæ ornatiſsimi auditores accedunt, prouectaniã videlicet ætate iuuenes, talaribuſque, & optimè compoſitis veſtibus induti. Inter hæc verò atria in primis ſpectabile eſt illud, quò Theologiæ auditores confluunt, cùm ad illud ex omnibus religioſis familijs, quæ per totum regnum ſparſæ ſunt, multi conueniant, conſeſſumque illum gratiſsimum reddant. Ex quo ſanè atrio multi religione præſtantes viri, docti euadentes, non ſolùm egregij concionatores extiterunt, ſed etiam præſules creati, per totam Lusitaniam, & per latiſsimos huius noſtri Orientis fines ſacram iuriſdictionem cum ſumma laude exercuerunt. Eſt etiam aliud celebratiſsimum atrium Academicis diſputationibus, candidatiſq; ad varios dignitatis gradus promouendis deditum: quod vltra operoſiſsimam fabricam tecti, ſpatiumq; capaciſsimum, egregium profectò præbet ſpectaculum, quoties artis alicuius ſtudioſus doctor, vel magiſter conſtituitur. Conueniunt enim eò omnes eiuſdem artium doctores, magiſtriq;, præter alios in inferioribus gradibus conſtitutos, & infinitam communium auditorũ multitudinem, omnes

omneſq; hi peculiaria ſua inſignia præferunt: Theologi namq; cucullos ex gauſapino albo: medici ex croceo: cluilium legum periti rubroius pontificium profitentes viridi: philoſophiæ magiſtri violaceo: omnes ex eodem bombycino ingeniosè confectos, adhibitis ad pileos ſericis tæniis eleganter, geſtant. Cùm verò poſt varias orationes habitas, candidatus ad gradum prouehitur, multa argentea nũmiſmata cũ chirotheciis diſtribuuntur: quod iam ſuperiùs attigi, cùm de Complutẽſi Academia agerem: & omnia illa loca muſicorum inſtrumentorum concentu circumſonant. Habet eadem Academia peculiare quoddam templum, Diuo Michaëli conſecratum, proprioſq; ſacerdotes, tem diuinam quotidie adminiſtrantes, cui doctores, diſcipuliq; intereſſunt, antè quàm ad artium ſuarum exercitationem accedant. Ex his autem ſacrificis quidam ex peritioribus, canendi artem tradit his, qui ſacris ſunt initiandi, peculiariq; præmio laboris ſui fruitur. Huic toti ornatiſſimo Academiæ conuentui, rector quidam præeſt ex nobiliſſima familia, qui vel regis deſignatione, vel doctorum ſuffragijs creatur. Tanta eſt autẽ ſemper authoritate, tum ex genere, tũ ex ſapientiæ, prudentiæq; donis collecta, vt frequenter ex eo munere ad pontificatum aliquem eueha tur. Gerebat autem eo tempore dignitatem hanc illuſtriſſimus vir Nonius Norogna, Demirenſis comitis filius, & à rege fuerat vocatus, vt Viſenſis præſul inſtitueretur, quod munus nunc cum ſumma laude ad miniſtrat. Sunt huic rectori multi conſiliarij, ex prouectioribus eruditione, & prudentia delecti, cum quibus totam illam rem Academicam diligenter moderatur. Eſt præterea quidam peculiaris prætor, propria iuriſdictione vtens, qui cauſſis omnes Academicorum iudicat, liteſque, & controuerſias dirimit: nec enim vrbani magiſtratus in ea negotia ſe inferre poſſunt, ſed omnia à proprio illo magiſtratu, aliiſq; inferioribus peraguntur. Quid dicam de copioſiſsimis reditibus huius Academiæ? ex quibus omnes illi magiſtri abundantiſsimè viuunt, nec ſolũ in præſens magiſterio fungentes, ſed etiam hi, qui iam ſunt emeriti, cuius magnificentiæ, vel maximum illud eſt argumentum, quòd ſapientiſsimus doctor Martinus Azpilcueta Nauarrus, toto orbe celebratus, poſt cõfecta magiſterij ſui in pontificio iure explicando curricula, Romæ, vel alijs in locis viuens, mille nũmorum aureorum reditibus, ab eadem Academia magnificè quotannis datis, vltra triginta annos potitus fue-

rit,

rit, quæ tamen ille semper egregiè insumpsit. Vltra omnia dicta, exornant hanc Academiam duo nobilissima collegia, vnum Diuo Paulo, alterum Diuo Petro consecratum, ad quæ studiosi homines ex honestis familijs, ingenij, progressusque in literis periculo facto, cooptantur, magnificèque viuunt, talemq; diligentiam in bonis artibus perdiscendis ponunt, vt inde plerumq; ad præstantissima quæq; Lusitani regni munera, magistratusque euehantur. LINVS. Multa sanè iucundissima dixisti de ista florentissima Conimbricensi Academia, quam verè almam studiorum hominum parentem possumus nuncupare, eiusque aliquam similem, fixit Deus, vt aliquando in nostra Iaponia habeamus. MICHAEL. Diuturnitate Christianæ religionis, felicique progressione id pollumus. Line assequimur: nec enim nostris hominibus ingenij, & naturæ dona desunt: quòd si diligens industria cum Christiana religione accedat, facile est, nostrorum hominum mores, mentesque ad omnem humanitatem excoli. Sed venio iam ad alteram illius Academiæ partem, quæ collegio Societatis IESV continetur, cuius patres peculiari quodammodo nostram beneuolentiam, gratiamque sibi conciliarunt. De huius ergo collegij rebus dicturus, tam amplã mihi video oblatam esse materiã, quanta est ipsius eximia magnitudo. Dicam igitur ante omnia de primo eius exordio, vt intelligatis, quantum illi nostra Iaponia debeat. Cùm Ioannes tertius Lusitaniæ rex, quem honoris causã in his colloquijs sæpe nominatum esse volo, intellexisset, quantoperè patrum Societatis in Ethnicis ad Christianam religionem traducendis valere posset industria, ex æde Olysipponensi Diui Antonij, quæ progressu temporis collegij nomen obtinuit, missis patrib⁹, eorumq; duce, nomine Simone Roderico, qui primus præpositus prouincialis Lusitaniæ fuit, collegiũ illud primum in Lusitania instituit, totque reditibus locupletauit, vt centum ex Societate in eo viuere possent: inter quos duodecim Theologiæ auditores semper paratos esse voluit, vt in Indiã, Brasiliamq; transmittentes, in Ethnicis ad Christianam legem reuocandis totam operam ponerent. Quo fit, vt maxima pars fructus ex messe totius Orientis collecti, collegio Conimbricẽ si iure optimo accepta referenda sit. Decursu tamen temporis collegium hoc maius incrementũ habuit, minoribus Academiæ scholis illi à rege commissis. Cùm enim idem Ioannes tertius cognouisset, ad in-

stitutũ

ſtitutum Societatis etiam pertinere ſtudioſam bonarũ artium iuuentutem erudire, eamque tum varijs diſciplinis, tum bonis moribus in buere: ſtatuit eam Academiæ partem, quæ Latinam linguam, Græcam, & Hebræam, ſimul cum Philoſophicis artib⁹ diſcipulis tradit, curæ patrũ mandare, quod munus illi iam à triginta quinq; ferè annis egregiè obierunt, iuuenum Lusitanorum ingenia omni pietate, ſapientiaq; excolentes: vnde factum eſt, vt non ſolùm optima iecerint fundamenta omniũ diſciplinarum, ſed etiam pleraſque omnes religioſorum hominum familias ingenioſiſsimis adoleſcentibus, ad ipſas cooptatis floretes reddiderint: quod ipſæmet ingenuè fatentur, & hac etiam ratione, vtilitatẽ Luſitaniæ à ſe importatam magna ex parte eidem collegio attribuũt. Ex ijs, quæ à me dicta ſunt, conijcere poteſtis, quantus ſit patrũ, fratrumque in eo collegio numerus, cùm ad Indiam, & Braſiliam mittendorum concionatorum ſit ſeminarium, & bonarum artiũ, quibus adoleſcentes inſtituuntur, ſit domicilium, quo nomine magiſtri viginti diſtinentur. Vndecim nanque Latinam linguam cum Rhetorica, alijs quæ adiunctis artib⁹, docent honeſtos adoleſcentes, per vndecim amplà gymnaſia diſtributos. Quatuor Philoſophicas diſciplinas, duo Græcã, & Hebræam linguam, tres priuatim Theologiam tradunt: ex quo magiſtrorum numero, diſcipulorum multitudinem colligere poteſtis. Externi nanque numerantur ad duo ferè millia: ſocij verò omnes, qui in collegio ſunt, cum magiſtris à me commemoratis, ducenti, imò plures, ſi adiungas alios, qui per varia prædia, parœciaſque eidem collegio attributas, ſunt ſparſi. Colligit enim collegium illud quotannis quindecim ſaltem nũmorum aureorum millia, partim ex fundis, partim ex ſacerdotijs copioſiſsimis: quam ob cauſam extra collegium per varia loca nonnulli patres huiuſmodi vectigalibus procurandis operã nauant. Sed dicamus iam de ipſius collegij fabrica, quæ ſanè admirabilis eſt, & cum multitudine conuictorum, reditibuſque maximè congruit. Cœptum eſt gymnaſiorum periſtylium, amplum illud quidẽ, & valde magnificum, nondum tamen exædificatum cuius vnum latus iam abſolutum, miram quandam magnificentiam gymnaſiorum oſtẽdit. Elaborata eſt ferè tota illa pars, quæ ad patrum domicilium pertinet, & pergulis longiſsimis, vtrinque cubicula amplisſima habentibus conſtat. Addite latitudinem, & altitudinẽ conſpectu digniſsimã,

ita, vt nulla reperiatur in Lusitania religiosorum hominum cōmodior habitatio, nec fortasse cum hac omni ex parte adæquanda, præsertim cùm toti operi fastigium fuerit impositum. Veniamus iam ad eam benevolentiam, qua patres eius collegij nos complexi sunt, quæ sine omni officiorum genere nobis fuit significata. Cùm enim collegium illud, vt dixi, Christianæ religioni propagandæ peculiari quodam modo sit addictum, Brasilicæq;, & Indicæ expeditionis seminarium, diuino quodam instinctu fit, vt patres illi totius Orientis gentes, priuatimque Iaponicam in amore, & delicijs quodammodo habeant, eaq; de causa nos veluti iucundissima Iaponensis nationis pignora, omni charitate fuerint prosecuti. De qua vt aliquid peculiare agam, dicam, quo ornatu ad magistros audiendos fuerimus admissi. Aparatū fuit nobis in suis gymnasijs superiores magistri singulas actiones, quas vt elegantius exhiberent, parietes aulæis ornari, auditores verò splendidissimis vestibus induto, ad gymnasia conuenire, præceperunt. Eo die, quo primū, supremumq; gymnasium petiuimus, propositū nobis est quoddam iucundissimum drama, Angelos, qui tutelares appellantur, egregiè repræsentans. Colloquuti sunt enim inter se illi, qui Laponiā, Europamq; sub sua habent custodia, quorum hic illum de rerum Iaponensiū statu interrogauit, & responso reddito, multæ admirabiles victoriæ, resq; gestæ apud Iaponēses, in Christianæ religionis laudē redundantes, sunt explicatæ. Ad hæc omnia confirmanda fides magno cælitū agmine stipata in publicum prodijt, & Iaponensis Ecclesiæ laudes pleno ore prædicauit, tandemque crucis signo hæc omnia bona adscribens, illud sanctè, augustèq; venerata est. Rursus Angelus Europæ custos longo sermone retulit, quantoperè curauerit, vt per Europæ varias prouincias magno applausu exciperemur, eaque in nos amoris signa à summis pontificibus ostenderentur, quibus æquum esset, vt parētes filios denò in lucē editos prosequerētur. Tunc Angelo Laponiæ patrono nos cōmisit, vt in patriā saluos, incolumesq; reduceret. Quæ omnia cum summa personarum venustate, sermonisq; elegantia peracta sunt. Magister etiam inter dicendum ad nos orationem conuertens, nostrū ad eam vrbem accessum cùm regis Alfonsi Henrici, post partam ex hostibus nobilissimā victoriam, in eandem vrbem lætissimo reditu contulit, & quàm gloriosiora spolia hæc nostra essent, de cæ-

Idololatria, quæ in Iaponia longè, lateq; dominabatur, mirificis verbis ostendit. In secundo gymnasio actus est dialogus, introductis quibusdam condiscipulis, lætitiam, quam ex nostro aduentu ceperant, mutuò significantibus, quibus occurrit alius adolescens ex India, & Iaponia recens, qui de nostræ legationis scopo, rebusque in Iaponia ad propagationem Christianæ religionis pertinentib⁹, feliciter actis, primos illos admonuit. His accesserunt alij, qui variis colloquijs inter se habitis, quæcunq; nobis in aditu ad Romanam curiam, redituq; euenerant, pulchrè retulerũt. Hæc summa fuit dialogi, magna varietate distincti, & in nonnullas horas producti. Rursus in alio gymnasio, ferè in eandem sententiam tractata est materia, diuersis tamen personis adhibitis. Primùm namque introducta est Asia, nostram absentiam ægrè ferens, & longam querimoniam habens tandemq; Oceanum de nobis interrogans. Ille responsum retulit nos diu à se molliter, indulgenterq; fuisse habitos, & nullo incommodo accepto, Europæ traditos, proinde illam solicitaretur. Asia igitur de nobis adhuc solicita, Europam adijt, & de nostrarum rerum statu quæsiuit. Tunc illa nos saluos, & incolumes esse testata est: vtquo id Asiæ exploratius esset, prouincias aliquas, tanquam filias suas Lusitaniam, Castellã, & Italiã, ad idem colloquium vocauit. Earũ singulæ, quod ad se pertinebat, de nobis retulerunt: quarũ videlicet iucunditate perfusus vrbes, arq; oppida fuisse nos excepta: quo in sermone omnia superiùs à me commemorata, summatim, artificioseq; sunt perstricta. Asia igitur beneficia hæc in suos alumnos collata, tanquam propria recognoscens, Europæ immortales gratias egit, seq; cum illa perpetuo fœderis vinculo coniũctam fore, affirmauit, nosq; sibi restitutos iucundissimè recepit, Oceano nosq; iterum tradidit, ab eo postulans, vt erga nos solita indulgentia, benignitateq; vteretur. Fuit huiusmodi actio valde iucunda, egregioq; personarum artificio illustrata: ad quam addita est magistri ipsius oratio totam nostram nauigationem, summorumq; pontificum ex nostro Romam appulsu hilaritatem elegantissimè percensens. Post hanc intra priuatos parietes gymnasiorũ iucundam celebritatem, lætitia collegij foras, quodammodo erupit, & in publicum theatrum processit. Quoties enim illius collegij patres aduentum viri alicuius, singulari auctoritate præditi celebrare volunt, illustrissimam aliquam actionẽ

publicè ſpectandum exhibent. Quoniam autem in idem ferè tempus illuſtriſsimi præſulis Alfonſi ex Algarbienſi pontificatu ad Conimbricenſem mutatio, noſterque Conimbricâ acceſſus inciderũt, peroppor tunè cecidit, vt veerque aduentus tragœdia grauiſsima celebrior redderetur. Argumentum eius fuit vita Diui Ioannis, Chriſti prodromi, & mors ab eo pro veritate prædicanda fortiſsimè oppetita. Inductus eſt in primo actu puer Ioannes quinque annos habens, & relictis parentibus, vitæque delicijs, ad ſolitudinem, & ſeueriſsimum viuendi genus confugiens, totamque ætatem vſque ad triginta annos duriter agens. In ſecundo ſudæę populi ſanctitatis ipſius fama cõmoti, ad eum magno numero confluxerunt, ac de peccatis dolentes ab illo Iordanis fluuij aquis ſunt ablui. Tertium locum obtinebat eius Diui progreſſus ad vrbem Hieroſolymam, & frequens Herodis regis cõmonitio, qua illum diuinæ iuſtitiæ minis propoſitis, à nefario inceſtu deterrere conabatur: in cuius actus decurſu, egregiè diuini amoris ardor mentẽ Diui Ioannis incendens, & tyranni animus contra ſalutaria monita obdurescens depingebatur. Quarto agebatur de vinculis ſanctiſsimo viro immeritò iniectis, & patientia eius in aduerſis omnibus tolerandis ſummoperè enitebat. Concluſa eſt tota actio crudeliſsima eiuſdem Diui obtruncatione, quæ ita expreſſa eſt, vt non in ſcena agi, ſed re ipſa euenisſe videretur. Ad ſingulas huius tragœdiæ partes multarum vocũ concentus ſuauiſsimus eſt adiũctus: præſertim verò tertia pars illuſtriſsuit virtute illa, quæ cõmuni vocabulo pœnitentia dicitur, Angelos ad laudes D. Ioannis decantandas exhortante, iiſdemq; illas egregio cantu celebrantibus. Huc operi, quod in ſeptem horas ferè productũ eſt, non parum attulit ornamenti nonnullorum locorum topographia, nimirum ſolitudinis illius, in qua diuus Ioannes inedia, alijſque cruciatibus ſe miserabat, & infernæ ſedis, vnde furiæ prodeuntes, animũ impij Herodis in fraudes, & ſcelera inducebant. Hæc ſunt, quibus dies illos Conimbricæ iucundiſsimè egimus, à patribus varijs ſpectaculis oblectati. Agitauimus in eodem collegio diem Natalem domini, qui fuit ineuntis anni 1586. cuius celebritatem magnoperè oſtendit forma præſepis eius, in quo Chriſtus ſeruator noſter natus eſt, egregio artificio ſub aſpectũ ſubiecta, & ſpeluncam illã Bethlehemicam, cũ animantibus optimè effingens. Additũ eſt ad ipſam hiſtoriam eximiũ quod

dam

dam ſpectaculum, quo fides Chriſtiana triumphali quodam curru à quatuor ſacri Euangelij ſcriptoribus geſtato vehebatur, & Franciſcus Bungenſis, Protaſius Acimenſis reges, Bartholomæuſq; princeps Omurenſis in eius clientelam, patrociniumq; ſe totos tradebat. Acta eſt etiã quædam Æglogæ inter paſtores, de nouo Chriſti ortu mutuò colloquentes, & Angelici oraculi monitu, eũ in ſtabulo iacentẽ pie, auguſteq; venerantes: & tam perſonarum venuſtas, quàm appoſitæ materiæ varietas, magnum nobis iucunditatẽ peperit. Sed venio ad eam, quam cepimus ex conſuetudine ipſius præſulis Conimbricenſis, qui nos modis omnibus reficiendos, exhilarandoſq; curauit. Nam præter frequentem ſalutationem, & munera crebrò miſſa, ad domeſticum epulum lautiſſimè inſtructum nos inuitauit, & quo die Chriſti pro nobis circumciſi memoria repetitur, non ſolùm eloquentiſſimè concionatus eſt in templo collegij Societatis, ſed etiam idem conuiuium nobiſcum iniit. Detulit etiam nos ad videnda ſacraria Conimbricæ, & reliqua omnia, quæ nobis iucũda fore intellexit. Ruſticati præterea ſumus cum eo familiariſſimè, non modò villam eius amœniſsimã, quæ Diui Martini dicitur, adeuntes, verũ etiam venatione animos relaxantes, rurſuſq; cum eodem villam patrum Societatis, ad ripam Mondæ fluminis ſitam, multorumq; fructuum feraciſſimam petentes. Idem etiam die ipſo Natalis domini ad ſacrum ſolenne ab ipſo in templo maximo faciendum nos honorificè vocauerat, à toto canonicorum conuentu excipi volens, & ſummæ dignitatis locum in ſacello maximo nobis aſſignauit, cum ſellis, puluinisque gauſapinis, adhibito thuris honore, & oſculo eius ſacræ tabellæ, qua ſignum pacis datur, quo vtroque ritu ſoli magni principes dignantur. Quibus omnibus nominibus nos illi præſuli illuſtriſſimo valde obſtrictos eſſe fatemur. Præſtitit etiam ſe perhoſpitalẽ erga nos, nobiliſsimus vir Ioannes Brigantinus, de quo aliquoties iucundam mentionem feci, & morum ſuorum ſuauitate, beneuolentiaq; in nos multis ſignis demonſtrata, gratam ſui memoriã in animis noſtris defixit. Celeriùs, quã opinabamur, lapſi ſunt dies illi viginti, quibus Conimbricæ morati ſumus, & à patribus Societatis, præſule, & alijs ornatiſſimis digreſſi, vix poſt multos dies ardens eorum deſiderium lenire potuimus, & adhuc eius extant veſtigia non preſſa leuiter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa ad memo-

riam

riam nobiliſsimæ illius victoriæ, quam obtinuit cum Ioanne Item primo Caſtellæ rege confligens. Sunt in eo cœnobio multa ſpectatu dignissima, opus nimirum ſumptuoſiſsimum, ſupellex ſacra magnificentiſsima, religioſi multi, ijdemq; literatiſsimi, omnia denique regio apparatu digniſsima, quæ, quoniam ad calcem iam properamus, ſigillatim non recenſeo. Alterum verò incolit florentiſsima familia Diui Bernardi, ab Alfonſo Henrico primo Luſitaniæ rege extructum, ob inſignes victorias partas, fuſis, fugatiſque innumerabiliſsimis Saracenorum copijs, præſertim illis prælijs, quibus Scalabim, Olyſipponemq; recepit. Talem verò attribuit huic opulentiſsimo cœnobio reditum amplitudinem, vt vix credi poſsit numerus religioſorum, qui ibi ſuperioribus ſeculis vixiſſe feruntur, fere nanq; mille eos fuiſſe, vulgaris eſt opinio. Illud tamen certiſsimum eſt, huius cœnobij abbatem, qui modò eſt illuſtriſsimus vir Georgius Ataideus, olim Viſenſis epiſcopus, nunc ſupremus regis in Luſitania ſacrificus, ex ſolo hoc opimo ſacerdotio vigiliti numorum aureorum millia colligere, vnde ipſius religioſi conuictus facultates, quæ ſeparatæ ſunt, facile cognoſcentur. Poſtquã Olyſipponem pedem retulimus, rurſus inſignem liberalitatem illuſtriſsimi cardinalis experti ſumus. Nam præter ſuperiora munera, ad comparandum comeatum Indicæ nauigationis, quatuor aureorũ millia, nomine regis, nobis dari, hoſpitiaq; optima, quæ propria nauarchi tunc in nau, aliaque neceſſaria ſuppeditari iuſsit, quod ſanè Diuinæ prouidentiæ aſcribendum eſt: etenim cum ſolito ſemeſtri ſpatio temporis curſum in India non confeceriimus, & Mozambiquij hyemantes annum fere cum dimidio in ea nauigatione conſumpſerimus, quidquid victus Olyſippone quæſitũ eſt, illo temporis decurſu facilè fuit expenſum. Ad hæc addidit alia tria aureorũ millia ſupra quadringentos donata patribus, qui nobiſcum erant nauigaturi, vnus videlicet vltra triginta, qui partim nobiſcum, partim alia naui vecti ſunt. Scripſit etiam de nobis ad proregem Indiæ literas commendatitias, iuſsitq; vt Goæ quatuor nobis equi optimi darentur, & reliqua omnia, ad Sinicam, Iaponicamque nauigationem neceſſaria adminiſtrarentur, quod egregiè ab Indiæ prorege præſtitum eſt: & vt ſummam omnium munerum, quæ à rege, & à cardinali amplisſimo accepimus, ani hi Luſitania, quam in India breuiter colligam, non dubium eſt, duodecim-

aure-

aureorum millibus æstimatâ fuisse. LEO. Equidem multum debetis, debemusq; omnes Philippo Hispaniæ regi potentissimo, eiusq; nepoti clarissimo, qui vos tam multis donis, honoribusq; cumularunt: ex quibus omnibus tum alias sæpe, tum etiam hoc loco manifestè colligo, quanta sit Europæ opulentia: ad finem tamen huius colloquij velim, eius causas nobis breuiter proponas. MICHAEL. Causas profectò ex superioribus colloquijs explicari, & assequi potuistis: eas tamen in summam vestri gratia redigam, vt cognitis causis, credibilior vobis fiat, tam multarum diuitiarum tam sæpe repetita commemoratio. Primo igitur Europeam vbertatem pace, tranquillitatiq;, qua in ea viuitur, attribuo. Cui enim nihil magis regna, prouinciasq; conuellat, & de statu suo deijciat, quàm bellum diu, multumq; perseuerans, hoc sublato, mirum est, quantopere homines ad fortunas suas augendas, amplificandasque se conferant, & quâ verè pax propè fortunæ parens dici possit. Hinc fit, vt, cùm in nostra Iaponia per omnia regna assidua bellorum lues, pestisq; perstet, nec facilè agri seri, nec fructus colligi queant, sed vbique bellorum tumultus, vrbes, agrosq; occupet. LVS. Est ista profectò optima causa, quâ nostro malo quotidie discimus, nec testimonijs, rationibusq; vllis ad sui confirmationem indiget. MICHAEL. Secundò Europeam opulentiam naturæ soli, cæliq; qualitati ascribo. Quamuis enim nostri Iaponici cæli temperatio sit non contemnenda, Europei tamen longè præstantior est, cuius rei longiorem explicationem in vltimum colloquium reijcio. Hinc fit, vt propter pluuiarum, caloris q; debito tempore opportunitatem, terra illa sit longè feracior frugum, fructuumq;, quorum incredibilis est multitudo. Inter fruges enim colligitur in ea non solùm triticum, & oriza, sed hordeum, typha, milium, panicum, farrisq;, & leguminum quamplurima alia genera: at verò fructus numerare nequaquàm licet, cùm propè sint infiniti, ex multis, variisq; arborum generibus, quæ in nostra Iaponia non reperiuntur, quaquis etiam aliqui nostri, paucissimo tamen numero illic desiderentur. His adiungite quàmplurimorum animalium tam ciurum, quàm ferorum mulcitu dinem, ex quorum villis, & velleribus, vt iam initio dixi, artificiosè textis, vel lanæ pretiosissimæ fiat, aut vestis vario vsui destinata cõficitur. Tertia Europeæ abundantiæ causa sit, Europeorum hominum tum inter se, tum etiam cùm alijs gentibus cõmercij,

nem

non enim ſe habent, quemadmodum noſtri Iaponenſes, qui ſuorum finium fertilitate contenti, nihil externum quærunt, aut vtile ſibi iudicant: cùmq; multarum rerum Iaponia ſit inops, earum magnam penuriam patiuntur. Contrà verò Europei regnorum ſuorum vbertate nequaquàm ſatiati, cauſã cõmercij omnes terras luſtrant, omnia maria transmittunt, omnes deniq; vias ad patriam ditandã, nobilitandamq; perſequuntur: vnde factũ eſt, vt præter illam terrã Auſtralem incognitã, de qua dixi, totus illis iam pateat terrarũ orbis, & ad merces huc, & illuc conuehendas diligenter incũbant. Quã ob cauſam nihil eſt alicuius pretij in toto terrarum orbe tam reconditũ, & abſtruſum etiam in intimis terræ venis, viſceribusq;, quod non extrahant, atq; effodiant, ita vt nihil humanæ induſtriæ reliquum eſſe videatur. LINVS. Attigiſti veriſsimas cauſas, Michaël, eaſque ego aptiſsimas prorſus iudico, nec poſſum non Europeorũ hominũ induſtriã admirari. MICHAEL. Quid ſi ipſos non mercatores ſolùm, quorũ aliqui ad nos cõmeant, ſed colonos terrã ſubigẽtes, exercenteſq; intuereris? videres enim eos ne vlnam quidem terræ incultã, otioſamq; relinquere, variaque loca variis rebus ſerendis deſignare. Cùm enim, vt dixi, ſationis multa ſint genera, in quibuſdã locis ſeruntur fruges, in alijs pomaria inſtituũtur, in multis vineta, in quãplurimis oliueta, aliarũq; arborũ ſimiliũ etiam opaciſsima nemora. Quo fit, vt agricolarũ induſtria cũ mercatorum diligentia, & cum hac, opificum exercitatio, laborandiq; aſſiduitas cõtendat. Hæ ſunt breuiter cauſæ Europeæ opulentiæ, quæ ſe mihi obtulerunt, & adhuc ex fine noſtrorum colloquiorum vobis erunt exploratiores. Nunc ad diſceſſum noſtrum ex Europa feliciter accedamus, quem multis, varijſque de cauſis cõmemoratione digniſsimum nõ poſſum non in craſtinum diem prorogare. LEO. Mouiſti mihi deſiderium Michaël, dum diſceſſum ex Europa tibi iam commemorandum eſſe affirmaſti: cùm de ea prouincia multò plures, longioreſque ſermones tecum conferre ſummoperè cupiamus. Sed ſit iam finis, quando ita placet, de Europeis rebus, quas nos in poſterum eo loco, quo digniſsimæ ſunt, numerabimus, animiſque perpetuò inſitas, inſculptaſq; retinebimus.

De nauigatione è Lusitania in Indiam, & ab India in Sinarum regnum. Colloquiũ trigesimũ secũdũ.

MICHAEL.



Empus postulat, charissimi patrueles, vt tam multis colloquijs de Europeis rebus habitis, tandem aliquando dulcissimum in patriam reditum, variaque pericula in eo adita vobis cõmemorẽ. LEO. Perfecta narratio id ita postulat, vt eò, vnde digressi sumus, iterum redeamus, & horum colloquiorum periodum feliciter absoluamus. MICHAEL. Paratis omnibus, vt dixi, ex regis, cardinalisque magnificentia, patrũque Societatis diligentia, ijsdemq; cum lacrymis, & ardenti desiderio salutatis dictis, pridie idus Aprilis nauem Lusitanam Diuo Philippo Apostolo dedicatam cum vndeuiginti ex Societate conscendimus, eodem patre Nonio Roderico itineris duce. Vehebantur alia naui duodecim ex eadẽ Societate. Habuit tum temporis classis Indica incomitatu plures alias naues, varios portus Brasiliæ, Guineæ, Insulæ Diui Thomæ, Arcis Diui Georgij, quæ alio nomine Aurifodina dicitur, similesque petentes, ita vt omnes simul viginti octo numerarentur. Hospitium nobis in nostra naue assignatum, quod iam superiori colloquio dixi, fuit accommodatissimum, quo scilicet vtuntur illi, qui nauibus ipsis præsunt, nauarcho nostri causa ex præscripto cardinalis loco suo cedente. Postquàm solutis nauibus vela data sunt, & in altum prouecti sumus, vento secundissimè flante, nulloque aduerso casu interueniente, vsque ad diem ante Nonas Maias nauigantes, ad eum tractum delati sumus, quo æquator, siue æquonoctij linea mediũm cælum secat: quo in loco naues illæ, quæ in varios portus ferebantur, à nobis digressæ sunt, & vnaquæq; viam suam tenuit, nec sque paucis post diebus æquatorem transmisimus, & paulatim relicto Septentrione, Australem partem spectare cœpimus. Quoniam autem in pro

greſſu de varijs noſtris periculis mihi agendum eſt: proponam prius cõmunes difficultates, quibus affecti, & afflicti Luſitani curſum hunc Indicum conficiunt: vt ſaltem cognoſcatis, quantum patribus Societatis debeamus, qui noſtræ ſalutis cauſa tam multas moleſtias, tanquã rem dulciſſimam deuorant. Atq; vt omittam ſemeſtrem illam incluſionem, velut in carcerem, de qua initio colloquiorum locutus ſum, vix dici poteſt, quot, & quàm varijs tempeſtatibus Oceanus ſit infeſtus. Vnus enim dies, atque vna hora interpoſita ſæpe perturbat omnia, & ſecundam nauigationem parua nonnunquàm cõmutat aura, quæ vehementius interdum flans, admirabiles procellas excitat. Hæ autem vel certo aliquo cæli ſigno, vel etiam improuiſo, nulla ſpectata ratione, commouentur. Nec leue tædium aliquãdo ſequitur ex malacia, nullo, ne leuiſſimo quidem flatu ſpirante, ſed mari huc, ac illuc cũ magna vectorum ſatietate fluctuante. Quid dicam de vadoſis, ſcopuloſiſq; locis? in quæ ſæpe naues pleniſſimis velis vectæ ita incurrũt, vt in multas partes confringantur, miſerique homines abſque vlla ſpe ſalutis profundiſſimo maris gurgite abſorbeantur. Quid denique referam periculum, quod ab igne nauibus imminet? cùm enim ſint ex arida ligno rum materia confectæ, & pice, alioque ſimili bitumine oblitæ, earum quæ tenuiſſimæ rimæ ſtuppis obſtructæ, facillimũ eſt, concepto igne in cendium excitari, quo tota nauis deflagret, vt ſæpe euenìſſe certũ eſt. Quorum euentuum mira, & miſeranda vobis poſſem exempla referre, niſi notiora eſſe crederem, quàm vt repetitione indigeant. LEO. Equidem ſummoperè miror, homines eſſe tanta audacia, vt incerto, & procelloſo mari non dubitent ſe committere: & quoties iſta audio, ſtudium totum illud, quo tenebar Europam adeundi, reſque à vobis cõmemoratas experiendi, paulatim deferueſcit. MICHAEL. Hæc cùm ita ſe habeant, mirandum profectò eſt, quàm facilè Luſitani multi Indicam nauigationem inſtituant, quaſi videlicet in vlteriorem Tagi ripam traiecturi, adeò vt multi inueniantur, qui ne cibaria quidẽ trium dierum præparent. Deo tamen omnibus rebus prouidente, Indicamq; hanc nauigationem ad multorũ ſalutem dirigente, fit, vt reges Luſitaniæ nequaquàm huic negotio deſint, ſed omnia neceſſaria ita ſuppeditẽt, quaſi de proprijs filijs ſint ſoliciti. Iubent enim magnã copiam ſaliatarum carnium, nautici panis, vini, olei, & aquæ in naues cõ

uehi,

uehi, quibus omnibus rectè valentes vtuntur: ægrotis autem pharmaca, vnguenta, liquores pretiosos, multiplicemq; medicinam parari imperant, adiunctis medicis, chirurgis, alijsque magistratibus, qui res omnes diligenter procurant, quibus tamen, & cæteris omnibus nobiles nauarchi præponuntur, totamque nauem administrant. LINVS. Nõ dubito profectò, magnos fieri à regibus istis sumptus, sed velim scire, cõmuni ne victu omnes vectores alantur? MICHAEL. In his nauibus tria sunt hominum genera, nauiculatorum videlicet, militum, & eorũ, qui iam munere aliquo regio sunt donati. His omnibus ex regia annona certa cibariorum portio quotidie assignatur, quæ ad vitam alendam satis esse iudicatur: atque ita nullus est in naui, quantumuis sibi nõ prouiderit, qui graue aliquã corporis reficiẽdi difficultate patiatur. Nobiliores tamen priuata habent hospitia à regibus concessa, propriamq; supellectilem, & penum, ex qua lautè viuunt. Inter nauiculatores etiam varij sunt ordines, ex quibus ditiores aliqui splendidè se gerunt, cõmeatuq; vario abundant. Ad hæc accedit diligens religiosorũ hominũ, priuatimq; patrũ Societatis industria, qui ægris, & egestate oppressis in omnibus accuratè subueniunt, mirumq; charitatis, & misericordiæ exemplũ edunt. Sed vt ad cursum redeamus, cũ nos sexto Calendas Iunij ad Austrũ prouecti, quatuordecim gradus à linea æquinoctij distaremus, tanta fuit venti vis, vt antennæ supra maximũ malum editæ in duas partes conciderentur, velumq; simul cũ parte armamentorũ in mare corrueret. Quo euẽtu vix dici potest, quam grauiter, & periculosè sit laboratũ, alijs armamenta præcidentibus, ne nauis cũ illis in præceps iret, alijs verò velum colligentibus, nonnullis deniq; antennarum fragmentis foros expedientibus. Post hoc vitatum periculũ, curauit magister nauis, vt ex alijs lignorum partibus inter se coagmentatis nouæ antennæ fabricarentur: nec proinde à velificatione, & progressu itineris cessatum est, alijs minoribus velis passis, ventoq; plenis, donec die tertio antennæ denuò confectæ in altum sublatæ sunt, nosq; longi itineris spatium emensi, Nonis Iulij optatissimum bonæ spei promontorium transmisimus, alterumq; non longè distans, & ab acub* nomen habens, quòd eo in loco ex aliqua occulta cælesti causa acus nauiculatoriæ non ita rectè Septentrionem ostendant, sed aliquantulum ab eo deflectant. Eo in tractu tanta fuit maris tranquillitas, &

malacia,vt liberum omnibus fuerit piſcatu variorum piſcium animos relaxare: quod etiã nos cũ magna iucunditate fecimus,& vltra ſeptuaginta piſces hamatis filis cepimus,illiſq; recẽtibus deguſtatis oblectati ſumus. Sed quoniam extremæ tranquillitati ſuccedere ſolet perturbatio, & tempeſtas, eam nos quàmprimùm experti fuimus. Cùm enim ventus vehementiùs ſpiraret, velum magnum demittere, ſuppariſque tantùm vti coacti ſumus: donec eiuſdem venti vi magis, ac magis ingraueſcẽte,mare multò acerbiꝰ intumuit,aq; efferbuit,ita vt nauis hinc, atq; illinc fluctibus agitata difficillimè curſum tenerer,vixq; clauo dirigi poſſet,& nouis additis ad vela rudentibus,triginta ferè homines illis coërcẽdis hinc, & inde diſtinerentur,ne videlicet perperàm excepto vento, nauis in tranſuerſum ferretur. Hoc nauigationis tenore,ventorum impetu nequaquàm remittente,tractum illum præteruecti ſumus,qui à Natali die Domini nomen habet, quòd eo fuerit primũ patefactus. Fuit autem illa tempeſtate tam vehemens maris,vndarumq; commotio,totieſq; nauis in imum maris gurgitem depreſſa eſt,vt omnes vel de naufragio,vel ſaltem de armamentorum iactura cogitauerint: nauem tamen incolumem ſeruauit Deus,qui toties noſtri itineris certiſsimum ducem ſe præbuit. Cùm igitur mors ſæpiſsimè ante oculos obuerſaretur,paulatim ventorum vis remittere cœpit, & malacia ſubſequuta eſt,quæ duodeuiginti dies integros perſeuerauit. Poſteà ſcopulos illos,quibus Iudææ nomen eſt,prætergreſſi ſumus, inſignes quidem multarum nauium naufragio,præſertim eius,quæ à Diuo Iacobo nomẽ habuit, &qua in Luſitaniam vecti ſumus. Hæc enim nauis cùm antecedente anno Indiam repeteret, ad eos ſcopulos miſerandum in modum alliſa eſt,vt mox vobis narrabo. Vento igitur rurſus flante, quinto Idus Auguſti cùm nos iam Mozambiquium tenere exiſtimaremus, ad Zofalæ vada notiſsima nos non ſine magno periculo appulſos eſſe, intelleximus: quod ex aqua turbida,& lutulenta, deinde fundi,quod quatuordecim vlnas altum fuit, exploratione, tandemq; terræ aſpectu nobis fuit cõpertum. Cùm verò eo in loco aqua ad varios ſinus illius littoris nequaquàm portuoſi magno impetu ferretur,grauiſsimum fuit nauis periculum, præſertim cùm magis, ac magis ad loca vadoſa aquarum impetu raperetur, adeò vt arbuſta diſcerneremus, & ex pyris efferatos homines, qui Cafares appellantur,ad prædã frangendæ

gendæ nauis paratos eſſe, intelligeremus. Cùm igitur vela demiſſa eſſent,& anchoræ in mare iactæ,duo rudentes maris concitatione comminuti ſunt,& nauis paulatim ad littus, & ad vadum ſex tantùm vlnas habens,tracta eſt,vno præcipuo rudente nixa,ex quo ſolo,humanis ſpectatis,ſpes omnium pendebant. Acceſsit ad incutiendum omnibus timorem,noctis obſcuriſsima caligo, venti turbo rapidiſsimus,pluuiæ decidentis vis,quæ omnia ipſam infernæ ſedis imaginem nobis ob oculos proponebant. Quid ego vobis hoc loco miſerorum vectorum fletus,eiulatuſq; commemorem? qui ſanè tam graues,lugubreſq; erant, vt omnes certiſsimam mortem ante oculos habere viderentur. Nec verò fletibus tantùm acta res eſt, ſed precibus, votis, peccatorumq; confeſsionibus,quibus omnes euidens periculum teſtabantur. Sed animum meum ſemper ſpes ſalutis,incolumitatiſq; ſuſtentauit: quod & ipſos ſocios de ſe affirmare poſſe, mihi perſuadeo. MANCIVS. Idem ego de me aſſero: quanuis enim diſcrimen tale fuerit,vt pater Nonius Rodericus, in quencũq; euentum nos paratos eſſe volens, pro re,ac tẽpore nos ſuauiſsimis verbis ad fortitudinem animi ſit adhortatus,& inter vectores de certiſsimo naufragio conſtans opinio percrebuerit: ego tamẽ diuina prouidẽtia fretus,ſemper mihi perſuaſi,nos nullo caſu eſſe impediendos, quominùs noſtræ legationis curſum conficeremus, eiuſq; noſtris rationem redderemus. MICHAEL. Dum res in eo ſtatu eſſet, omneſq; ad triſtiſsimũ mortis, naufragijq; caſum ſe compararẽt, nauarchus,procuratorq; nauis anchoram vltimò in mare iactam cum rudente Beatæ Virgini vouerunt, pretium vtriuſq; ſe ſoluturos pollicẽtes (hoc autem quingentis nũmis aureis æſtimari poterat) ſi nauis ex illis ſyrtibus ſalua, & incolumis euaderet. Gratum videtur fuiſſe Beatæ Virgini hoc votum, cùm tota illa nocte rudens, etſi vi aquarũ magnoperè extenuatus, firmiter tamen nauem retinuerit, donec illuceſcẽte claro,ac ſereno die,meliùs aliquid vectores de ſalute ſua ſperare cœperunt,perſuadentes ſibi,quanuis nauis frangeretur, poſſe tamen ſe viuos in littus euadere, atq; ita terreſtri itinere Zofalam petere, vel ex trabibus frangendæ nauis ratem conſtruere. His rationibus ſubductis,totus ille dies actus eſt, periculo nequaquàm ceſſante. Poſtridie lenis aura à terra flare cœpit,quæ videbatur poſſe nos in altum rurſus inducere: ſed cùm vela data eſſent, leuis ille flatus reſedit, iterumq; eadem anchora

in ma

in mare missa, non est desitum grauiter periclitari. Statuerunt igitur patres, vectoresque maiori animi contentione ad Diuina remedia confugere, & ad id ardentioi pietate efficiendum, instituta est supplicatio à prora ad puppim, erecta ara, productaq; illa pretiosissima spina, quã loco maximi muneris adduximus, ex corona capiti Christi seruatoris nostri imposita. Fuit in hac supplicatione magna animorum commotio, præsertim patre quodam concionante, & Deum ad opem nobis ferendam multis precibus inuocante: qui quidem non solùm verbis, sed etiam lacrymis, quas retinere nequaquàm potuit, omnes ad fletum vehementissimum impulit, ita vt tota nauis lacrymantiũ gemitibus, clamoribusq; personaret, & omnes, vt credibile est, animos à peccatis ad verum Dei amorem conuerterent. His pietatis, religionisque signis, diuino numine iam propitio, Idibus Augusti, qui dies nobis fuit iucundissimus, vehemẽtior ventus è terra flare cœpit, qui omnes summa lætitia affecit, & anchoris sublatis, velisque passis, Deo nobis benignissimè fauente, in altum, profundumq; mare inuecti sumus, ex illis vadosis, & periculosis locis enauigare. Sequẽti die salo iam seeuriore, animisq; tranquillioribus vecti, obuiam habuimus quandã nauiculam Lusitanorũ, quæ in eo Sofalensi tractu mercaturæ causa nauigabat, Mozambiquium petens, ad nos properabat. Solet huiusmodi occursatio, præsertim post longã aliquam nauigationem, & periculosam, esse iucundissima, eruscq; suauitatem non mediocriter experti sumus, cùm Lusitanis colloquentes, laboresq; nostros enarrantes. Sed non defuit inter eos quidam nauta, qui alios longiores, vt ita dicam, annales laborum nobis referret, historiamq; de nauis, à Diuo Iacobo nomẽ habentis, naufragio texeret lamentabilem. LEO. Explica, quæso, Michaël, quænam fuerit ista historia tanta lamentatione digna. MICHAEL. Referam quàm breuissimè Leo, audiui nanque, librum integrũ de illa esse compositum, qui citò ad nostras manus deuenier, exponãq; quod ab eodem nauta audiui. Cùm prope illum tractum, in quo vada ludęæ sunt, veheretur nauis, plenissimisq; velis ferretur, nauclero sibi omnino persuadente, se vadosa illa loca fuisse transgressum, nocte intẽpesta cũctis vectorib⁹ somno sopitis, nauis subitò in scopulũ incurrit tanta vi, vt statim carina à reliquis eius partib⁹ fuerit auulsa, & vadis illis hæserit: cùmq; reliqua nauis venti, & maris impetu paululùm progrederetur,

rursus

rursus ad alios scopulos allisa est: & omnes vectores excitati, se in syr tes illas, de quibus tam non erant soliciti, ineidisse compererunt. Dici non potest, quæ fuerit ea nocte omniū perturbatio, dum nauem fracta ad prominentes scopulos viderent, & nullam ferè salutis spem superesse intelligerent. Confugientes igitur omnes ad superiores partes prorę, ac puppis, quæ vulgò castella dici solent, totam illam noctem lacrymis, eiulatibus, peccatorum confessionibus, alijsque de vita desperantium propris rebus consumpserunt. Illucescente die nō minor fuit rerum omnium confusio, cùm vnusquisque salutis aliquod remedium quæreret. Nauarchus enim missa in mare scapha minore, quæ in nauibus expeditior esse solet, cū aliquibus alijs socijs explorare cœpit, esset ne aliqua ratio, à tam certo vitæ periculo vectores liberandi: sed cùm nullam esse, intelligeret, nec naufragis opem ferre posset, mari se cōmittere, & portum aliquem petere decreuit, qui tamen non poterat non inde centum, & triginta leucas abesse. Ex vectoribus verò quidam maiorem scapham, quæ è media naui vndis fracta miro quodam modo foras erupit, celerrimè occuparunt, eamq; grauiter conquassatam, quantum fieri potuit, coagmentarunt, & sexaginta ferè viros simul cum patribus in illam impoluerūt: nec enim absq; certissimo ipsius scaphæ naufragio plures recipi poterant. Quis explicare queat, quàm misera fuerit contentio eorū, qui se relinqui indignissimè passi sunt, aliorumq;, qui tabulas congerentes, vt ita in portum aliquem se conferrent, vndarū impetu fuerunt summersi? Sed nec ipsi, qui vtraq; scapha vecti sunt, grauissimas ærumnas, calamitatesq; effugerunt: nam ad littora Cafarum immanium, barbarorumq; hominū appulsi, capti, vestibus nudati, in miseraq; seruitute sunt reposiri. Inter quos cū essent sex è Societate, quatuor eorū fame, inopia, morboq; confecti cum alijs multis perierunt, vel potiùs immortalem vitam consequuti sunt. Reliqui verò duo adhuc viuentes, quàm acerba, luctuosaq; fuerit eius naufragij, seruitutisq; conditio, hodierno die testantur: quorum vnus est reuerendus pater Petrus Martinus, qui præpositi prouincialis Societatis in hoc Oriēte munus gerit, à quo etiam multa de hoc naufragio audiuimus. LEO. Naufragium profectò illud luctuosissimum fuit: ex cuius cōmemoratione intelligo, quantas, & quàm immortales gratias Deo agere debeatis, qui vos ex tot periculis ereptos superstites in

patriam

patriam reduxit. MICHAEL. Debemus ſanè quandiu vita ſuperfuerit: ſed ad noſtrum curſum redeamus. Poſtquàm à nauicula illa mercatorum digreſſi ſumus, decimo quinto Calendas Septembris ad inſulas quaſdam, quæ Angoxæ dicuntur, & magnum nobis angorem pepererunt, peruenimus. Diſtant hæ inſulæ Mozambiquio triginta leucas, quod ſpatium nos poſtridie confecturos ſperantes, iam de portu cogitabamus, cùm aquarũ vi citra Mozambiquiũ octoginta leucas reuecti ſum⁹. Id ſentiens nauclerus, rurſus anchoram demitti iuſsit, deinde pertentato fundo, triginta vlnas altũ eſſe cognouit. Cùm ergo ſequenti die vela data eſſent, mox aquarum vi ad vadum ſex tantùm vlnas profundum delati ſumus, rurſuſq; in graue vitæ periculum vocati. Mittitur ergo quàmprimùm ſcapha minor in mare, vt omnia circum circa loca explorentur, cùmq; cognitum eſſet, inter inſulam quandam & continentem vado quodam octo alto vlnas nauem vehi poſſe, Deo inuocato, eà nobis progrediendum fuit, diuinaq; ope res proſperè euenit. Nec poſt multos dies in hoc progreſſu, regreſſuq; cõſumptos, quarto calendas Septembris velificari ſumus, & proſpero vento pridie Calendas, die Dominico Mozambiquum peruenimus, ſingulari võ luptate perfuſi, & duplici tormenti bellici ictum ſignum dantes, à nauclero quodam ex arce miſſo, illius vadi, quod in Mozambiquienſi oſtio eſt, perito, ad portũ feliciter introducti ſumus. Fuimus in eo portu tres integros dies, quos in reficiendis corporibus, parandoq; victu ad reliquam itineris partem, conſumpſimus. Quoniam tamen inde egreſſi, magnam eſſe aquarum vim nos retro impellentium, & propter tranſactam temporis opportunitatem, ventum leuiter, & remiſsè admodũ flantẽ experti ſumus, eundem portũ repetere, & ſequentis anni idoneã tempeſtatem expectare coacti ſum⁹. E naui igitur deſcendẽtes, vota illa, quæ in Tyrtibus feceramus, ſoluere decreuimus, & nudis pedibus templum Beatæ Virginis, quod à propugnaculo nomen habet, habita ſupplicatione petiuimus, vbi ſacris rite peractis, ſanctaq; Euchariſtia ſuſcepta, debitas Deo gratias egimus. Excepit nos perhumaniter arcis præfectus nobiliſsimus vir Georgius Meneſius, & quandiu Mozambiquij fuimus, lautè, & honorificè nos habuit. LINVS. Explica Michaël, quinam incolæ arcem Mozãbiquienſem teneãt? MICHAEL. Præcipui incolæ ſunt Luſitani: nam indigenæ Cafares ſunt, qui tõ

tum

tum illum Africæ tractum incolunt, rude genus hominum, vt iam dixi, incultum & efferatum. Non procul ab hac arce fluuius est quidam amplissimus, quo ad celebre Manomotapæ regnum fit iter, quod in mediterraneis locis est, & auro magnoperè abundat, inter quod, & fluuij ipsius ostium nonnullæ iam sunt coloniæ Lusitanorum: Tete videlicet, Sena, & aliæ, in quibus Lusitani variarum rerum commutationi cum auro dant operâ, multosq; ex his barbaris hominibus Christianis institutis condocefactos, ad veram pietatem informant. Morati sumus in hac Mozambiquiensi arce vsq; ad sequentem Martium anni millesimi quingentesimi octogesimi septimi, corporibus, atque animis non parum conflictatis, tum propter parum salubre cælum, æstusque vim maximam, tum etiam quòd reuerendum patrem visitatorem de nobis maximè solicitum esse, intelligeremus, reliquis nauibus eodem die ad Goënsem portum appulsis, nostra verò tantùm cum magno patris dolore desiderata. Auxit vehementer angorem nostrum nauis ei⁹, qua Mozambiquium peruenimus, in Lusitaniâ profectio. Cùm enim quædam alia nauis à Diuo Laurentio nomen habens, in Lusitaniam tenderet, intequàm promontorium bonæ spei flecteret, tot tempestatibus, aduersisq; ventis conquassata est, vt vectores Mozambiquiũ renauigare fuerint coacti, eadem naui, maris vi, tam afflicta, & dissoluta, vt in eodem portu penitus fuerit dissipata. Egit igitur nostræ nauis nauarchus cum altero, vt merces, quæ naui Diui Laurentij vehebantur, in nostram transportarentur, atq; ita hæc in Lusitaniam iter institueret. Quæ vna res nostras spes citò ad Indiam perueniendi præcidit. Cùm enim aut mẽse Martio, aut Augusto nauigãdi esset opportunitas, nec nauis illa relicta ad nauigationem apta erat, nec sine animorum conflictatione naues Lusitanæ Augusto mẽse aduentantes expectari poterãt: præsertim cùm aliquoties eueniat, vt Mozambiquiũ præterrectæ, rectà ad Indiã tendãt: nec optatũ eiusdẽ insulæ portũ tenere vllo modo possint. In hac tamen rerum omnium humanarum desperatione cælesti auxilio nixos Deus non destituit: sed singularem opem attulit. Pater namq; visitator, qui Goæ de nobis cogitans assiduè anxius erat, & solicitus, cum prorege egit, vt quoniam nos Mozambiquij hyemasse, credibile erat, nauiculam longam, quàm galeottum vulgari sermone dicunt, celerem illam quidem, & expeditam Mozambiquium petituram,

quòd ipsius præfecti arcis esset, quàm ciuissimè mitteret, cum literis ad eundem præfectum, quibus cum eo agebat, vt si nos in ea arce essemus, eadem naui quàmprimùm in Indiam vehendos curaret, omniaq; ad victum quandiu in hybernis essemus, & ad nauigationem necessaria ex regio peculio abundanter expromeret. Qua in re patris visitatoris erga nos beneuolentiam, iam tot argumentis cognitam, omnino perspeximus: cùm enim de nostra commoratione Mozan biquij non esset certus, sed penderet animi, valdeq; dubius esset de nostrarum rerum euentu, tamen vt ea nauis ad nostram nauigationem mense Martio ineundam à prorege designaretur, & omnia ad victũ, & cultum pertinentia ad nos deferrentur, diligenter procurauit. Magna sane fuit lætitia, qua affecti sumus huius nauis ad Mozambiquiensem portum appulsu, literisq; patris visitatoris, & alijs multis rebus ad nos missis. Eandem iucunditatem cumulauit liberalis, & munificus animus præfecti erga nos, qui præter commendationem proregis, eandem nauẽ, si eò peueniret, libentissimè nobis obtulerat, mutuò dans duo aureorum millia cum quadringentis è suo peculio, eo quòd regis ærarium, quòd in ea arce erat, exhaustum esset. Parauimus nos igitur quàm diligentissimè ad iter Indicum, cùmq; iam ineunte Martio anni millesimi quingẽtesimi octogesimi septimi accincti essemus, Idibus Martij nauem feliciter conscendimus, & à nobilissimo præfecto optimè de nobis merito beneuolè digressi in Indiam cursum direximus. Vix è portu solueramus, cùm in grauissimum omnium superiorum periculum adducti sumus. Sic enim repentè vehemens ventus flare cœpit, vt nullo loco demittendis velis dato, nauis in alteram partem periculosissimè incubuerit, auersisq; velis ventum, & intra foros multam aquam receperit, qua penè obruti sumus. Curatum est tunc, vt armamẽta præciderentur, & antennæ quàmprimùm deciderent, quo adhibito remedio, nauis, quæ iam per horæ quartam partem ad alterum latus cũ magno periculo inclinauerat, ferè depressa, ægrè emergere, & attollere latus cœpit: cùmq; paulatim vis venti remitteret, ex illo grauissimo timore, ac periculo recreati sumus. Progressi igitur, lineam rursus æquinoctij transmisimus. bis enim in hac Indica nauigatione circuli, quẽ astrologi æquinoctialem vocant, nauæ transgrediuntur: semel quidẽ mille leucis à portu Olysipponensi confectis: tunc enim relicto Septen-

trione, Austrũ aſpicere incipiunt: iterũ autẽ quadringẽtis circiterà portu Mozabiquiẽ leucis peractis: nã tũc in eo tractu Austro aſpectũ fugiente, rurſus Septentriones incipiunt apparere. Tranſuecti igitur æquinoctij circulum, & ad Borealem partem traducti, mare habuimus ventis aduerſis infeſtum: & aquarum maximam vim nos ad littora Melindenſis regni impellentem paſſi ſumus, adeò vt ad eiuſdem regni vrbem nomine Magadaxum, dimidiæ tantùm leucæ ſpatio interiecto, appropinquauerimus, & in eo tractu duodecim dies morati fuerimus: quo in loco victum quidem, & cõmeatum inſtauramus, ſed non parua moleſtia ex diuturna mora, ventique ad littus nos propellentis impetu affecti ſumus. In progreſſu obuium habuimus Luſitanum parvum nem, quem præfectus oræ Melindẽſis ad progẽ Indiæ mittebat, cum felici nũtio de victoria ex Saracenis parta, qui graue damnum Luſitanis inferẽtes, debita pœna, exuſtis eorũ oppidis, mulctati ſunt. Huius igitur paronis nauarcho literas ad patrem viſitatorem dedimus, quoniam multò citiùs erat ad Goẽnſem portum peruenturus, vt re ipſa accidit, & nuntio de noſtro aduẽtu Goam delato, patres Societatis, totamque ciuitatẽ ſummopere lætificauit. Non tamen in progreſſu itineris plures aliæ difficultates defuerunt: nam quindecim integros dies magna fuit maris malacia, vẽto nullam in partem ſpirante: quod non paruã nobis moleſtiam exhibebat, cùm intelligeremus, hybernũ Indiæ tempus appetere, quo maxima tempeſtatis vi portus omnes prẽcludũtur: vnde fiebat, vt maximè optaremus ad quẽcunque portũ, etiã Goa remotum nauem appellere, cùm iam dimidius mẽſis Maius eſſet actus, quo tempore pluuiæ, procellarumq; in India eſt initium. Ea igitur de cauſa ſolenni die Spiritui ſancto dedicato ſolemnes etiam preces à patribus ſunt recitatæ, diuinũq; auxiliũ ardentiſſimis animis inuocatũ, producta etiam ſacra ſpina, de qua ſuperiùs mentionem feci, & vectoribus rurſus demonſtrata. Auſuit clementiſſimus Deus ſuorum precibus: cùmque noſtris in animo eſſet vento vela laxare, & quemlibet portum etiam extra Indiam tenere, poſt octo dierum decurſum, quo ad terram nauem dirigentes nauigauimus, tandẽ quinto Calendas Iunij, ſcopulos quoſdã, qui vulgari nomine exuſti dicũtur, duodecim leucas Goa diſtantes, auidiſſimis oculis cum ſumma iucunditate ſpectauimus: quod ſanè magni beneficij à Deo accepti loco numeramus,

cùm tempus illud iam ſoleat eſſe Goæ pluuijs, tẽpeſtatibuſq; infeſtũ. Poſtridie ergo Goënſem portum cum ſumma noſtra, omniumq; hilaritate ingreſſi ſumus, animique omnium patrum, ciuiumque Goënſium timore, ac ſolicitudine de ſalute noſtra non ſolùm ſunt ſoluti, ſed etiam admirabili iucunditate perfuſi. Cùm autem ex præſcripto patris Viſitatoris ſemper aliquis in ſpecula eſſet, qui noſtræ nauis aduentum expectaret, admonitus idem pater ab eo, qui tũc vigilias agebat, quã citiſſime cum multis patribus nobis obuiam proceſſit, & ea charitate, qua amantiſſimus parens erga optatiſſimos filios ſe gerit, nos ſaluos, & incolumes redeuntes beneuolentiſſimè complexus eſt, & ad vrbem deduxit, ad quam magno omniũ applauſu, prorege ipſo Indiæ ſummopere exultante, introducti ſumus. Gerebat autem eo tempore Indiæ proregem illuſtriſſimus vir Eduardus Meneſius, ex clariſſima Meneſiorũ familia in Luſitania ortus, cuius caput eſt Marchio Villaregiẽſis, cui prorex maximè coniunctus erat. Nec verò generis tantùm nobilitate polleba, ſed etiam ſcientia rei militaris, cum magna virtute coniuncta: quibus bonis ornatus, antequàm in Indiam à rege mitteretur, Tingitanæ arci fuerat in Africa præfectus, & toti exercitui, quem clariſſimus rex Sebaſtianus in Africam ſuperioribus annis duxit, ab eodem rege præpoſitus, tandemque poſt Africanum caſum Algarbiorum gubernator creatus. Quibus in muneribus ita ſe geſſit, vt meritò illi Philippus rex totam Indiam cõmiſerit: in qua prouincia talẽ ſe præbuit, vt cùm munus illud triennij tempore abſoluatur, rex tamen illi in duos alios annos magiſtratũ prorogauerit, & ad comitis Tarauceñſis dignitatem, quam eius maiores obtinuerant, per literas illum cum ſumma laude euexerit. Sed quoniam ſub varios, incertoſque caſus ſubiecta eſt vita hominum, antequàm huiuſmodi literæ ad Indiam perferrentur, mors illum præpropera, cum magno totius Indiæ mœrore de medio ſuſtulit, & in meliorem ſedem, vt creditur, animum traduxit. Ille igitur tunc viuens, non ſolùm nos beneuolè accepit, & ad animorum noſtrorum relaxationem celebriores ſolitò equeſtres ludos apparari iuſſit, ſed etiam pecuniam illam duorum millium aureorũ Georgio Meneſio, ipſius cognato, Mozambiquiẽſis arcis præfecto, à nobis debitam, ſolui iuſſit, & quatuor optimos equos, quibus Goæ vtemur, iuxta id, quod rex ad ipſum ſcripſerat, nobis donauit, & quan-

diu

diu Goæ fuimus (fuimus autem vndecim integros menſes) mẽſtruã annonam cẽtum,& quinquaginta aureorum nobis ſuppeditauit: alijs denique multis beneficijs nos ſibi ſummoperè obſtrinxit, quibus addite cõmeatum nauiculum,ad Iaponicam nauigationem abundè conceſſum,& munus hoc ampliſsimum, quod per nos ad Quambacum donum miſit. LEO. Meritò ſanè dicis,vos iſti principi viro eſſe ſummoperè obligatos,cuius tantam magnificẽtiam experti eſtis. Sed agè explica,quid Goæ feceritis, quandiu per annum ferè ibi morati eſtis. MICHAEL. Non defuerunt nobis ſolitæ bonarum artium exercitationes, iucundaque, & commoda vitæ oblectamẽta, quibus tempus illud breuiter labi nobis viſum eſt: præſertim in villa quadam patrum amœniſsima cõmorantibus, & nonnunquam ruſticationibus alijs, & iucunda in agro Salſetano venatione tempus conterentibus. MANCIVS. Inter honeſtas,literariaſque exercitationes numerare poſſumus eã,quam ſuſcepit Martinus noſter, orationem quandã de noſtra nauigatione, & eius fructibus latino ſermone elaboratè compoſitam, corã patre viſitatore,& cæteris collegij Goënſis venuſtè,& elegãter habẽs. MARTINVS. Neſcio an velis, chariſsime Manci, diuturnitatem huius colloquij iſtis veluti ſalibus aſpergere, meamq; in dicendo inſulſitatem irridere. IVLIANVS. Nequaquàm id de Mancio credendum eſt: cùm oratio tua, Martine, tantoperè placuerit, vt typis quàm primùm fuerit excuſa, tuæq; in dicendo facultatis manifeſtum ſit teſtimonium. MICHAEL. Ita profectò eſt: ſed huic colloquio tandem finem imponamus. Extremo eo tempore, quo Goæ fuimus, non parũ lætati ſumus exceptis literis, anno ſuperiore hinc in Indiam ad patrẽ Viſitatorem miſsis, quibus certior fiebat pater, quantas, & quàm inſignes victorias Quambacundonus ex hoſtibus reportaſſet, quàm breui tempore, quantaq; felicitate ſub ſuam iuriſdictionẽ regna Iaponica ſubiunxiſſet, principatũq; obtinuiſſet: quo deniq; fauore patres, chriſtianoſque omnes ſemper fuiſſet proſecutus, Nobunangæ hac in re nequaquàm cedens: proinde patrem Viſitatorem curare debere, vt nõ ſolùm hæc beneficia memori mente perſolueret, ſed etiam vt impetrata aliqua à prorege legatione, remunerationeq; gratiam illi aliquo modo referret. Placuit hoc conſilium eidem patri, & à prorege pro ea beneuolentia, qua ſemper in Societatẽ fuit, totum id, vt voluit, ob-

timuit,

tinuit, & dona ea magni profectò facienda simul cum literis cõmendatitijs ad Quambacundonum, & legatione nobis iniuncta à prorege accepit. His ergo omnibus constitutis, decimo Calendas Maij anni mil lesimi quingentesimi octogesimi octaui ex portu Goënsi soluimus, vecti naue quadam accõmodatissima, in qua nobilis quidam vir nomine Arius Gondisalus Miradensis nobis omnibus optima hospitia parauit, nauem nostræ curæ, moderationiq; committens: quam etiam conscẽderunt nobiscum, & cum patre Visitatore septendecim alij patres, fratresq; magno animorum studio Iaponiam petituri. MANCIVS. Addere potes etiam Michaël, non minus fuisse studium veniendi in reliquis, qui remanserunt, & hos, qui nobis fuerunt comites, velutiquã diuturnum operè optabilem felicitatẽ se assecutos esse, sibi persuasisse. MARTINVS. Inter alia multa, quæ in hac nauigatione mihi admirationem fecerunt, fuit profectò illud studium in patribus omnibus Europeis manifestè animaduersum. Qui, vt iam alibi à Michaële dictum est, cum in omnium rerum commoditate viuant, eo tamen ardore gentes omnes ad Christianum cultum conuertendi fiunt incensi, vt nullum in modum à sua patria discedere, & ad nos huc aduolare cupiãt. LEO. Nos equidem post susceptam Christianam religionem, multum de patrum erga nos amore conceperamus, sed nondum eorum res penitus perspectas habebam⁹: nũc tamẽ vestris colloquijs, & tam multarũ rerũ eõmemoratione eas penitus introspeximus, & pertentauimus, vnde, vt spero, fiet, vt etiam ipsi Ethnici falsarum suspitionum tenebris discussis, lumen veritatis agnoscant. LINVS. Ita sine dubio erit: veritas enim hactenus ignorata, & oppressa incipit emergere, seq; omnibus palàm intuendam proponere. MICHAEL. Idem futurũ in dies magis spero, sed ad calcẽ colloquij accedamus. E Goënsi igitur portu profecti, septuagiñ tardies in itinere Malacã vsq; consumpsimus, cùm fere triginta diebus iter illud conficiatur: in collegio autem Societatis duodecim dies cum magna omnium patrũ benevolentia cõmorati, inde rursus eandem nauem conscendẽtes, viginti nouẽ diebus ad Macaënsem portũ Sinici regni deuenimus: in quo itinere nõ leui periculo sum⁹ liberati, in scopulos, & vadosa loca cuiusdam insulæ, quam Malaij Pulum Sisiñ vocant, incidentes, vnde Dei beneficio tandem euasimus. Nũc quoniã de Sinico nobis regno agendum restat, materiam hanc nouo alio colloquio pertractabimus.

Agitur de Sinico regno, eiusq; moribus, & administratione. Colloquium trigesimum tertium.

LINVS.

DE Sinarum regno, quod nobis finitimum est, tam multa audiuimus, audimusq; quotidie Michaël, vt potius à te rerum veritatem, quam multitudinem explicari studeamus. Quòd si quid aliud vltra id, quod crebris ad nos perfertur rumoribus, habes, etiam audire non grauabimur. MICHAEL. Quoniam huius celeberrimi regni fama tam copiose apud nos est peruulgata, ea, quæ variè, & multipliciter traduntur, in ordinè redigès, veritatè à patribus Societatis, qui apud Sinas sunt, accepta consectabor. In primis ergo illud scitu est, Sinarum regnum inter omnes alias continentis partes, magis ad Orientè vergere: nam si insulas etiam adiungas, nostra Iaponia, Manilia q; Orienti sunt propiores. Primum eius terminum ad Occidentem constituere possumus insulam quandam, quæ vulgò Hainan dicitur, & in eo situ est, qui Septentrionem decem, & nouem gradibus supra horizontem sublatum respicit. Huic nam q; insulæ continens adiuncta, ad Orientem procurrit præsertim in illo loco, vbi est promontorium eius vrbis, quæ Nimpò dicitur: mox autem rursus se ad Septentrionem colligens, longissimo tractu porrigitur, vsq; ad illud spatium, quo incolæ Septentrionem quinquaginta gradibus, & fortasse pluribus, elatum spectant; vnde colligere facilè licet, quanta sit huius regni, vt more astrologorum loquamur, latitudo, cum quadraginta circiter supra quingentas leucas recto cursu ad Aquilonem contineat. Quod verò ad longitudinem attinet, quæ ab Ortu ad Occasum sumitur, ea non est omnino explorata; vt graduum numero designari queat. Illud tamen certum est, in tabula, qua Sinæ regni sui formam exornarunt, non licuisse longitudinem à latitudine superari. Est igitur hoc regnum absq; vlla controuersia omnium totius orbis terrarum amplis-

ampliſsimum: quanuis enim alij multi reges iuriſdictione ſua multò longiùs, latiùſq; propagata, multa, & valde diſsita regna poſsideant, nullus tamen eſt, qui vno, eodemq; regno tanto, & tam amplo potiatur, quàm potentiſsimus Sinarum rex fruitur. Si autem de reditibus, & vectigalibus agamus, eundem regem maximis, & opulentiſsimis affluere, certiſsimũ eſt, tũ propter magna terræ fertilitatẽ, tũ etiam propter ampliſsimos iuriſdictionis fines, & immodicam ſeueritatem in ijſdem vectigalibus exigendis: nec enim ex agris tantũ, domibus, merciumq; vectura, ſed ſingulis numeratis familijs cenſus regius ab illis populis repetitur. Accedit etiam, quòd nullus ferè dynaſta reperiatur, qui ius habeat ex ſuæ iuriſdictionis finibus peculiares reditus, cenſuſque colligẽdi, cùm totum illud penes regem ſit: cuius tamen contrarium in Europa frequentiſsimũ eſt, vt ſæpe iam diximus. In hoc ampliſsimo regno quindecim prouinciæ numerantur, quæ ſingulæ ſingula etiam regna non mediocria poſſunt conſtituere. Sex ex illis ſunt maritimæ, nimirum (vt ipſorum Sinarum nominibus vtar) Coantum, Fequien, Chequiam, Nanquin, Xantum, Paquin: reliquæ verò ſunt mediterraneæ, ſcilicet, Quianſi, Huquam, Honan, Xanſi, Xienſi, Suchuen, Queicheu, Iunan, Coanſi. Ex his omnibus prouincijs, duæ ex illis curiæ regis nuncupantur, nimirum Paquin, ideſt curia Borealis, & Nanquin, ideſt curia Auſtralis. Soliti ſunt enim quondam reges Sinici Auſtralẽ curiam incolere, poſteà verò propter frequẽtes bellorum tumultus à Tartaris concitatos, coacti ſunt in extrema illa Septentrionem verſus prouincia ſedem, domicilium q; defigere. Quo fit, vt illa regni confinia multò pluribus munitionibus, bellicis inſtrumẽtis, præſidijſq; militaribus abundent. LEO. Audiui inter iſtas munitiones bellicas, admirabilem quendam murum recenſeri, quo Sinæ Tartaros in ſuos fines incurrentes reprimunt, & repellunt. MICHAEL. Eſt iſte murus, de quo audiuiſti, profectò admiratione digniſsimus, cùm tres Aquilonares prouincias, Xienſi, Xanſi, & Paquin, longitudine ſua tranſcurrat, & trecentas ferè leucas continere dicatur, & ita ſit ædificatus, vt tamen fluminum curſus non obſtruantur, eorum interuallis mira pontiũ, & propugnaculorũ mole munitis. Credibile tamen eſt, ita murũ illũ eſſe extructũ, vt humiles tantùm partes, & peruiæ ſepiantur, montes verò ipſi eo ſpatio interiecti, ſua naturali munitione

aditum

aditū hoſtibus intercludãt. LINVS. Expone nobis Michaël, regnū ne Sinarū incolarū multitudine ſit valde frequens, vt ſæpe audiuimus? MICHAEL. Eſt profectò Line frequentiſsimum, vt ab ipſis Societatis patribus edocti ſumꝰ: cū enim viderint pleraq; Europæ prouincias, tã ta incolarum multitudine nobiliratas, non parum Sinici regni frequẽ tiam admirantur. Eſt autem huiuſmodi multitudo non paſſim, ac temerè per agros diſperſa, ſed ſuis oppidis, celebribuſq; vrbibus optimè diſtributa: quorum conuentuum plura inter Sinas ſunt genera. Quædã enim præcipuæ vrbes, Fu nomine nuncupantur: aliæ mediocres, Cheu dicuntur: tertij generis ſunt Hien, quæ quidem ſunt oppida muris cincta: eorum tamen populi non ſunt ciuitatum dignitate donati. His tribus adiunguntur alij duo minorum oppidorum modi, qui ad pagos, & militum ſtationes pertinent. Primi generis eſt vrbs illa celebratiſsima, prope Macaënſem portum, quæ à Sinis Coancheufu dicitur, à Luſitanis vulgari nomine Cantàm, quod potiùs prouinciæ, quàm vrbis proprium eſt vocabulũ. Ad tertium genus pertinet oppidum Macaënſi portui adhuc propinquius, quod Luſitani vocant Ansàm, Sinæ verò Hianſanhien. Omnes igitur prouinciæ ſuas habent vrbes maiores, nomine, Fu, vrbeſque minores dictas Cheu, quarum vtriſq; reliqua oppida ſubijciuntur. Eſt præterea in vnaquaq; prouincia præcipua quædã vrbs, quæ metropolis appellari ſolet, in qua ſupremi magiſtratus locũ habent, qualis eſt ea, quam ſuperiùs retuli, & in tota illa prouincia, quæ Cantũ dicitur, caput eſt. Vrbiũ maiorũ numerus in toto regno vltra quinquaginta ſupra centũ eſt, eademq; ferè, & fortè maior eſt multitudo vrbium minorum. Oppida muris cincta nondum vrbiũ dignitatem adepta, ſunt vltra mille, centum, & viginti; pagorũ verò, & ſtationum militarium vix colligi poteſt numerus: vltra quos bonũ uetus, dici vix poteſt, quàm crebræ ſint ruſticanæ domus, ſiue villæ: non enim facilè deſerta vlla loca, & inhabitata in eo regno reperiũtur. Iam verò in mari, fluuijs, & natigijs habitantium tanta eſt copia hominum, & familiarum integrarum, vt ipſi etiam Europei ſummoperè admirentur, & nonnulli, vltra modum tamen, ſibi perſuaſerint, non minùs aquam ab illis, quàm terram incoli. Nec verò id ſine probabili ſpecie in animum induxerunt: cùm enim Sinarum regnum totum ſit in omnem partem fluuijs irrigatum, & bona pars aquis occupetur,

cymbæq; sint vbiq; summoperè frequentes, facilè credi poterat, numerum colonorum continentis, à multitudine nauiculatorum adæquari. Id tamen veluti per quandam exaggerationem accipiendũ est, cũ vrbes ciuibus sint confertissimæ, agri rusticis hominibus cumulatissimi. LEO. Mira sanè est illa hominum frequentia, quam dicis: vnde etiã terræ fertilitatem, & salubre cælum, tranquillitatemq; totius regni cõiicio. MICHAEL. Egregiè tria ista Leo coniecisti: sic enim inter se cõtenduñt, vt, quid ex his tribus in eo regno excellat, facilè diiudicari nequeat. Atq; hinc est, quod inter Lusitanos popularis opinio percrebuerit, nunquam Sinarum regnum tribus illis grauissimis, & acerbissimis humano generi malis, bello videlicet, fame, & pestilentia fuisse infestum. Sed id vulgare potiùs est, quàm verum: cùm bella intestina inter eos fuerint maxima, vt multis, certissimisq; historijs proditum est: pestilentia verò, seu contagioso morbo, & fame etiam nostris temporibus in aliqua prouincia fuerit laboratum. Illa tamẽ tria maximè in Sinarum regno florere, dubitari nequit. Nam, vt primùm de salubritate dicam, testes ipsi sunt Societatis patres, vix in alio regno plures reperiri, qui ad decrepitam vsque ætatem viuant: tanta est senũ, & ætate confectorum multitudo! Nec verò tam mu[illegible] maleis, & medicamentis, tam multiplicij; corpora curan[illegible] vtũtur, quàm variam vidimus in Europa vsurpari. Nam in [illegible] equa quàm vena scinditur: sed inedia, herbarum coctionibu[illegible] uibus potionibus tota curatio veluti in nostra Iaponia, perag[illegible] ed in hoc sua cuiq; regioni placeat consuetudo. Ia[illegible] magna profectò est, & absque dubio omnium totiu[illegible] maxima: nequaquàm tamen cum Europea, de qua iam fusè, & copiosè dixi, abundantia conferenda. Celebratur tamen tantoperè, quoniam nulla est in toto Oriente regio, quæ tam multas merces habeat, & vnde tot venalia exportentur. Cùm enim regnum hoc amplissimũ sit, totumq; fluuijs nauigabile, & res ex vna prouincia facilè in aliam deferantur, tot, tamque congestas merces in vnã, & eãdem vrbem, quæ fortasse maximum totius Sinici regni emporiũ est, Lusitani inueniũt, vt facilè sibi persuaserint, eam vnam regionẽ mercium esse feracissimam. Quod tamen de regionibus Orientis intelligi debet: etsi aliquæ sunt merces, quibus præter cætera omnia regna, Sinica terra abundat.

abundat. Gignit igitur ea regio in primis multa metalla, ex quibus primum dignitate,& abundantia eſt auruni, cuius tam multa pōdera è Sinico regno in Indiam,& ad noſtram Iaponiam deferuntur, vt vna, & eadem naui præſenti anno duo millia eorum ex maſſa aurea confectorum, quæ Luſitani vulgò panes aureos vocant,ad nos mercaturæ cauſa delata eſſe audiuerim: conſtat autem vnū pōdus centum ferè nummis aureis. Atq; hinc fit, vt in Sinico regno tā multa auro artificioſe veſtiantur,nimirum lecti,tabulæ,ſigna, ſimulacra,lecticæ, quib⁹ fœminę ornatiores vtuntur. Nec verò ſolū huiuſmodi pondera à Luſitanis emuntur,ſed magna aurei fili,bracteārūq; copia, cùm Sinæ aurū in ſtamina, & membranas artificioſè extenuare ſciant.Magna itē eſt argenti copia, cuius, vt cætera omittam argumenta, illud non leue eſt,quòd ſingulis annis ex mercatorum tantùm Luſitanorum emptione ſaltem quadringentiēs ſeſtertiūm in vrbem Cantam, vt vulgari nomine vtar, inferatur, & nihil ferè è Sinico regno extrahatur: cùm certū ſit,Sinas nullas ferè alterius regni merces, aut quærere, aut deſiderare, omnibus pene neceſſarijs abundantes. Omitto argēti venas, quę quamplurimę reperiūtur, etſi in argento ex illis effodiendo magna cautio adhibetur: timet nanq; rex,ne hinc multorum cupiditati, & rapinæ locus detur. Iam verò argentum, quòd eſt in vſu,maxima ex parte puriſſimum eſt,omniq; fæce purgatum, ideoq; in eo conflando nōn mediocris eſt inter eos diligentia. Quid dicam de ferro, cupro, plumbo,ſtanno,alijſq; metallis,ſimul cum argento viuo? quorum omnium in Sinico regno magna eſt copia,& ex eo varia in regna exportātur. His adiungite vnionum miram multitudinem, qui ad inſulā Hainan ex conchilijs piſcatorum arte captis extrahuntur, & non mediocriter regios reditus amplificant. Sed veniamus ad vellus ſericū, ſiue bombycinum, cuius profectò in Sinico regno ſumma eſt abundantia,ita vt quemadmodū agricolæ terræ aratro ſubigendæ, orizaq; ſerendæ dant operam: ſic etiam mulieres bombycibus nutriendis, vellereq; pectendo,& texendo bonam temporis partem conſumant. Quo fit,vt quotannis rex,reginaq; ſolenni ritu in publicum prodeūtes, alter quidem aratrum, alter verò arborem morum,cuius folijs bōbyces paſcuntur, manu ſua tangant, vterq; hoc ſigno homines,muliereſq; ad opus, laboremq; excitans: cùm alioqui reliquo anni tēpore

nemo, præter maximos magiſtratus, regem aſpicere poſsit. Huius ergo ſerici velleris tanta eſt abũdãtia, vt tres naues plerumque ex India ad Macaënſem portum appulſæ, & vna ſaltem quotannis ad nos veniens, hoc vel maximè onere referciantur: & non ſolùm eius in india ſit vſus, verùm etiam in Luſitaniam vſq; exportetur. Nec verò ſolùm ipſum vellus inde deducitur, ſed multa, & varia opera ex eo confecta, cùm Sinæ in texendi arte valde floreant, & magnoperè Europeos imitentur. Eſt item Sinica regio odorum pretioſiſsimorum feraciſsima, præſertim cinnamomi, non tamen cum Zeilanico conferendi: caphuræ item, & moſchi, qui apud eos eſt egregius. Habet autem nomen ab eo animali, quod etiam hoc nomine appellatur, & ſimilis eſt eius, qui caſtor, aut liber ponticus dicitur, ex cuius partibus contuſis, & computreſcẽtibus ſuauiſsimus odor afflatur, quem Luſitani magni faciunt, & vulgariter particulas illas, quòd auium guttura eſſe credantur, papos nuncupant, & earũ maximã copiã in Indiã, & ad nos deferunt. Sed quis credat, quanta ſit goſsipij copia? ex quo tam varia veſtis fit, lineæ quàmſimillima: qua nos ipſi tam frequenter vtimur, & in varias regiones tam multis nauibus diſtribuitur. Sed dicamus de fictili illa, ſiue figlina materia, quæ candida eſt, & optima omniũ orbis terrarũ cenſeri debet, ex qua cuiuſcunq; generis vaſa pulchrè cõficiũtur. Dixi optimã eſſe omnium, propter tria, munditiam videlicet, ornatum, & firmitatem. Inuenitur quidem alia ornatior, & pretioſior materia, ſed nulla, quæ ita à ſordibus ſit libera, tandiuq; integra permaneat: quod addidi propter vitrum, quod mundum quidem eſt, ſed facillimè frangitur, & comminuitur. Fert autem huiuſcemodi materiam non tota Sinarum regio, ſed vna ex quindecim prouincijs, nomine Quianſi, in qua quàmplurimi artifices eo opere aſsiduè diſtinentur: nec ſolùm minora vaſa, vt ſcutellas, lances, ſalina, guttos, aliaq; ſimilia conficiunt, ſed etiam dolia quædã ampliſsima affabrè facta, quæ tamen propter vecturæ difficultatem extra regnum deferri non ſolent, ac ſolùm intra illud, præſertimque in regia curia eorum eſt vſus. Ad ornatum huius materiæ maximè facit varietas picturæ, quæ certo quodam colore illi adhuc recenti adhibetur, adiuncto etiam auro, quod vaſa hæc ornatiſsima reddit. Mirũ eſt autem, quanti Luſitani ea faciant, cũ illa nõ ſolũ ad nos, & in Indiam, ſed etiã in varias Europæ prouincias, non ſine difficultate

defe-

deferant. Ad merces hactenus dictas adiungite multas, variasq; plantas, quarum radices sunt corporibus valde salutares, medicamentisq; conficiendis accómodatæ, quæ ad nostras insulas Iaponicas, & in ultras alias exportantur: inter quas numerari potest lignũ illud, quod per antonomasiam Sinicũ dicitur, & humores eos, ex quibus contagiosi morbi gigni solent, è corporibus egregiè expellit. His item addite arundines illas, ex quibus saccharum conficitur, quod in Sinico regno plurimũ est, atq; optimum, & à Lusitanis magna eius copia huc, ac in Indiã deducitur. Quæ hactenus dixi, spectant tantùm ad merces, quibus hoc regnum non solùm sibi, sed etiam multis alijs est vtilissimum: fructus enim illi, qui ad annonam, communemq; cómeatum pertinet, vix numerari possunt: quanuis trium illorum, qui apud Europeos magni æstimantur, ex quibus videlicet frumentum, vinum, & oleũ fit, non ita Sinica regio sit ferax. Nam oliuæ, ex cuius baccis oleum exprimitur, ne nomen quidem nouit, quod ipsum de vineis dici potest. Vino Paquinensis prouincia non omnino caret, nescio an aliunde adducto, an verò eodem confecto: etsi alijs quamplurimis, & non insuauibus liquoribus, qui proprij vini locum tenent, magnoperè abundat. Quod verò attinet ad frumentum, seritur quidem triticum in omnibus prouincijs, sed oryzæ maior, quàm eius est vsus: atque ita his duabus rebus ad vitam necessarijs, vino videlicet, & frumẽto Sinica regio, cũ nostra Iaponia eodem loco numerari potest. LEO. Dixisti, Michaël, de Sinici regni fertilitate, ad quam non mediocrem amœnitatem accedere, sæpe audiui, præsertimq; id ex ipsorũ Sinarum pictis tabulis collegi. MICHAEL. Res ipsa cũ pictura magnoperè congruit: qui enim mediterraneas Sinici regni partes introspexerunt, amœnissimum esse solum cómemorant, arborum frequentia, segetum variarum abundantia, deniq; fluuiorum mira varietate: qua Sinicum regnum, instar horti irrigatur: quorum quidam natura ipsa profluunt, alij arte, atq; industria in varia loca deriuantur. Sed dicam iam de tranquillitate, si tamen priùs aliquid de Sinarum moribus agam. Gens est acuto ingenio ad omnes artes, suarum rerum valde tenax, alienarum parũ studiosa: eodem vestis genere vtitur, ita tamen, vt inter magistratuũ, populiq; indumenta sit discrimen: comã capitis omnes nutriunt, capillosq; instar fœminarum ad terram promissos diligenter pectunt, reli-

gatosq; reticulis operiunt, pileos insuper multiplices, pro ætatis, conditionisq; varietate adhibentes. Lingua olim omnium prouinciarum eadem videtur fuisse: quæ tamen iuxta variam pronunciádi rationem, valde est immutata, & in multa idiomata per multas prouincias diuisa: inter magistratus tamen, atq; in iudicijs vnius adhuc, & eiusdem in toto regno est vsus, à qua, vt dixi, singularum prouinciarum sermo non parũ differt. Gens est item regis, magistratuumq; obseruátissima, ex quo maximè capite Sinica tranquillitas originem habet. Cũ enim regis nutũ magistratus supremi, horũ inferiores, inferiorũ populus omnino intueatur, & ad eũ se, vitæq; suæ rationes accõmodet: mirum est, quàm æquabili omnes iure viuant, & quantoperè leges promulgatæ obseruentur. Quæ tamen res vberiùs, cùm de gubernatione agemus, fusiùs explicabitur. LINVS. Age nunc Michaël de istorũ hominum industria, quam maximam esse semper auditione accepimus. MICHAEL. Industria in primis cernitur in his artibus, quæ manibus exercentur, ijsq; Sinæ plerasq; huius Orientis nationes superant. Tanta est enim artificum copia, auream, argenteam, & cuiusuis alterius metalli materiam, ligneam item, lapideam, & reliquam, quæ in humano vsu versatur, ingeniosè tractantium, vt vrbani vici eorum tabernis, operibusq; referti, sint magnoperè spectabiles. Vltra quos, sunt etiam multi pictores, vel penicillo, vel acu vtentes, quorũ posteriores Phrygiones à quibusdam dicuntur, alij etiam filum aureum panno siue lineo, siue gossipino artificiosè intexunt: quorum omnium varia opera à Lusitanis in Indiam studiosè deferuntur. Ostenditur etiam eorũ industria in tormentis bellicis conflandis, & puluere sulfureo conficiendo, ex quo multa opera artificiosissima faciunt. Accedit etiam ars excudẽdi literas, etsi infinitæ propè illæ sunt, ac difficillimæ, quarũ typos, vel in ligno, vel in ære incidunt, miraq; facilitate admirabilem multitudinem librorum quotidie in lucem edunt. Ad has minùs ingenuas artes accedunt etiam duæ, nautica videlicet, & militaris, quarũ vtráq; à Sinis fuit olim diligentissimè exercita: nã, vt iam in tertio colloquio diximus, Sinæ ad Indiam vsque nauibus peruenientes, aliquam eius partem subegerunt: posteà tamen mutato consilio, ne vires regni in plures partes dispersas extenuarent, intra fines suos se cõtinere statuerũt: intra quos tamen, vt dixi, magnum fuit quondam bellorum incendium

dium, tum inter ipsos Sinas, tum etiam Tartarorum rege in Sinicum regnum inuadente, eiusq; dominatū diu siue per se, siue per posteros occupante. Exactus tamen eius generis regibus, eorumq; familia penitus delecta, Sinica potentia rursus attollere caput, & se ipsa erigere visa est, & iam inde à ducentis annis summa tranquillitate fruitur, & adhuc eius regis, qui Tartaros expulit, posteritas cum summa laude regium locū tenet. Quamuis ergo Sinarū animi præsertim eorum, qui citra Paquinensem prouinciam sunt, otio, & tranquillitate magna ex parte languerint, non tamen ad arma parum prompti essent, si ad naturam vium, exercitationēq; adhiberent. Vt videre licet in ijs, qui assiduè cum Tartaris ferocissimis populis bellum gerūt. Nihilominus tamē in toto Sinico regno militaris disciplinę tāta est cura, vt nulla sit vrbs, nullumq; oppidum, quod militum præsidio careat, ducibus, præfectisq; suo ordine dispositis, qui omnes in singulis prouincijs supremo militiæ præsidi parent: hunc Chumpinum vocant, qui tamē Tutano, hoc est proregi subest. Veniamus nunc ad eam artem, quā Sinæ summoperè profitentur, eamq; meritò literaturam possumus appellare. Quamuis enim vulgata fama sit, à Sinis multas ingenuas artes coli, præsertimq; vtranq; philosophiā, quæ de rerū natura, & moribus agit, & apud eos esse Academias, vbi huiusmodi artes traduntur: hæc tamen opino magna ex parte popularis potiùs, quàm vera censenda est: dicam tamen, quid huic opinioni occasionem dederit. In primis ergo Sinæ literariam artem præcipuè profitentur, eamq; diligētissimè ediscunt, longum tempus, totamq; ferè ætatem ea in re consumentes. Eam ob causam in omnibus vrbibus, & oppidis, imò & in exiguis pagis sunt magistri, mercede conducti, qui pueros literas docent: cùmq; illæ iuxta nostrum etiam communiorem morem sint infinitæ, ab ineunte ætate, teneriſq; vnguiculis pueri libros in manus sumunt, quos tantùm illi deponunt, qui parum habiles ad hoc munus iudicantur, & ad mercaturam, vel artes, quæ manibus exercentur, animum applicant: reliqui verò tanto studio ad literas incumbunt, vt mirabiliter in præcipuis libris sint versati, & in quauis pagina quot sint literæ, & in quo situ rogati, facilè respondeant. Ad maiores autem in his literis progressus, instar Europeorū hominū, in præstantiorbus disciplinis tres gradus assignare sunt soliti, infimum videlicet, medium, & summum. Pri-

mi gradus homines appellantur Siusai, secundi, Quiugin, tertij, Chinzu. In vnaquaq; vero vrbe, vel oppido muris cincto publicum est domicilium, quod Ichola dicitur, ad illudq; ex omnibus priuatis gymnasijs, siue ludis conueniunt, quotquot primum gradum obtinere volũt, vbi propositam à quodam magistratu sententiam amplificant, & illi, quorum oratio elegantior est & emendatior, primo gradu in singulis vrbibus donantur. De his, qui ad secundum gradum aspirant, fit periculum tantùm in metropoli, siue præcipua vrbe prouinciæ, ad quam tertio quoq; anno omnes prima laurea donati confluunt, & in vno eodemq; domicilio rursus sententiam aliam obscuriorem facta oratione prosequuntur, seueriusq; examen subeunt. Solet autem esse tanta hominum frequentia, vt superiori anno in vrbe illa præcipua, quæ vulgò Cantam dicitur, ex amplissima multitudine ad hæc publica iudicia conuenientium, in primo forium ingressu multos conculcatos, & obtritos mortem obijsse, certissimo rumore ad nos sit perlatũ. Postea, qui supremum gradum appetunt, in sola regia curia tertio item quoq; anno, nimirum post eum, quo in singulis prouincijs secundi gradus candidati, renuntiati sunt victores, seueriss imo iudicio subsunt, certoq; numero singulis prouincijs præstituto, ad supremũ illũ locum conscenditur, qui in tanto honore est apud regem, vt tres omniũ primũ poculũ manu regia propinatum causa honoris delibent, & alijs insignibus decorentur. Ex hoc ordine sunt præcipui magistratus: postquam enim ad illum cooptantur, breui tempore in regni legibus, vrbanitatisq; rationibus versati, varia munera consequuntur. Non tamen existimandum est, Sinas esse aliarum artium omnino expertes. Nam quod attinet ad eam Philosophiam, quæ de moribus agit, eius præceptis libri illi sunt referti, quos ad perdiscendas literas semper in manibus habẽt, in quibus tam graues, subtilesq; sunt sententiæ, vt in hominibus fidei lumine carentibus, nihil amplius desideretur. Sunt etiam libri, qui de rerum natura agunt, sed hac in re tam multis erroribus illi, quàm nostri abundare credendi sunt. Reperiuntur etiam alij, qui de herbis, & medicamentis, alij verò, qui de re militari disserunt. Non tamen omittam hoc loco, magnam esse apud Sinas, perpaucos tamen illos, & raros, Astrologiæ cognitionem, qua primi lunæ dies in singulos menses incidentes, rectè dispositi, ac digesti, scriptis mandantur, & in vulgus edun-

tur,

tur: præterea à ſolis,& lunæ defectiones certiſsimè prædicuntur, & ab illis nos totam hanc ſcientiam,quæcunq; in nobis eſt,mutuamur. LEO. Ingenuè id fatemur, Michaël,cũ libri noſtri, qui de iſta arte agunt,Sinicis characteribus magna ex parte ſint conſcripti. Sed dic iam de gubernandi ratione, qua Sinæ magnoperè dicuntur excellere. MICHAEL. Iſta profectò ars eorũ eſt præcipua, ad eamq; tota literarũ exercitatio, eruditioq; dirigitur. Cùm ergo in Sinico regno per tam multas prouincias vnicus rex dominatũ teneat,nihil mirum eſt,à quàm multis magiſtratibus ab illo creatis,res omnes adminiſtrentur. Vt enim præteream eos, qui in ſingulis oppidis,atq; vrbibus,oppidanis,vrbaniſq; ius dicũt,tres ſunt præcipui in ſingulis prouincijs magiſtratus. Primus eſt,qui de criminibus quæſtionẽ habet,& Ganchaſu dicitur: ſecundus, qui regium peculium curat,& Puchinſu appellatur:tertius, qui rei militari præeſt, &, vt ſuperiùs dixi,Chunpin nomen habet. Hi ergo tres in præcipua vrbe ſedem tenent, & ex illis duo priores ſocios eiuſdem ordinis,inferioris tamen notæ, permultas vrbes, atq; oppida conſtitutos habent, ad quos iuxta cauſarũ varietatem à præfectis oppidanis, & præteribus vrbanis prouocatur. Illi tamen tres præcipui Tutano, ideſt proregi, qui in ſingulis prouincijs eſt, omnino obtemperant. Atq; hi quidem omnes magiſtratus per trienij tempus munera ſua gerunt: ita tamen vt ad vnam quamq; prouinciam gubernandam,non prouinciales,ſed externi,hoc eſt,alterius prouinciæ homines aſciſcantur: quo fit,vt iudices multò magis integra,& incorrupta mente ſententiam ferant, quã ſi inter conſanguineos,& genere coniunctos eſſent. Vltra hos homines,magiſtratus eſt quidam annuus,qui Chaienus dicitur,cuius partes ſunt in omnia crimina, præſertim magiſtratuum inquirere,& cõmunia quidem punire:de erroribus verò magnorum magiſtratuum regem admonere.Ex hoc ordine ſinguli quotãnis ex regia curia in ſingulas prouincias mittuntur,& omnes vrbes,oppidaq; percurrentes, crimina omnia diligentiſsimè perueſtigant, & eos,qui invincula ſunt conjecti, pœnis debitis mulctãt,vel ſi culpa non ſit comperta, impunitos dimittũt. Hinc fit,vt magiſtratus omnes quæſtionem à Chaieno habendam reformidantes,magnoperè in officio contineantur. Præter hos magiſtratus, in vtraq; curia,Boreali ſcilicet,& Auſtrali,duplex eſt ſenatorum conuẽtus,ad quẽ ex omnibus prouincijs, iuxta loci propinquitatem,vel diſ-

tantiam, negotia maioris ponderis, ac momenti referuntur, magiſtratuſq; varij creantur: præcipuarũ tamen rerũ ſum ma, expeditic q; penes Paquinenſem conuentum eſt. Solent etiam ex ſingulis prouincijs magiſtratus quotannis ad regem adeundũ deſignari: tertio verò quoq; anno omnes ſimul vrbani, & oppidani prætores illum inuiſunt, quo tẽpore de illis, qui ad tertium gradum aſpirant, fit periculum: qua de cauſa incredibilis eſt tunc in regia curia hominum frequentia. Ex tam præclaro ordine magiſtratuũ mutuò ſibi ſubiectorũ vix dici poteſt, quãta ſit in toto regno tranquillitas, præſertim cùm breui conquiſitione tuſtuarij pœnas criminoſi homines plectantur, nec in diuturnum tempus lites, actaq; proferantur. Illud verò non eſt prætereundum, ad magiſtratus obtinendos, nulla habita generis ratione omnibus locum patere, ſi literis eruditi gradum præcipuè ſupremum ex illis, quos diximus, obtineant. Nec verò explicari poteſt, quanta ſit popularium erga magiſtratus obſeruantia, quantoq; apparatu, & pompa hi in publicũ procedant. Plerique enim ex illis quinquaginta, & ſexaginta lictores præferunt, qui bini antecedunt: alij bipennes, clauas, ſecureſq; portantes: alij catenas ferreas trahentes: nonnulli lõgas ferulas ex quodã genere arundinis craſſiſſimæ, qua rei cædi ſolent: duo item, qui ſigillum regium vnicuique muneri proprium, capſa incluſum geſtant: plures denique, qui varia inſignia populo ſpectanda oſtentant: quibus adiunguntur formidabiles vociferationes, quas ſuis interuallis edunt, & omnibus timorem incutiunt: tandemq; magiſtratus ſella à quatuor hominibus geſtata, vel etiam exaphoro, aut octophoro pro muneris varietate vehũtur. Quod verò attinet ad eorũ domicilia, ſunt ſanè ampliſſima, ſumptu regio confecta, omniq; neceſſaria ſupellectili ad munus gerendum ornata, in quibus quandiu magiſtratum gerunt, lautè, & ornatè viuunt. Sunt illa quidem ſine contignationibus in altum ſublatis, quarum in Sinico regno ſicut, & in noſtra Iaponia non eſt frequens vſus ad habitandum, ſed vel ad excubias agendas, vel ad animorum relaxationem, ad quam turres octo, & nouem contignationum ſiunt editiſſimæ, vel denique ad ipſarum vrbium munitionem. In reliquis tamen domicilia hæc magnificentiam non mediocrem præ ſe ferunt: nam & impluuia habent, cum ſuis arboribus in ordinem diſpoſitis amœniſſima, & loca ad ius dicendum deſignata, & quàmplurima con-

clauia,

clauia, in quibus eorum vxores, cum familijs recipiuntur. Intra fores autem horum domiciliorum lictores, & satellites certo numero semper assistunt, domunculas ex vtroque latere designatas habentes, & quandiu iudicium exercetur, præsto sunt, vt ad nutum magistratuum, vel reos cædant, vel tormentis veritatis confessionem exprimant. Habent etiam huiusmodi magistratus ad nauigādum peculiaria nauigia, altitudine, & longitudine instar triremium Europearum, velocitate tamen, ac remigū multitudine longè inferiora. Solent autē remiges extra foros horum nauigiorū positi, illa remis propellere: quo fit, vt media pars interiecta amplum locū magistratuum habitationi præbeat, vbi sunt cubicula tam ferè accōmodata, quam in ipsis publicis ædibus, cum suis cellis penarijs, & culinis, in quibus opportunè victus paratur. LEO. Ista omnia conueniunt cum illis rumoribus, qui de Sinici regni ornatu, semper ad nos sunt delati: sed velim scire aliquid de ordine, qui in obtinendis magistratibus seruatur. MICHAEL. Rogasti rem cognitione dignissimam, quæ mihi iam iam excidebat. Habent igitur Sinæ quandam veluti seriem in prouehēdis hominibus ad varios magistratus, quod plerumq; fit in Senatu Paquinensi. Primū enim oppidani iudices fiūt: deinde vrbani: posteà eius ordinis, à quo sine prouocatione supplicia criminibus decernuntur, vel eius, qui regium peculiū curat. In vtroq; autem horū ordinū, qui valde sunt honorifici, multæ sunt sedes, ex quarū inferioribus ad superiores ascendi tur, donec prima adeatur: vndè plerumque proregis munus obtinetur. Id tamen non semper fit in eadem prouincia, sed in obeundis muneribus loca etiam, & prouinciæ cōmutantur. Vlteriùs ex proregis munere ad Senatum Nanquinensem, inde ad Paquinensem est ascensus. Tantus verò ordo in progressu ad hos magistratus obtinendos seruatur, vt facilè omnes intelligant, quod munus quius sit obeuturus. Tanta item est diligentia in quibusdam loco aliorum supponendis, vt viginti ferè diebus è curia regia terrestri itinere, ac mutatis equis in varias prouincias huiusmodi nuntij deferantur. Tanta denique est seuerĭtas in his, qui malè se gerunt, è loco honorifico in inferiorem deijciendis, vel omnino magistratu regio priuandis, vt qui prouinciam aliquā obeunt, nihil magis reformident. Idem ferè ordo in militaribus præfectis, ducibusq; habetur: hoc vno excepto, quod in his origo, & genus

attendatur: ſunt enim multi, qui ex hominibus benè olim in bello meritis nati, vt primùm per ætatem licet, centuriones, tribuni, prætectiq; creantur, donec totius alicuius prouinciæ duces, defenſoreſq; euadant, qui tamen, vt dictum eſt, in omnibus rebus proregi obtemperant. Omnes hi magiſtratus tam belli adminiſtrandi, quàm iuris dicendi deſignatos habent ſatellites certo numero, certa mercede, certiſq; inſignibus vtentes, & præter cõmunes vigilias, quas milites deſignati nocturno tempore, clauſis vrbium foribus, in propugnaculis agunt, vbicunque eſt magiſtratus aliquis ſiue domi, ſiue in nauigio, peruigilio non intermiſſo, & æreo cymbalo ſuis interuallis pulſato, ſedulò cuſtoditur. LINVS. Dixiſti Michaël de magiſtratibus: dic nobis nũc aliquid de ipſo rege, cuius nomẽ tantoperè celebratur. MICHAEL. Dicam tantùm id, quod certis rumoribus accepi: rerũ enim ad curiam regiam pertinentium oculatos teſtes non habemus, cùm nondũ patres Societatis Paquinum peruenerint, qui poſtquàm Deo duce illuc acceſſerint, multa per eorũ epiſtolas cognoſcere licebit. Rex igitur Sinici regni admirabili quadam veneratione in toto regno colitur: & quoties magiſtratus aliquis ex ſupremis ipſum alloquitur, Van Sui eum appellat, quo nomine decẽ millia annorũ ſe illi precari ſignificat. Regum ſucceſsio ex ipſo regio genere pendet: maximus enim natu filius ex prima, & iuſta vxore regnum obtinet, patre mortuo: nec enim viuentes regio munere ſe abdicant, vt inter nos fieri ſolet, ſed Europæus mos eſt in vſu. Vt autem regis ſalus, vitaq; tutior ſeruetur, non ſolent eius minores fratres, aut alij ex concubinis nati, in regia curia viuere, ſed ab eodem rege in varijs prouincijs, ijſque remotioribus locus illis ad habitandum deſignatur, vbi cõmodiſsimè ſunt, habitatione, & reditibus regum quàmſimillimi: non tamen imperiũ aliquod in populũ exercent, ſed tota vrbium, in quibus habitant, adminiſtratio penes magiſtratus eſt, qui tamen huiuſmodi principes in ſummo honore habent, eoſq; bis in menſe inuiſunt, genibus flexis, capiteq; in terram demiſſo ſalutant: nihil tamen cum illis de populo gubernando communicant. Hi ſunt, qui propriè in Siniço regno magnates, vel dynaſtæ dici poſſunt: nam ſedes ſuas, & reditus ad poſteros tranſmittunt, atque ita ſemper huiuſmodi regiæ familiæ conſeruãtur. Sed vt ad regem redeam, eſt ille quidem Sinarum legum, morumq; ob ſeruan-

seruantissimus, discit literas diligenter pro suo statu, quotidie magistratibus supremis se videndum præbet, & de rebus ad cõmune bonũ totius regni pertinentibus agit. Palatium habet miræ amplitudinis, extra quod rarissimè egreditur, & quoties id facit, duodecim proferũtur currus, omnes opere, & pretio quàmsimillimi, vt quo eorum rex vehatur, nequaquàm diiudicari possit. Sequitur præcipuè magistratuum opiniones de religione, cælo, terræq; tanquam omnium parentibus supremum numen attribuens, ijsq; maximo ritu sacrificans. Maiorum habet multa sumptuosissima templa, quibus etiam diuinum honorẽ defert, non tamen proinde reliquarum sectarum sacerdotibus fauere cessimit, imò illorum patronis templa extruit, reditusq; illis amplissimos assignat: & quoties grauis aliqua necessitas vrget, ieiunium eis, precesq; assiduas indicit, atq; ita omnes regni sui sectas quodammodo tuetur, dumque omnes falsas religiones se colere velle ostendit, in vario, ac multiplici superstitionis genere versatur. Ex his omnib⁹ à me dictis, facilè intelligere potestis, Sinici regni administrationẽ magna exparte cum naturæ instinctu congruere, cùm munera non rudibus, & imperitis, sed in literarum vsu, exercitationeq; versatis committantur, & in his magistratibus promouendis, prudentiæ, iustitiæ, aliarumq; virtutum, quas Sinæ colunt, maximè ratio habeatur: cùmq; ad hæc munera obtinenda, omnibus sine vllo generis delectu locus pateat, fit, vt amplissimũ hoc regnũ in summa pace, tranquillitateq; conseruetur. LEO. Velim hoc loco scire Michaël, quo genere vrbanitatis tam populares vir, quàm etiam magistratus inter se vtantur: nec enim credibile est, in tam recta iuris administratione vrbanitatem, quæ tantoperè homines decet, desiderari. MICHAEL. Rectè asseris Leo: inter quinque nanq; virtutes, quas Sinæ maximi faciunt, vna est vrbanitas, reliquæ pietas, beneficiorum grata recordatio, fides in contrahendis negotijs, prudentiaque in conficiendis: quarum virtutum præconiis, & laudibus Sinici libri sunt plenissimi. Quod igitur attinet ad vrbanitatem, eius ratio longè à nostra, & Europea differt: duobus tamen præcipuis modis vrbanitatis norma comprehendi potest: quorum vnus inter æquales, alter inter impares obseruatur. Si enim congredientes homines dignitate sint pares, stantes curuatis dorsis capita ad terram vsq; demittunt, idque vel semel, vel etiam bis, ac tertiò faciunt. Quòd si inter superiores, &

infe-

inferiores sit congressus, plerumq; genibus flexis caput ad terram vsq; deprimitur ab eo, qui inferiorem locum habet: quoties verò, & quando id faciendum sit, mirum est, quàm certis normis, præscriptionibusq; sit definitum, quas tamen numerare longum esset. Dicam etiam aliquid de pietate præsertim in parentes, quæ quidem tanta est, vt tribus integris annis filij parentum suorum mortem lugeant, pulla veste induti, quod non solùm à popularibus, sed etiam ab omnibus magistratibus accuratissimè fit. Vt autem huic negotio tantùm omnes vacent, certissima lege cautum est inter Sinas, vt magistratus, morte parentum interueniente, statim munere se abdicent, & tres integros annos priuati viuant, parentibus suis iusta soluentes, quod ab omnibus etiam supremi, & regij conuentus senatoribus seuerissimè obseruatur. Quanuis enim aliquis existat, qui summoperè apud regem sit gratiosus, & à quo regni administratio magna ex parte pendeat, audita morte parētū, hoc est, aut patris, aut matris, domum se statim iusta illis soluturus recipit; adeò vt, si rex vellet eum in munere gerendo retinere, Sinicarū legū, morumq; violator à populo censendus esset: quod aliquando accidisse, monumentis est mandatum. Cùm enim quidam rex quodam senatore in negotijs expediendis familiarissimè vteretur, intelligens quantum illius opera sibi esset necessaria, voluit post patris mortem eum in munere obeundo conseruare, non tamen id tulit vir alius Sinicarum legum studiosus, eumque grauibus verbis increpans, legis violationem obiecit. Rex ira excandescens mortem quàm primùm ei inferendam fuit minatus: sed cùm ille nequaquàm mortis timore deterritus, in dictis perstitisset, rex de sententia decedens, eum, qui patris mortem plorarus erat, dimisit, admonitorem verò ad altiorem dignitatem extulit. LINVS. Video, te Michaël tanquam in calce horum colloquiorū positum, longoque cursu defatigatum, breuitatem consectari, sed ne quæso, pigreris aliquid de Sinarum religione dicere, quod vnum huic colloquio deesse videtur. MICHAEL. Fateor, me non tam defatigatione, quàm satietatis timore breuitati consulere: non tamen committam, quin munus meum expleam, & de religione, vt postulas, aliquid dictis adiungam. Cùm ergo Sinicum regnum hactenus vera religione caruerit, nunc verò prima eius tantùm sint initia angustissimis limitibus concluſa: vixit semper natio illa alioqui ingeniosissima in summo errore, ignora-

ignorationeq; veritatis, & in varias opiniones distracta, sectas multiplices secuta est. Inter has tamen tres sunt celebres: prima est eorum, qui Confucij philosophi insignis doctrinam profitentur. Hic, vt in ea habetur historia, vir fuit rectissimis moribus, de quibus multa subtiliter, & copiosè scripsit, quæ à Sinis præ cæteris omnibus, leguntur, volutanturq;. Hoc institutum sequuntur omnes magistratus, & reliqui literis operam dantes, quarum multas Confucius ipse inuenisse dicitur: tãtaq; est eius obseruantia, vt omnes hi eius assectæ, primæ, & plenæ lunæ diebus ad commune illud gymnasium, de quo supra dixi, conueniant, & ante eius imaginem, quæ concremato thure, cereisq; accensis colitur, ter genua flectant, & in terram capita deprimant, quod non solùm communes discipuli, sed etiam maximi magistratus faciunt. Sũma huius instituti est, naturæ lumen tanquam ducem sequi, virtutibus illis, superiùs à me commemoratis, diligenter operam nauare: deniq; in recta familiæ, regniq; constitutione laborem insumere. Hæc omnia laudabilia sanè sunt, si Confucius Dei Optimi Maximi, & futuræ vitæ mentionem aliquam feciſſet, nec tantùm cælo, fatalíq; necessitati tribuisset, nec deniq; de venerandis statuis maiorum tã accuratè egisset. Qua in re vix, aut ne vix quidem ab idololatriæ crimine vindicari potest: fatendum tamen est, nullam aliam esse doctrinam inter Sinas, quæ tantoperè ad veritatem accedat. Secunda secta est eorum, qui Xaquam, vel vt Sinæ loquuntur, Xequiam, sequuntur, cuius dogmata, quoniam apud nos sunt satis explorata, non est, quòd repetam: præsertim cùm in catechesi à patre visitatore composita, egregiè refellatur: doctrinam hanc omnes illi sequuntur, qui apud Sinas Cen, apud nos verò Bonzi appellantur. Illud enim breuiter dixerim, nullum esse vocabulum inter Sinas, quod monosyllabũ non sit, & siquod est, quod plures syllabas sonare videatur, ex pluribus conflatum esse intelligatur. Hi ergo Cen, aut Ceni, vt latinè loquar, barbam, caputq; radunt, templa Xaquæ, & cæterorum, qui ex eadem disciplina inter ciuos relati censentur, cum pluribus socijs plerumq; incolunt, precesque suo more recitant, vel libris, vel globis vtentes, aliaq; similia more nostrorum Bonzorum præstantes. Fit aliqua inter eos de futura vita mentio, & de præmijs bonorum, malorumq; pœnis: sed omnia, quæ dicunt, erroribus sunt referta. Tertia secta eorum est, qui appellantur Tauzu, & vitam

alium

alium ſanctitate inſignem, vt ipſi credunt imitantur: hi etiam ſuo modo ſacerdotes ſunt, ſed comam nutriunt, alijſque inſtitutis à ſuperioribus differunt. Quoniam autem Confucij ſecta omnium eſt celebratiſſima, & Ceni, Tauzijq; parum literis ſunt dediti, & inter populares tantùm eorum religio viget, vtriuſque ſectæ ſacerdotes inter Sinas abiectiſsimè viuunt, adeò vt coram magiſtratibus genua flectant, nec cũ illis ſedere poſsint, & nonnunquam, ſi magiſtratibus placeat, fuſtuarij pœna afficiantur: cùm tamen in noſtra Iaponia ſecus omnino eueniat, & ſacerdotes falſæ etiam religionis in tanto honore habeantur. LEO. Audiui Michaël, etiam inter Sinas Saracenorum ſuperſtitionem locum habere, velim, vt verum ſit, nec ne, nobis exponas. MICHAEL. Peregrina iſta ſuperſtitio inter Sinas eſt, & ab eo tempore introducta, quo Sarmatæ Aſiatici, ſiue Tartari in regnum Sinarum inuaſerunt, dominatumq; occuparũt. Quotquot igitur Saraceni ſunt inter Sinas, ex Sarmatarum genere originem habent, qui quoniã erant quã plurimi, non potuerunt à Sinico regno omnino expelli, ſed in eo manentes genus tantùm, non verò religionẽ propagarunt. Hi igitur milites magna ex parte ſunt, & militarem magiſtratum aliquando obtinent: exceptis tamen paucis ſuperſtitionis ſuæ iam obſoletæ, & ferè extinctæ cæremonijs, Sinico more prorſus viuunt, cùm iam ante quingentos annos eorum maiores in Sinicum regnum ſint introducti. LINVS. Age iam Michaël aliquid de vera Chriſti religione, quam etiam in iſto ampliſsimo regno fecilibus, vt ſperamus, auſpicijs veſtigiũ impreſsiſſe cognouimus. MICHAEL. Multa poſſem dicere de iſtis optatiſsimis primordijs, niſi omnia per patrum literas iam in Iaponia vulgata eſſent: faciam tamen omnium ſummam, ne laborẽ omnino ſubterfugere videar. Scitis, iam inde ab eo tempore, quo patres Societatis ad noſtras inſulas Chriſtianæ religionis ſtudio augendæ peruaſerũt, ſimul etiam diligentiſsimè curaſſe, vt in intima Sinici regni loca penetrarent. In hac media contentione, & cura Franciſcus Xauierius ſanctiſſimus vir eiuſdem Societatis in inſula Sanciana, quam quidam Sangiàm appellant, exceſsit è vita, facem reliquis patribus præferens, vt ſimili ſtudio ad illam gentem Chriſti religione imbuẽdam incumberent. Eum ſecuti ſunt alij, omnes vias perſequentes, omneſque machinas cũ ſumma laude adhibentes, vt inceptũ hoc negotiũ, ad exitũ perducerẽt:

impe-

impedimento tamen fuit semper antiqua Sinarum consuetudo, qua cum summa difficultate externos hominibus ad regnū suum aditū concedunt, præter eos, qui iam ab antiquis temporibus legationem obeuntes, regem tertio quoque anno adire solent: in quibus introducendis etiam magna cautio adhibetur, ne facilè, quæ in regno agantur, explorare possint. Quibus accessit Sinicæ nationis animus aliarum gentium contemptor, propriorumq; morum, ac legum maximè tenax: quibus omnibus factū est, vt vltra triginta annos in hoc ingressu fuerit maximè laboratum, donec anno. 1583. duo patres ex eadē Societate Sinica literatura, & lingua mediocriter eruditi, re humanitus desperata, diuino auxilio fulti, à Tutano, vel prorege facultatem impetrarunt, vt in Xauquinensi vrbe, quæ propter commoditatem ipsius prorogis sedes est, domum, templumq; ædificarent. Eo opere incepto, primis quidem annis propter rei nouitatem, patres illi duo bene à magistratibus sunt habiti, adeò vt duo alij ex India missi, facilem aditum habuerint, & bini quidem in Xauquinensi domo permanserint, bini verò ad interiores prouincias, causa nouæ coloniæ ædificandæ, iter aperuerint: qui tamen posteà, alijs magistratibus id non comprobātibus, regredi coacti sunt. Toto autem eo tempore, quo Xauquini patres habitarunt (fuit verò vltra quinquennium) nonnulli ex popularibus à falsa superstitione ad Christianam religionē traducti sunt, & septuaginta lustrali aqua fuerunt abluti. Quoniā tamen humani generis hostis nullum non mouet lapidem, vt Christianæ religionis progressum impediat, instigauit Sinarum animos suapte natura, vt dixi, à cōmercio cū alijs gentibus, consuetudineq; alienos, & semper de externis hominibus malè suspicantes, vt ad Chaienum, & Tutanum præcipuos magistratus de patribus Xauquino expellendis, libellos supplices deferrent, qui patrum domum, templumq; adeuntes, de illis Xauquino eijciendis deliberauerunt: qua in re magna sanè moderatione vsi sunt, nequaquam acerbitate aliqua patrū animos offendētes, suiq; regni vtilitati se consulere significantes. Tutanus enim vocatos ad se patres, (vt alia, quæ euenerunt, prætermittam) benignè alloquutus, multis rationibus eorum habitationem in Xauquinensi vrbe non esse accōmodatam, ostendit: præsertim cùm ad eam vrbem tam multi magistratus confluerent, & ægrè externorum hominum præsentiam ibi ferrēt.

Quam ob causam admonuit, vt partem pecuniæ in æde ædificãda in sumptam acciperent, & vel in patriam, vel ad Macaënsem portũ reuerterentur. Talis tamen fuit, & tanta commiseratione digna patrũ supplicatio, vt Turanus in extremis, & mediterraneis Cantanẽsis prouinciæ finibus, patrib⁹ nouã sedem assignauerit in vrbe nomine Xaucheo, & cuidam magistratui, qui inde ad eum salutandũ veneràt, eos cõmendauerit. Eò igitur patres non sine multis Christianorum lacrymis, desiderioque profecti sunt, &, vt ex recentibus literis cognouimus, iam primæ domus fundamenta iecerunt, scripseruntq;, se in eà vrbe multò tranquillius, & ad Christianam religionem propagandam accõmodatius esse victuros. Hæc sunt Sinicæ segetis primordia, in quibus, non dubium est, quin, sicut in alijs Christianæ reipublicæ partibus, cum summo labore, & lacrymis semina sint spargenda, vt optati fructus cum gaudio, & iucunditate colligantur. LEO. Vtinam initia ista optatum incrementum suscipiant, & vbique terrarum Christi nomẽ multis adhuc ignotum, ab omnibus gentibus colatur: vnum tamen tibi superest dicendum, cuius studio maximè ardemus, vtri videlicet regioni Sinicæ, an Europeæ priores partes deferendas iudices, cùm vtraque à te sit magnopere celebrata. MICHAEL. Etsi hactenus istius modi collationem semper fugiendam curaui, pro eo tamen, ac debeo, veræ, & sinceræ tuæ interrogationi satisfaciam. Quanus igitur Sinicum regnũ in toto hoc Oriente sit celebratissimum, non dubitũ tamen est, clarissimæ orbis terrarum parti, Europæ multò inferius esse: de qua materia licet in sequenti colloquio sermo sit futurus, hic tamen breuiter Sinicam regionem cum Europa conferam. Inprimis ergo Europa multò amplior est, cùm à tringinta octo gradibus ad nonaginta ferè Septentrionem versus procurrat, & aliquibus libris sit traditum, esse populos in Europa, qui Septentrionẽ supra capitis verticẽ conspiciunt. Si verò vrbium, ac oppidorum multitudinem, incolarumq; frequentiam consideres, constat, multò pluribus, maioribus, ac frequentioribus Europam abundare: cùm in sola Italia, quæ vna est ex Europæ prouincijs, vrbes supra quadringentas, oppida verò vltrà duo millia numerentur: exceptis minoribus castris, & pagis, quorum numerus ferè est infinitus: vnde quanta sit in Europa vrbium, ac incolarum frequentia, facilè colligere potestis. Quòd si vrbium ipsarum magnificẽ-

tiam, nobilitatemq; consideres, cùm in Europa tam sumptuosa, & operosa sit ædium, & reliquorum ædificiorum structura, vrbesque ipsæ tanta dynastarum, nobilium, ac diuitum virorum copia abundent, Sinæ verò humilioribus ædificijs, minorique apparatu sint contenti, multò etiã nobiliores, & elegantiores Europeorum vrbes redduntur. Quod autem ad fertilitatẽ attinet, plures etiam res humanæ vitæ valde vtiles Europeam terram proferre, iudicandum est, quibus Europei, vt superiùs commemorauimus, multò lautiùs, ornatiùsq; , quàm Sinæ viuunt: qui populari quodam, ac cõmuni viuendi modo assueti, nec illo pretiosarum vestium ornatu, nec eo famulari apparatu, nec denique ea auri, & argenti, aliarũq; rerum magnifica supellectili vtũtur. Si verò cætera omnia attendantur, nimirum scientia rei militaris, humilium, ingenuarumq; artium exercitatio, recta denique gubernatio, omnia hæc in Europa longè melius, præstantiusq; efficiescunt: cuius rei argumentum ex superioribus colloquijs repetendum est, ne sæpius idem iterare cogamur. Ad hæc omnia accedit Europeorũ nobilitas, per suos gradus, ordinesq; distributa, illustrissimorum dynastarum in singulis regnis spectata multitudo, tam multarum disciplinarum frequẽtissimus vsus: quibus omnibus adiungite Christianam religionẽ, quæ naturam, vt aliquando à me perstrictum est, sanè mirè perficit, atque exornat, & iam ante mille, & quingentos annos paulatim per Europam propagata, mirandum in modum Europeorum ingenia, mores q; excoluit. Quidquid ergo de Sinico regno hactenus audiuistis, ita intelligendum est, vt ne punctum quidem de Europea dignitate, & celebritate detrahat, quã tam multis colloquijs vobis inculcare sum conatus. Possem etiam nostram Iaponiam nobilitatis ordine, reiq; militaris disciplina Sinico regno anteponere, nisi causam propriam agere viderer: restamen ita nota est, vt sine priuati affectus suspicione id asseuerari possit: reliqua autem, quæ ad literas, rerumq; naturalium cognitionem pertinent, & alias vitæ commoditates, quæ ex mercibus ad nos allatis sequuntur, multum nos Sinico regno debere non est inficiandũ. LEO. Ita prorsus est Michaël, tibiq; etiam istius sermonis iucunditate nos obligatos esse, nequaquàm diffitemur.

Explicatur ſummatim totius orbis deſcriptio: ac declaratur, quæ ſit illius præcipua, & nobiliſsima pars. Colloquiũ trigeſimũ quartũ.

LEO.

DIxiſti hactenus Michaël, in ſuperioribus colloquijs de ſingulis mundi partibus: hodie, vt te de tota orbis terrarum vniuerſitate dicentem audiamus, non minori auiditate conuenimus: ſed ſcire priùs velim, cur anno octogeſimo octauo Goa profecti, nonageſimo ad nos perueneritis, duobus in nauigatione, & Macaënſi commoratione conſumptis. MICHAEL. Primùm in communi nauigatione ab India vſq; ad nos annum ſe è elabi, vt ſcitis, non eſt mirum: tribus enim menſibus ab India vſq; ad Macaënſem portũ actis, cùm nauis eò peruenit, exacta iam temporis opportunitate, neceſſe eſt, decem ſaltem menſes ſubſequẽtis anni tempus, quo flat Auſter opperiri. Quod verò nos annũ adhuc vltra, ibidem fuerimus morati, cauſa fuit nauigationis intermiſsio, quæ anno octogeſimo nono propter varias rationes facta eſt. Primùm quia nauis, quę anteacto anno ad nos nauigauerat, ſerò admodũ Macaënſem portum repetijt, & vix tempus ad parandas, & emendas merces ſuperfuit: deinde quoniam Luſitani ex mercium præteriti anni venditione non eum collegerant fructum, quem ſperabant, ideoq; maluerunt ſemel nauigationem intermittere, quàm eam ſperata modica vtilitate inſtituere. Ea de cauſa Cantanum ad merces coëmendas, & congerendas non ita diligenter petere curarunt, dumq; hi Sinas mercatores expectant, Sinæ verò illos, tempus contritũ eſt, opportunitaſq; nauigãdi effluxit. His etiam acceſsit Iaponicarum rerum perturbatio, patribus exilio mulctatis, quæ res vehementer Luſitanorum omniũ animos exulcerauit. His ergo omnibus de cauſis nauigatio, quæ ſit quotánis, fuit interrupta, nobis, propter alterius anni prorogationem non medio-

mediocri moleſtia affectis. LINVS. Equidem patres omnes, Chriſtianique veſtram, ac patris viſitatoris moram peracerbè tulerunt: vna tamen res nos ſummoperè fuit conſolata, quòd annum præteritum multis procellis, tempeſtatibuſq; infeſtum fuiſſe conſtat: vnde ſi iter aggredemini, profectò in grauiſsimum vitæ periculum incideretis: quo fit, vt etiam iſta nauigationis interruptio diuinæ prouidentiæ aſcribi debeat. MICHAEL. Ita ſanè aſcripſimus, cùm literæ miſſæ per Sinica nauigia exeunte ſuperiore anno ſint perlatæ, ex quibus intelleximus, quàm graues, & quàm turbulentæ in toto hoc tractu Iaponico tempeſtates fuiſſent concitatæ: cùm verò alioquin pater viſitator omnes veniendi rationes, modoſque fuerit perſequutus, & omnia ita euenerint, vt nauigatio intercluderetur: cognouimus, ſine dubio diuinæ prouidentiæ auxilium ſemper nobis præſto fuiſſe, quo tam multa pericula totius noſtræ peregrinationis proceſſu, fauſtè, feliciterq; vitauimus. LINVS. Nō poterāt iſti duo anni in Macaënſi portu acti, non parere vobis faſtidium, animis ad patriam tanquam ad certum terminum aſpirantibus. MICHAEL. Quandiu iter ſuſceptum non conficitur, præſertim ſi ſit in patriam reditus, viatorum animos faſtidire, non eſt mirandum: ſemper tamen fuerunt nobis varia leuamenta, quibus moleſtia hæc, qua ecunq; eſſet, minueretur, vel ferè omnino abſtergeretur. Hæc autem erant variæ noſtræ exercitationes in ſtudijs bonarum artiū collocatæ, adiuncta optima habitationis opportunitate. LEO. Quamquidem veſtro aduētu omnibus itineris laboribus, difficultatibuſq; finis eſt impoſitus, ſupereſt, vt totius orbis terrarum formam primis colloquijs promiſſam nobis ſub aſpectum ſubijcias, deq; præcipuarū partiū diſtinctione nos edoceas. MICHAEL. Iſta de cauſa iuſſi afferri theatrum orbis, cuius varijs figuris conſpectis, miram animis voluptatem hauſire poteſtis. Ponite igitur in primis oculos in hac tabella, quæ totius orbis effigiem continet, in qua diſcernere facilè poteſtis quinque illas præcipuas partes, in quas principio dixi, totum terræ globum diſtribui, nimirum Europam, quæ fuit noſtræ nauigationis terminus, Aſiā, quam etiam attigimus, Africam, cuius vnum portum tenuimus, & mericam, quam aliquoties retulimus: terram deniq; Auſtralem ignotam, quam ſæpe à nautis Luſitanis prætereuntibus conſpectam eſſe, affirmauit. LINVS. Aſpectu quidem iucundiſsima eſt hæc orbis figura: ſed quæro

ex te

ex te, vbinam sit nostra Iaponia depicta? MICHAEL. Iaponiæ nomine complecti solemus omnes insulas, quas vides iuxta Sinicum regnũ sitas, quæ cum illo ad Asiam pertinent. LEO. Hem tam breui spatio Iaponia nostra concluſa est? satis sanè hinc colligo, quàm facilè externi homines in alienis allucinentur: quo fit, vt de voluptate, quam huius figuræ aspectu ceperam, hoc errore notato, magnã de animo meo partem decesisse profectò sentiam. MICHAEL. Ne dixeris, esse in figura errorem Leo, sed in nobis: Iaponij namque, qui primo hanc figuram aspiciunt, ipsi sunt, qui semper hîc errant, non intelligentes illius artificiosam mensuram, nobisque idem euenisse, cùm primùm hæc orbis forma nobis fuit proposita. Vt autem paulatim de ista falsa sententia deducaris, conijce oculos in illas insulas, quæ Iaponicis spatio non minores, hic tamen breuissimis limitibus circunscribũtur. Ex his est hæc, quæ olim Madagascar dicta est, nunc à duo Laurentio nomen habet, & hoc quidem loco exigua videtur, re autem vera trecentas ferè leucas longitudine comprehendit. Ad eam proximè accedit hæc alia nomine Taprobane, vulgò Samatra: hæ item videlicet Britania, & Hybernia, sunt integra quidem regna, hoc tamen loco paruæ admodũm terræ portiones videntur. Eiusdem denique rationis est Sicilia, quæ nobile regnum efficit, imò & ipsa Italia, quæ cùm tam celebris prouincia sit, multaque complectatur, minimo interuallo hoc loco fuit scripta. Qua de causa magnitudinem potius nostræ Iaponiæ, quàm exiguitatem aliquam, hac tabella exprimi intelligite. LINVS. Exempla quidẽ ista aliquid de nostra dubitatione tollunt, non tamen omnino videntur satisfacere. Nostra namque Iaponia multò maior est illis superioribus insulis, quas retulisti, cùm in quingentas ferè leucas porrigatur. MICHAEL. Leucæ nostræ Line, vt iam aliquando notauimus, Europeis minores sunt: quo fit, vt nostræ quingentæ, trecentis, & quinquaginta Europeis includantur. Vt tamen hoc melius intelligatis, memoria repetendum est, quod in sexto colloquio diximus, orbis videlicet mensuram per suos gradus distingui, qui spectato recto tractu à Septentrione ad Austrum, septendecim leucas cũ dimidia continent. Cùmq; hæc graduum distantia sit omnino certa, siue forma magna describatur, siue parua, semper mensura eadem est, quamuis in maiori tabella maius spatium singulis gradibus, in minori verò minus

assignetur

assignetur: semper nâque concipi debet gradus, septendecim illas cum [illegible] leucas comprehendens, siue spatium magnũ, siue paruũ con- [illegible]ur. Hinc fit, vt in sequenti tabella sola Europa tanto intervallo, [illegible]ngatur, quantum hic totus orbis habet, nullusque ideò error cõ- mittatur, sed tolùm gradibus semper æqualibus, in æqualia tamen spa tia attribuantur: vtrobiq; nâque gradus nomine, ac signo semper leu cæ illæ relatæ significantur. LEO. Ex ipsa ratione à te reddita, recte in telligo, veritatem quidem mensuræ semper eande esse, quamuis in assi- gnando descriptionis spatio sit varietas, atque hinc fieri, vt nonnũ- quàm totus orbis magna aliqua tabula, interdum verò exigua signi- ficetur. MICHAEL. Attigisti scopum Leo, à quo anteà aberrans po- tiùs picturæ, quàm tibi parũ in his versato, errorem ascribebas, illud- que fundamentum esse intellige, vt ex libri huius aspectu vtilitatem aliquam colligas. Videbis nanq; sæpe, provinciæ alicui partæ spatium magnum adiungi, imò æquale ei, quo totus orbis terrarum expres- sus est, quod tamen mensuram graduũ nequaquam immutat, sed for- mam ipsam tantùm, siue imaginem, nunc maiorem, nunc minorẽ esse indicat, in re tamen nulla varietate conspecta. Vt ergo ad nostrã la- poniam redeamus, quamuis hoc loco breui spatio sit efficta, gradibus tamen spectatis manifestè ostenditur, eã à trigesimo primo gradu, viq; ad quadragesimum recta via ab Austro ad Septẽtrionẽ procurrere. lon gitudinem tamen eius, quæ ab occasu ad ortũ est, vltra trecentas Eu- ropeas leucas, quingentas verò laponicas includere. LINVS. Prose- quere nunc Michael, quæ instituisti dicere, & si quid aliud habes de nostra Laponia, propone. MICHAEL. Occurrit mihi conferre lapo- niam nostram, & partem Sinici regni cum Europa, quo ad situ spe- ctato Septẽtrione. Quo enim loco Laponia nostra, & hæc pars Sinici re gni Septentrione maximè sublatũ aspicit, eundem etiam similiter pars aliqua Italiæ, atque Hispaniæ intuetur: quo fit, vt non sit mirum, si aliquibus in rebus sit inter eas regiones similitudo. LINVS. Si dui tiæ, consuetudines q; Europeæ ita à nostris distant, qui fieri potest, vt similes, Europam, Laponiam, & Sinicam regionem merito esse, asseue res? MICHAEL. Similes dixi, non æquales: laponia nanq; nostra, si fructuum, carnium, pisciumq; vis ad corpora alenda consideretur, deinde gentis nostræ acumen, & vrbanitas, nobilitatis q; gradus, Euro pã

aliqua

aliqua ex parte imitatur. LEO. Gaudeo de illo tuo iudicio: ſed nunc etiam de Sinico regno, quod proximum eſt, aliquid ſi fortè denuò ſe ſe offert, adiunge. MICHAEL. Sinicum regnum hoc eſt, quod ex aduerſo Laponiam noſtram, aſpicit, multò maius illud quidem, cum ab vndeuiginti gradibus ad quinquaginta Septentrionem verſus protendatur: vnde eius latitudo facilè, vt ſuperiùs dixi, cognoſci poteſt, quæ Europeas leucas quinquaginta ferè ſupra quingentas includit, quod idem penè ſpatiũ ab Occidẽte ad Orientem interijcitur. LEO. Equidem ſi forma tantùm huius deſcriptionis ſpectetur, non ita amplum exiſtimabitur. MICHAEL. Ita eſt: vnde fit, vt ſpatium tantum hoc, & non menſuram graduum Sinæ etiam attendentes, de breuiſsimis limitibus, quibus eorum regnum in ſimili tabula circunſcriptum eſt, cũ patribus, qui apud eos ſunt, conquerantur, perſuadẽtes ſibi, regionem, quam incolunt, maximam eſſe terrarum partem: ſi tamen menſuram graduum perpenderent, inuenirent profectò, plus in hac tabula ſpatij Sinicæ regioni tribui, quàm toti Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, & Germaniæ, quod quidem mirandum eſt, cùm in his prouincijs tam multa regna, tam multiplexque iuriſdictio ſummi pontificis videlicet, imperatoris, regumq; Hiſpaniæ, & Galliæ contineatur. LINVS. Iſta ſanè ratione videtur cõuinci, quod ſuperiori etiam colloquio mihi occurrit, regem Sinarum omnium eſſe potentiſsimum. MICHAEL. Si regnorũ tantùm fines ponderentur, euenire profectò poteſt, vt facilè quis in errorem aliquem labatur, quod facili exemplo demonſtro. America enim ampliſsima terra eſt, cui Hiſpania magnitudine nequaquàm poteſt comparari, nemo tamen dixerit rectè, Hiſpaniam cum America commutari poſſe: idem etiam intellige, ſi Africam, & Italiam conferas. Quanuis ergo ſuperiùs dixerimus, regem Sinarum vnius regni amplitudine magnoperè excellere, potentiſsimum tamen omnium eſſe, iure negamus: tum quia alij ſunt, quorũ fines, etſi non vno, eodemq; regno contenti, multò longiùs, latiùſq; patent: tum etiam quia regũ potentia, militum fortitudine, armorũ artificio, claſsiũ numero, ſtratagematũ vi, vrbiũ munitione, alijſq; rebus conſtat, quibus Sinæ Europeis longè inferiores ſunt. His tamen omiſsis ad noſtri itineris deſcriptionem explicandã accedamus. Ex hoc ergo portu Nangaſaquij, quẽ videtis, ſoluentes primùm Macaënſem ſinum ingreſsi ſumus, quem in

Sinico

Sinico regno positum, multisq; insulis circunseptum videtis. Hoc in portu nauem conscendentes, Cocincinicum, Cambegicum, Cimapanicum, Sianicum denique tractum præteruecti, & ad insulas Malacæ ses, quas videtis, introeuntes, celebre hoc fretum Sincapurense transmisimus, Malacamque appulsi sumus. Hinc rursus nauigatione facta longum pelagus emensi, ad Zeilanā insulam accessimus, & inde profecti, Indicæq; regionis Comorinum promontorium flectentes, Cocinum peruenimus, ibique hyemauimus. Post hyemen, Goam caput Lusitanicæ iurisdictionis in India petiimus: vnde Cocinū redeūtes, & Lusitanam nauigationem aggressi, in vastissimum hoc mare inuecti sumus, & post lineam æquinoctij transmissam, Austrum versus extimum Magadascaris, siue Diui Laurentij tractum prætergressi, promontorioq; hoc longissimo, quod à bona spe nomen habet, feliciter flexo, vltrà progressi, in hac insula Diuæ Helenæ, tanquam in peropportuno diuersorio aliquantulum conquieuimus: vnde iterum linea æquinoctij Septentrionem versus traiecta, optatam Europam vidimus, & Lusitaniæ, quæ pars Hispaniæ est, celeberrimum hunc portum Olysipponensem tandem ingressi. Hinc terrestri itinere Hispaniam percurrentes, in hoc portu vrbis Alones Romā petituri nauē cōscendimus: Roma autē rursus in Lusitaniam redeuntes, & ex portu Olysipponēsi vela facientes, iterum hoc latissimo mari peragrato, trans bonæ spei promontoriū prouecti, inter Africæ prouinciæ cōtinentē, & Diui Laurentij insulam nauigauimus, vbi ad vada Zofalensia delati, in extremum illud periculū, de quo dixi, vocati sumus: sed postea Mozambiquij hūc portū tenentes, Goam accessimus: & inde velificatione facta, primùm Malacam eodem itinere, deinde ad Sinicum regnum, & ab eo ad patriā nostram tandem feliciter peruenimus. LEO. Deus bone, quàm longa fuit ista nauigatio! in qua vos circuitione facta, totū orbem terrarū obijsse, dici potest. MICHAEL. Fuisset sanè integra circuitio, si hoc aliud iter facientes, per nouam Hispaniā in patriam renauigassemus: sed & circuitus longissimus nostræ nauigationis fuit: nam ad Europam contendentes, magnam Asiæ, Africæq; partem lustrauimus, euntesque, ac redeuntes, quater lineam æquinoctij transmisimus, similiq; modo vtrunq; Tropicum, Cancri videlicet, & Capricorni adijmus: sub æquatore quidem, siue æquinoctij linea calore, æstuq; conflictati: post Tropi

cos verò vel Austrum, vel Septentrionem vltra triginta sex gradus sublatum intuentes, non mediocri vi frigoris iactati, atq; ita miram rerũ varietatem, vicissitudinemq; experti. LEO. Considero iamdudũ Michaël, quinq; eas orbis partes, quas proposuisti, videoq; Europam earũ omnium minimã: quo fit, vt mihi persuadeam, si Europa tam multis opibus, & copijs circumfarct, vt hactenus retulisti, posse etiã reliquas partes ijsdem omnibus rebus abundare. MICHAEL. Leue quidem, & futile argumentum sumitur ex terræ alicuius magnitudine, ad eius fertilitatem, opulentiamq; ostendendam: hæc enim duo non tam ex spatio, quàm ex natura soli, & hominum industria pendent. LEO. Fateor ita rem se habere: tu igitur, qui cum socijs tres orbis terrarum partes adijsti, & de duabus alijs multa accepisti, quænam earum præstantissima sit, facilius iudicare potes, nobisq; iudicium tuum exponere. Nam si nostra opinione controuersia dirimenda est, scis, absq; dubio primas partes à nobis Iaponiæ, Sinicoq; regno tribui: nunc tamen hanc orbis formam intuens, videnq; Africam, inter reliquas partes interiectam, suspicor ei posse primas deferri, cùm soleamus dicere, virtutem in medio consistere. MICHAEL. Nec ista ratio à te adducta multum habet firmamenti, medium enim istud non de situ, aut de loco intelligitur, sed de eo, quod recta ratio obseruat. Quo fit, vt quauis Africa mediã sedem occupet, non ideo tamen cæteris præstet, sed forsan omnium sit infima. Cùm enim magna ex parte intra circulos illos sit, qui Tropici appellãtur, vehemẽtes patitur solis ardores, adeò vt ab antiquis hæc fere tota regio inculta fuerit indicata. Quod etsi nõ ita se habet, cũ nulla orbis pars, quantumuis sub linea æquinoctij, vel sub polis iacens, nõ sit habitabilis: Africa tamen æstuosa valde est, arida, arenarijsq;, & solitudinibus abundans, atq; ita multis rebus ad vitam necessarijs caret. Hinc etiam fit, vt eius incolæ sint plerumq; barbari, & feri homines, colore nigro, ab omniq; humano cultu alieni: præsertim qui mediterranea loca tenent: nam oram illam, quæ prope Europam est, habitantes, ad Europeam elegantiam aliqua ex parte accedunt, vbi olim Christianã religionem viguisse, multosq; viros illustres extitisse, scimus. Sed quoniam de præstantissima orbis terrarũ parte iudicium me ferre, vultis, faciam libenter, & deponam personam hominis Iaponici, mundanũq; me esse fingam, hoc est totius mundi incolam, & ciuem, qualem se esse

Socra-

Socrates Europeus philoſophus gloriabatur, nulli videlicet certæ regi oni affectu aliquo, vel nimio amore adhærescens. Sepoſita igitur natiua quadam in patriam beneuolentia, à qua me non alienum eſſe cognoſco, omnibus ſpectatis, & æqua lance ponderatis, iudico, ingenuèq; aſſero, Europam omnium orbis terrarum partium excellentiſsimã eſſe, quã Deus pleniſsima manu piuribus, præſtantiſsimisq; bonis cumulauit. Quo fit, vt cæli natura, nationũ ingenijs, induſtria, & nobilitate, viuendi, gubernandiq; ratione, multitudine bonarũ artium, inter omnes alias regiones præſtet, quod aliquibus rationibus confirmari poteſt. Primùm quoniam Europa extra eos circulos eſt, qui Tropici appellantur, atq; ita vehementi ſolis ardori, & æſtui non eſt obnoxia: maxima item eius pars, & fortè tota continens, vt omittã vltimas inſulas, extra circulum Arcticum eſt: quam ob cauſam non ita vehementi frigore obrigeſcit, ſed egregium quoddam temperamentum tenet, frigoriſq;, atque æſtus tolerabilem quandam varietatem: quod tamen de cæteris partibus dici nõ poteſt, quæ maiori ex parte calore maximo torrentur, præter terram Auſtralem incognitam, quæ cum Auſtrũ habeat multis gradibus ſublatum, non poteſt non frigore cõflictari. Præterea ſatis videtur compertum, homines regionis illius nequaquã Europeis, qui ad Septentrionem ſunt, æquari poſſe: imò credibile eſt, omni ferme cultu carere, cùm nunquã tuis finibus prodierint, nec ſui ingenij, induſtriæ, aut fortitudinis aliquod ſpecimen præbuerint: quod Europei egregiè fecerunt, totum orbem terrarum fama ſui non inis, egregijſq; factis implentes. Secundò ſi Europam cum Aſia, & Africa cõferamus, inueniemus, Europæ incolas cãdido eſſe colore, venuſta facie, pulchris lineamentis: Africanos verò maxima ex parte Æthiopes: Aſiaticos denique plerunq; fuſco ſaltẽ, & ſubnigro colore. Vnde fit, vt quamuis aliqui albo colore præditi, ingenioſiq; dici poſſint, reliqui tamen omnes, qui ſubnigri ſunt, rudi admodùm, impolitaq; ſint natura. Tertiò ſummoperè facit ad Europeæ gentis politiorem cultum, vera, & Chriſtiana religio, qua tantoperè Europa floret. Cùm enim homines à brutis animantibus ratione, & intelligentia ſecernantur, & illi cultiores, & humaniores ſint, quorum intelligentia acutior eſt, & perſpicacior: manifeſtè patet, Chriſtianam religionem, quæ veritatis lumine mentem maximè illuſtrat, acumen excitat, æternarumq; rerum

cognitione animum imbuit, magnoperè ad hominem poliendum, excolendumq; conducere. Ex hoc ergo fonte rectissima populi gubernatio, iuris, iustitiæq; obseruantia, pacis, charitatis, aliarúq; omnium virtutum exercitatio, & alia multa bona, quæ superioribus colloquijs à me notata sunt, abundanter emanant. In alijs verò mundi partibus, vbi exigui sunt, qui Christianam religionem sequuntur, & quàmplurimi falsa superstitione imbuti, vigent abiq; dubio contraria omnia mala, nimirum iuris peruersitas, regnorum iniusta occupatio, alieni cupiditas, odium, maleuolentia, cæteraq; omnia, quæ mètem humanam de statu suo deiiciunt, brutisq; ipsis animantibus quam simillimã reddunt. Hinc fit, vt cùm idololatria, fallãq; religio mater sit errorum, vitiorumq; omnium, quicunque ei sunt dediti, inhumani, barbari, superstitiosi, magna ex parte venefici, alijsque innumeris malis sint cooperti. Inde etiam sequitur, vt principes tyránidem occupent, iniustas leges ferant, populũ vexent, effrænatis cupiditatibus obsecundent, & in ea, quæ delectabilia videntur, cæco impetu rapiantur. Sed quorsum ego in his reddendis rationibus immoror, cùm totus nostrorum collo quiorum progressus id apertè demõstrauerit? Si enim vultis superiora mente repetere, & quidquid de pontificia, imperatoriaq; dignitate, de dynastis sacris, & profanis, de ordine belli gerendi, populiq; moderandi, de famulari apparatu, de vrbium magnificentia, de bonarum artium multitudine, aliisq; Europæ ornamentis à me dictum est, ante mentiũ vestrũ oculos repræsentare, inuenietis profectò, nullã aliã rationem, testificationemq; ad id, quod a me propositum est, vlla ex parte requiri, & mihi, qui hactenus tam beneuolè sum à vobis auditus, hac in re, sicut & in cæteris, fidem prorsus esse habendam. Sed addite illud etiam ad hoc confirmandum, quod in Romana vrbe, atque adeò in Italia, & Europa Deus prouidentissimus caput imperij, olim quidé profani, nũc autem sacri constituerit. Cùm enim quondã ex eo loco bona orbis pars fuerit subacta, & sub iugum Romanorũ missa, nostro etiam tẽpore vniuersa Christiana respublica summũ pontificẽ, tanquã suprem um moderatorem, principemq; recognoscit, cui credendum est, optimam, & accõmodatissimam orbis partem à Deo optimo maximo fuisse designatam. LEO. Victi Michaël, meque rationibus tuis penitus conuictum fateor. Si enim Sinicum regnum, cui nos anteà primas

defere-

deferebamus, Europæ omnino cedit, nulla alia prorſus ſupereſt dubitatio, præſertim conſideratis fructibus, quos ex Chriſtiana religione colligi oſtendiſti. LINVS. Ego quoque in eandem eo ſententiã, fateorq; ingenuè, nullã rationẽ, cui veritatis Chriſtianæ lumen nõ affulſerit, recta adminiſtratione, virtute, aliiſque bonis verè, & perfectè florere poſſe. MANCIVS. Meritò ſanè Michaëli noſtro rationes egregias reddenti aſſenſi eſtis: quòd ſi oculis rem ipſam experiri poſſetis, nequaquàm in re tã manifeſta hæſitandi locus relinqueretur. MARTINVS. Si adhuc veritatis à Michaële prolatæ meum teſtimonium requiritis, ego illud ex animo, & non ſimulatè do, ac dico. IVLIANVS. Eadem prorſus eſt mea ſententia, nec à Michaëlis dictis latum vnguem diſcedo, ſentioq; de hac re nullam in veſtris animis reliquam eſſe debere dubitationẽ. MICHAEL. Hac igitur veritate inter nos conſtituta, paulò enucleatiùs ſingulas orbis terrarũ partes vobis volo proponere. Hîc ergo videtis Americam, ampliſsimam illam quidem, ſed abiectiſsima gente fuſci coloris frequentatam, quæ tota à paucis Europeis ſubacta eſt, & ſub eorum poteſtate viuit, adeò, vt eos velut natura ipſa dominos recognoſcat. Hæc alia pars eſt Africa, cuius ferè mediterranea regio, & hic tractus Oceanum attingens, ab Æthiopibus habitatur, hominibus barbaris, & nullo cultu politis. Hæc tertia eſt Aſia, quæ à promontorio Malacenſi vſque ad Cocinſinicũ regnũ, & ab eodem vſque ad Indiam, gentem habet ſubnigram, abiectam, & non ita excultam: multas tamen prouincias nobiles obtinet, Perſiam videlicet, Arabiam, & alias finitimas, quarum nationes albo quidem ſunt colore, ſed non omnino ad humanitatem, & liberalem diſciplinã eruditæ. Vltra Cocinſinicum regnũ, videtis ampliſsimam Sinarum regionem, noſtraſq; Iaponicas inſulas, de quibus illud tantùm dicam, Sinas quidem regni amplitudine, pace, ac tranquillitate, gubernandi ratione, diuitijs, & rerum copia nobis præſtare: nos contrà rei militaris ſcientia, animi magnitudine, vrbanitatis obſeruantia, nobilitatis gradibus ſuperiores eſſe. Sed redeamus nũc ad Europã, vbi videtis multas prouincias nobiliſsimas, Hiſpaniam videlicet, in qua eſt Luſitania, Luſitanorũ omnium ad nos venientium mater, & reliqua alia multa regna, quæ Philippus potentiſsimus rex poſsidet. Eſt item Gallia, quæ regnum aliud Florentiſsimũ efficit: Germania, in qua imperator ſedem habet: Italia, in qua

ſummus pontifex locum tenet. Sunt item circa Germaniam Polonia, Vngaria, & ea, quæ nunc Boœmia dicitur, quæ prouinciæ olim ad Sarmatiam, & Pannoniã pertinebant. In Oceano verò ſunt celebres inſulæ Britannia, & Hybernia, quæ optima regna conficiunt. Vltra has omnes prouincias, videtis alias etiam ad Septentrionem vergentes, nimirum Cimbricam cherſoneſum, quæ nunc Dania vocatur: Gotthiã, Noruegiã, & alias, quas omitto. Si verò ad mare mediterraneũ aliquãtulũ deſcẽdamus, ſpectare licet multas alias clariſſimas, nẽpe Illyridẽ, Dalmatiam, Epirum, Peloponeſſum, Atticam, Macedoniam, Theſſaliam, Æoliã, Phocidẽ, Bœotiã, Acarnaniã, Thraciã, ſimileſq;. Hæc generatim de Europa dicta ſint: ſed quoniã de tractu maritimo, noſtra nauigatione percurſo dixi, nũc præcipuas vrbes, quas mediterraneo itinere adiuimus, ex proprijs Hiſpaniæ, & Italiæ tabulis vobis oſtendam. Ecce hæc eſt Hiſpania, in qua Luſitaniæ regnum continetur. Hic intueri licet regiam vrbem Olyſipponem, ex qua terreſtri curſu primùm Eboram, deinde Villauizoſam, & Eluam: poſtmodùm Pacẽauguſtã, Emeritam, Toletum, Matritum Philippi regis ſedem, Complutum, Murciam, Oriuelam, Elchium, & alia multa oppida, vt iam diximus, præteruecti, ad vrbem Alonem, ſiue Alicantum deuenimus, mediam Hiſpaniam, vt videre licet, traijcientes. Nihil hoc loco dicã de reliquis huius præſtantiſſimæ prouinciæ vrbibus, quæ frequentiſſimæ, ac nobiliſſimæ ſunt, adeò vt hæc vna prouincia olim ad multos, ac potẽtiſſimos reges conſtituendos ſatis eſſet, quod etiam in hac figura cernere poteſtis, quæ in plurima regna eſt diſtributa. Hæc inquam, & alia multa, quarum cõmemoratione digniſſima prudens prætereo, cùm mens mea nunc ſit terreſtre tantùm noſtrum iter vobis oſtendere. Alone igitur validiſſimam nauem conſcendentes, amplo maris mediterranei gurgite tranſiniſſo, Ligurinum Italiæ portum tenuimus, quem in hac alia eiuſdem prouinciæ propria tabella deſcriptum videtis. Hinc Piſas, Florentiam, Senas, & reliquam Hetruriæ partẽ tranſeuntes, & Aquilam vulgò Aquampendentem, Viterbium, aliaq; oppida ad pontificiam iuriſdictionem pertinentia traijcientes, tandem Romam optatiſſimã, ſummi pontificis ſedem acceſimus. Hinc verò regredientes Narniam, Interamnam, Spoletum, Fulginium, Aſiſium, Peruſiam, Camerinum, Maceratam, Recinetum, nobiles vrbes tranſgreſſi, hoc Beatiſſimæ Virginis

ginis Lauretanæ celebre oppidum ſumus ingreſsi. Inde profecti Anconam, Senogaliam, Fanum, Piſaurum, Ariminum, Ceſenam, Forumliuium, Imolá, Bononiam, & Ferrariam vrbes etiam nobiliſsimas delati, Venetias inter has omnes celeberrimam vrbem petiimus, in medio mari, vt videtis, ſitam. Ab hac rurſus diſcedentes, Patauium, Vicetiam, Veronam, Mantuam, Cremonam, Lodium, Mediolanum, Papiam, ac Dertonam adeuntes, tandem in Genuenſi hoc nobiliſsimo portu triremem aſcendentes in Hiſpaniam renauigauimus, Barcinonemq; peruenimus. Poſteà verò Monſerratum, Monſanum, Cæſar auguſtam, Durocam, aliaque quàmplurima Hiſpaniæ oppida videntes, Matritum iterum, & inde in Luſitaniam regreſsi ſumus: in qua præter vrbes commemoratas, Scalabim, Nabantiam, Conimbricam, Lemená, Sylaciam, Setobrigam, aliaq; Luſitaniæ loca perluſtrauimus. Hinc autẽ inſtituta rurſus nauigatione, tandem ad Iaponiam noſtram, tanquam charisſimæ parentis amplexum repetentes, feliciſsimè remeauimus. Sicut ergo hic fuit nauigationis terminus, ita etiá noſtrorũ colloquiorũ finis erit, dummodò tamen partim prolixæ orationis, partim verò ieiunæ, & exanguis veniam à vobis impetrem: cùm ſciatis, me non tam eloquentiæ, aut ornatus, quàm publicæ noſtræ vtilitatis rationem habuiſſe. LEO. Nequaquàm explicare poſſum Michaël, quam me tibi cenſeam hoc tanto beneficio obligatum, qui omnibus poſtpoſitis, nobis effrigitantibus morem gerere non dubitaſti, & tam multorum dierum labore ſuſcepto ſingularum Europearum rerum nobis non ieiunè, vt alteris, ſed copioſè rationem reddidiſti. LINVS. Ego etiam Michaëli noſtro ingentes gratias ago, agamq; dum viuam, nam referre me nequaquàm poſſe, mihi perſuadeo, quandoquidem plus ex eius ſermonibus, quàm ex aliorum præceptorũ doctrina didici, ſperoq; fore, vt hinc doctior euadens, multos alios Europearum rerum rudes, hac tã neceſſaria cognitione imbuam. MANCIVS. Meritò profectò ambo gratam animorum veſtrorum propenſionem erga Michaëlem oſtendiſtis, qui veſtræ poſtulationi concedens, laborem hunc perferre non dubitauit, & ita ſigillatim, minutatimq; ſingula perſecutus eſt, vt ſpẽ noſtrã, opinionẽq; omnino vicerit: verebamur enim, ne res tã variæ, tam minutæ, tã parũ oratione vſurpatæ, ita perſpicuè, & dilucidè exponi nó poſſent. MARTINVS. Credo equidẽ etiá hac in re diuiná prouidẽtiá

nobis

nobis præſentem fuiſſe, quæ nos ad horum colloquiorũ tam vtilium, tamq; Eccleſiæ Iaponenſi neceſſariorum, optatum finem, calcemque perduxit. IVLIANVS. Nemo eſt, qui de hac re dubitare poſsit, cũ etiam res ipſas memoria tenere, eaſq; per tot, tãq; varias itinerũ difficultates in aduerſaria referre fuerit difficillimũ. LEO. Reliquum eſt, vt cum reuerendo patre viſitatore de colloquijs his inter nos habitis, eleganti ſermone Iaponico ſcribendis, & excudendis agamus. LINVS. Curabit id pater ipſe diligenter faciendũ, cùm vtilitatis noſtræ cauſa typos ex Europa cõparatos ad nos vſq; detulerit. MICHAEL. Ego meo nomine, veſtrũq; omnium immortales Deo Optimo Maximo gratias ago, qui mihi laborem hunc non inanis ſtudij cauſa, ſed communis fructus ſpe ſuſcipiẽti ſemper opitulatus eſt, ſperoque, non ſolũ ex noſtro felici in patriam reditu, ſed ex hoc mutuo ſermone toties à nobis repetito, multorũq; memoriæ in poſterũ mandãdo, magnã aliquã vtilitatẽ in noſtros homines, totãq; Eccleſiam Iaponẽſem, cũ ſumma patrũ omniũ alacritate redundaturam.

FINIS.

INDEX
rerum insigniũ, quæ his colloquijs continentur.

A

Academia complutensis honorificè legatos excipit. Pagina. 209.
Academia Conimbricensis nobilissima est. 354.
Academiæ florentissimæ sunt apud Europeos. 148.
Academiæ quas artes edoceant auditores. 150.
Academiæ ferè omnes legatos humanissimè exceperunt. 341. 347.
Acus nauiculatoriæ vsus. 51. 53.
Æthiopes exleges sunt, & irreligiosi. 44.
Albertus augustissimus cardinalis Lusitaniæ totius gubernator. 57.
Idem perhumaniter legatos excipit. 178. 347.
Alexander Farnesius illustrissimus cardinalis exclarissima Parmensiũ ducum familia. 231. Idem egregium quoddam templũ patribus Societatis apud vrbem Romam ædificat. 248.
Alexandro Valignano patri Societatis præpositi prouincialis in India munus imponitur. 47. Idem Visitator in secũda præfatione. Item pagina. 4. 15. &c. Passim reperies.
Alfonsus Lusitaniæ rex iter Hierosolymitanum aggreditur. 142.
Alfonsi Alburquercij inuicta fortitudo. 31.
Allobrogũ clarissimus dux quinque opera aurea gẽmis ornata mittit vxori. 93.
Alicantum mediterranei maris portum ingrediuntur legati, & peramanter excipiuntur. 212.
Ancona Agri Picẽni metropolis iucundè legatos excipit. 288.
Anglia insula quædam valdè nobilis. 250.
Angoxæ insulæ magnum angorem legatis pariunt. 372.
Antonius diuus Olysippone natus mirè colitur apud Patauinos, & Lusitanos. 323 352.
Aragoniæ regnum totius Hispanici dominatus fundamentum. 193.
Aranjuetium amœnitate, & cultu celeberrimum. 203.
Arces Europeæ, qua ratione ædificentur. 128. Item quibus machinis oppugnentur. 134.
Arma Europea qualia sint. 105.

Arma sumere an cogantur Europei. 129.
Armarium regium Olysipponense. 160.
Armarium regium Matriti. 206.
Armarium Venetum multis armorum generibus abundat. 310.
Arius Gondisalus Miradensis optimæ hospitia in naui legatis in Iaponiam redeuntibus parat. 378.
Artes liberales explicatur. 150. Earũ discendarũ ordo, & vtilitas. 151.
Arx Archangelo Michaëli apud vrbẽ Romã dedicata describitur. 258.
Ascanius Columna cum alijs gratissimis viris legatis occurrit. 345. Idem ad conuiuium legatos inuitat, & musicum instrumentũ eisdẽ donat. 346. Cardinalis postea creatur. 345.
Asia prouincias multas, & regna continet. 5. Eadem vsq; ad sinum Arabicum procurrit. 19.
Astrolabij vsus, & declaratio. 49. 50.
Astrologi veteres allucinati sunt de terra torridæ zonæ, & circulis Arctico, & Antarctico subiecta disputantes. 38. 42. 43.
Assisium sacratissimum corpus habet Diui Francisci. 284. Item corpus D. Claræ. 285.
Assistentes Societatis IESV Romæ in domo professorum. 252.
Auiarium Hetruriæ ducis iucundissimum. 226.
Aurea Chersonesus, quæ, & cur ita dicatur. 18.

B

Baleares insulæ summa iucunditate legatos excipiunt. 213.
Barcino celebris Hispaniæ vrbs legatos recipit. 341. Eadem sacris Diuorũ reliquijs abundat. 341.
Bella mouere ad quos potissimùm pertineat. 87. 125.
Bella apud Iaponicos multa sunt. 126. 127.
Bestiæ prodigiosæ magnitudinis. 208.
Bethlemica turris in tractu Olysipponensi admirabilis fabricæ. 157.
Biuilacus comes legatos beneuolentissimè complectitur. 325.
Bonæ spei promontorium. 40. 53.
Bononia Æmiliæ prouinciæ metropolis legatos excipit peramanter. 289. Eiusdẽ sumptuosissima opera, & sacræ Diuorũ reliquiæ. 290.
Burgensium cum Toletanis antiqua contentio. 197.

C

Cælum in quinq; præcipuas partes, siue circulos Astrologi diuidũt. 38.
Cælum rotundum est, non quadratum, vt falsò existimant Bonzi Iaponenses. 39.
Cæli ambitus in quatuor præcipuas graduum partes diuiditur. 50.
Cæsar augusta totius Aragoniæ caput, festiuè legatos excipit. 343.
Eiusdem vrbis templum religiosissimũ B. Virgini adhuc viuenti à D. Iacobo erectũ. 343. Ibidem mirè colitur imago quædam B. Virginis. 344. Eiusdem vrbis nosocomium celeberrimum. 344.
Cantandi, pulsandiq; rationem Europeam non probant omnino Iaponenses. 110.
Cantus varius, & multiplex apud Europeos. 110.
Cardinales vnde nuncupentur, & eorum dignitas, ac numerus. 59. 60. Iidẽ qua ratione conueniant, & quem ordinem seruent in summo pontifice eligendo. 270. Consolatorium nuntium ad legatos mittunt. 266. Humanissimè se gerunt cum legatis. 282.
Cardinalis Garrafa Societatis amicissimus Iaponiam iuuat. 281.
Catharinæ Bononiensis sacrum cadauer incorruptum. 290.
Catharina ducis Brigantini mater legatos tractat perhumaniter. 185. 346.
Catinus ex smaragdo confectus, quo Christus Dominus paschalis agni conuiuium cum discipulis iniit. 339.
Cauea quædam apud Florentinos insignis. 227.
Celæ parthenon vetustate clarissimus apud Olysipponenses. 164.
Characteres Europei quãtum differant ab alijs. 149. Sinici, & Iaponici difficillimi sunt. 149.
Charitas Christiana notissimus est Christianorum vultus. 264.
Christi Domini cruci affixi imago quædam admirabilis. 349. Item mira quædã statua Christũ Dominũ adhuc infantẽ repræsentans. 181.
Christiana Respub. quantum differat ab Ethnicis. 246.
Christianæ religionis vis admirabilis. 32. 65. 152. 407.
Christiani quomodo se gerant erga victos in bello. 134. 138.
Christiani Diui Thomæ ad veram pietatem traducuntur. 44. 45.
Christiani perpetuũ bellum gerunt cum Saracenis. 137. 138. Iidem & si linguis dissoni, vnũ tamen Deum prædicant, & vitæ suæ exemplo testantur. 44. 66.

Circuli cæleſtes. 38.
Claræ Diuæ venerandũ cadauer myſtericrũ imaginib⁹ inſignitũ. 285.
Claudius Aquauiua præpoſitus generalis Societatis IESV beneuolentiſsimè legatos excipit. 252. 63.
Clauicymbalum quoddam admirabile. 230.
Clodia vrbs Venetæ iuriſdictionis legatos perhonorificè tractat. 293.
Cocinenſis vrbis ſitus, indigenæ, mercium copia. 25.
Cocinum prima fuit colonia Luſitanorum in India. 30. Huc Indicæ merces comportantur, & in naues Luſitanas imponuntur. 48. Eiuſdem vrbis rex cur facultatem conceſſerit Luſitanis domos ædificandi .25. Idem Luſitanos omni auxilio deſtitutos tuetur, & cum eiſdem ſocietatem init, 28.
Cœnobia Europea multa ſunt, & nobilia. 145. Eorum reditus ampliſsimi ſunt. 146. 153. Cœnobiũ Bethlemicũ apud Olyſiponenſes nobiliſsimum eſt. 157. Cœnobium. D. Dominici ampliſsimũ. 167. Item B. Virginis Annuntiationi deuotum. 168. Cœnobiũ. D. Benedicti. 169. Sanctiſsimę Trinitatis. 171. D. Franciſci. 171. B. Virginis a Carmelo nomen habentis. 171. Diuæ Annæ. 172. D. Auguſtini. 173. Itẽ canonicorum regularium. D. Auguſtini. 175. Cœnobiũ celeberrimum in Hiſpania ab Aqua lupi nomen habens. 186. Itẽ Cœnobiũ Scurialenſe, opus planè regiũ, & magnificentiſsimum. 205. Cœnobium quoddam inſigne ſacrarum virginum Viterbij. 229.
Sanctæ Claræ apud vrbẽ Aſiſiũ. 285. D. Antonij apud Patauinos. 322. Item religioſorũ virorũ ex Carthuſiana familia propè vrbẽ Māruam. 328. Eorumdẽ Papiæ .337. Cœnobium. D. Hieronymi ſacro cadauere Diuæ Engratiæ Luſitanæ nobilitatũ. 344.
D. Benedicti apud oppidum Sanctarenũ. 349. Diui Dominici ibidem. 349. Cœnobium Conimbricenſe Sanctę cruci dedicatũ magnificentiſsimum eſt, & quinq; ſacris cadaueribus ſanctorum martyrum nobilitatum. 352.
Collegia Societatis IESV varijs in locis ædificata, quorum multa per beneuolè legatos excipiunt. Collegium Romanũ. 248. 253. Germanicum quo conſilio exædificatũ ſit. 250. Anglicanum. 250. Maronitarum. 251. Patauinũ. 322.. Bononienſe. 290. Mediolanenſe. 333. 335. Cæſarauguſtanũ. 343. Conimbricenſe. 350. 356. Olyſipponenſe. 174. Eborenſe. 181. Complutenſe. 209. Villaregiæ. 210. Apud vrbẽ Belmontẽ. 210. Murcianum. 211. Toletanum. 191.

In

In curia regia Matriti. 191. 200. Cocinense. 44. Goënse. 45.
Coloniæ Lusitanorum variæ apud Indian. 30.
Comorinum fretum periculosum est. 21.
Complutensis Academia. 209. Complutenses legatos tractant perhonorificè. 209. 345. Complutum valdè in Hispania celebre. 209.
Conimbrica vrbs vna ex præstantissimis Lusitaniæ honorificè, & peramanter legatos excipit. 350. Eadem describitur. 351. Conimbricensis Academia. 354. Eadem festiuissimè legatos excipit. 358. Eiusdem vrbis præsul perbenuolè legatos tractat. 361.
Constantini imperatoris mirificum studium amplificandæ Christianæ religionis. 80.
Constantini Molini viri patritij miram beneuolentiam experiuntur legati. 317.
Coulani Societatis est domicilium, & seminarium. 451.
Cremonenses ciues maximo applausu legatos excipiunt. 330.

D

Dayrus Iaponiæ rex legitimus è possessione antiqua deiectus. 127.
Damnati capitis apud Europeos, qua ratione præparentur ad mortẽ. 121. Iisdem iam occisis, quomodo se gerant magistratus erga filios, & vxores eorum. 122.
Daroca sacro sanctæ Eucharistiæ prodigio nobilitata. 345.
Dignitates, qua ratione obtineantur apud Europeos viros. 77. 81. Earũ varietas, ac dissimilitudo. 81. 82. Europeorum principum dignitates an conueniant cum Iaponensibus. 82.
Diuites, ac locupletes viri, qui dicantur apud Europeos. 88. 89.
Domus Beatæ Virginis, qua ratione translata sit ab Angelis in oppidum Lauretanum, & quàm religiosè colatur. 286.
Domus Indica in vrbe Olysipponensi. 160.
Domus professa Societatis IESV apud Olysipponenses. 169. Apud Toletanos. 191.
Domus Romana. 248. 251. 252.
Domus probationis in vrbe Roma. 249.
Domus Pœnitentiaria. 249.
Domus professa Venetijs. 294. Mediolanensis. 335.
Domus Goënsis. 45.
Domus regiæ supellectilis Matriti. 207.

Duces, Marchiones, & Comites possint ne criminosos homines morte mulctare? 124.
Dux Brigantinus in Lusitania celeberrimus, legatos excipit perhonorifice. 184. 185.
Dynastæ cuius potestati subsint. 76. Dynastarum maxima dignitas, & amplissimi reditus. 76. 86. 87.

E

Ebora vna ex vrbibus Lusitaniæ præstantissimis. 180. 181. Benevolè excipit legatos. 346. Eborensis Academia animos legatorum lætificat varijs carminum generibus, & lepidissima Ægloga. 347.
Eduardus Brigantini ducis frater Iaponicis vestibus induitur. 185.
Eduardus Menesius Indiæ prorex benevolentissimè legatos complectitur. 376. Idem dona legatis dat. 376. Eiusdem mors. 376.
Educatio puerorum apud Europæos vsurpata. 103.
Electores imperij qui sint, & eorum numerus. 78.
Elisabethæ Lusitaniæ reginæ sanctitas singularis. 353.
Emmanuel Lusitanorum rex Indicam navigationem aperit. 27. Idem dona mittit opulentissima summo Pontifici. 245.
Emundus Campianus è Societate IESV, pro Christo sanguinem, & vitam fundit. 251.
Engratia Lusitana cælestem martyrij palmam obtinet. 344.
Equites D. Stephani quinam sint. 216.
Equites à summo pontifice quibus donentur insignibus. 280.
Equites Europei miram operam ponunt in equestri exercitatione. 108.
Equile regium Matriti. 206.
Equorum Europeorum elegans forma, & ornamenta. 99. In currendo, atque in pugnando singularis exercitatio. 100.
Ethnicorum figmenta circa religionem. 44.
Eucharistiæ sanctæ miraculum. 345. 348.
Euerardus Mercurianus præpositus generalis Societatis IESV. 252.
Europa omnium orbis terrarum partium excellentissima. 407. Eiusdem laudes. 408. antefertur Asiæ regioni. 399.
Europæ nomine quænam regio significetur. 4. Eius amplitudo, & magnificentia. 4. 221. 329. Europea gens candida facie, & elegantia. 117.
Europeorũ principum liberalitas erga legatos. 36. Europea domicilia magnificè

magnificè,& affabrè cõstructa. 88. Supellex,& vestis lautissima. 89. 92. Vrbanitas multiplex. 90. Famulorũ multitudo, & apparatus. 95. 96. Conuiuia splendidissima. 97. Europeæ fœminæ illustres quo modo iter faciant. 101. Ludẽdi ratio iucunda,& multiplex. 104. 106. Gubernationis varia genera. 114. Europei maximè suos principes reuerentur. 119. 120. 127. Rem militarem magnopere exercent. 129. 337. Qua ratione disponant exercitus. 130. 132. Bene affecti sunt in Iaponicam gentem. 179. Qualis sit eorum habitatio. 145. Multum ingenio valent. 189. Magnam habent rationem ordinis,ac dignitatis in rebus publicis. 197. Cur tam benevolè exceperint legatos. 211. Europeorum principum magnificentia in necessitatibus miserorum hominum sublevandis. 246. Europeorum regnorum amplitudo. 83. Europæ opulentia. 242. 245. Eius causæ explicantur. 363. Exequiæ quomodo soluantur summo Pontifici. 267.

F

Ferraria vrbs nobilissima summa gratulatione excipit legatos. 290. Eadẽ munitissima est. 292. Eiusdem vrbis dux perhumaniter se gerit cum legatis. 290. Ducis eiusdem opulentia, & amplitudo. 290. eius sacellum admirabili structura insigne,& sacris reliquijs plenum. 292. nauigium artificiosè confectum. 293. Eiusdem ducis vxor benignè legatos tractat. 292.
Filiorum Europeorum erga parentes amor, & fidelitas. 142.
Florentia caput totius Hetruriæ, pulchræ nomen iure sibi vendicat. 218. Eiusdem res sacræ conspectu,& admiratione dignissimæ. 227. Templum maximũ admirabilis structuræ. 228. Florentinus Archipræsul,idemq; illustrissimus cardinalis peramãter legatos tractat. 218.
Fœminæ religiosæ quãplurimæ sunt, & nobilissimæ apud Europeos. 64. 65.
Fons admirabilis, ante palatium Hetruriæ ducis. 219. Item,alij in villa Pratolina. 224. Fontes publici Olysipponenses. 163.
Fontes Eborenses. 181.
Formosa insula, ad cuius scopulos nauis Lusitanorũ allisa frãgitur. 14.
Francisca Legionensis per benevolè legatos excipit. 210.
Franciscus Borgia præpositus generalis Societatis IESV. 64. 252.
Franciscus Mascarenius Villadortæ Comes perhumaniter legatos excipit.

pit. 35. 346.
Franciscus Xauierius in insula Sanciana excedit è vita. 396.
Franciscus Ximenius fundator Academiæ Complutensis. 209.

G

Galliæ regnum florentissimum est. 203.
Gambarensis cardinalis locum quendã amœnissimũ construxit. 230.
Gaspar Gondisaluus orationem habet elegantissimam. 235.
Gaspar Quiroga illustrissimus archiepiscopus Toletanus. 191.
Gemmarum pretium, & virtus. 93.
Generales præpositi Societatis IESV vsque ad hoc tempus. 252.
Genua vrbs inter Italiæ nobilissimas locum habet. 338. Eadem opulentissima, & locupletissima est, & propter magnificentiã superbæ nomen obtinet. 339. Sacris diuorum reliquijs abundat. 339. Eius aspectus amœnissimus est. 338. Ciues perhumaniter legatos excipiunt. 339. Dux humanissimè eosdem tractat. 340. Senatus munera legatis donat. 340.
Georgius Meneses Mozambiquensis arcis præfectus honorificè legatos habet. 372. 374.
Germania sedem habet imperatoriam. 80.
Goa Lusitani imperij in India caput. 30. 31. Goa in varias Indiæ prouincias patres Societatis excurrunt. 40. Goæ humanissimè excipiuntur legati. 33. Tria sunt optima domicilia patrũ Societatis. 45. Goënsem portũ secundò ingrediuntur legati maxima cum omnium iucunditate. 376.
Gradus quot terra complectatur, & spatium vnius cuiusq;. 50.
Grantiela cardinalis illustrissimus. 197. Benenolè complectitur legatos. 203.
Gregorius. XIIJ. summus pontifex inexplicabili pollens maiestate. 235. Collegium Romanum instituit, & eius reditus auget. 249. Amplificat reditus Collegij Germanici. 250. Viginti Collegia, seu in aria q; instituit in diuersis locis. 246. Necessitati Iaponensi prouidet. 68. Legatos ad se properare per nuntiũ iubet. 229. Eosdem iubet excipi perhonorificè. 233. Lætitia in excipiendis legatis. 235. Erga eosdẽ humanitas. 236. 242. 245. 259. 260. 261. In eosdem liberalitas. 242. 246. Idem legatos inuitat, vt sacro interfint in templo Mineruæ faciendo. 242. Multa peramanter de Iaponicis rebus interrogat. 260.

Iubet-

Iubet indicē ſibi dari earum rerum, quibus legati maximè oblectarentur. 261. Eiuſdē mors propè repentina maximo dolore cunctos affecit. 265. Eiuſdē exequiæ celeberrimæ. 266.
Gynecæa, ad quæ ſe colligunt fœminæ multæ, vt meliorē viuēdi normam inſtituant. 148.

H

Helquium Hiſpaniæ oppidum tractat legatos peramanter. 212.
Hetruriæ dux illuſtriſsimus, idēq; dynaſta opulentiſsimus. 214. Legatos excipit peramanter. 215. 218. Eiuſdem palatium magnificentiſsimū. 219. Eiuſdē Villa Pratolinia deſcribitur. 222. Eiuſdem vxor ſuam ſupellectilē legatis iubet oſtendi, & eos perhumaniter tractat. 228.

I

Iacobus Lainez præpoſitus Generalis Societatis IESV. 252.
Ianellus Turrianus Cremonenſis artifex celeberrimus. 189.
Iaponia ad quam mundi regionem pertineat. 5. Iaponenſes ante patrū Societatis aduentum nullam ferè notitiam habebant de rebus Europeis. 4. 7. 34. Eorū veſtes. 34. Eorum dignitates quales ſint. 82. Apud eos redituū ratio quomodo ſubducatur. 85. 86. Iidē qualiter ſedeāt. 91. Quanti faciāt ſua opera etiam ex luto confecta. 94. Non probant modum cibi ſumendi vſurpatū apud Europeos. 97. Qua ratione tripudient, ac ludos celebrent. 111. Cuſtodiæ, ſeu carceris impatientiſsimi ſunt. 117. Iaponenſes Toni, ſiue principes facilē ſibi ſubditos vita priuant. 118. 120. Fortunas damnatorum occupant. 122. 124. Iaponenſes facilē deficiunt à principibus ſuis. 127. Mutuo ſe vendunt. 138. 139. Vt emantur à Luſitanis, prohibitū eſt. 139. 140. Nobilium habitatio vbi, & qualis ſit. 145. Iaponica regio cum Sinica comparatur. 403.
Ignatius Loyola Societatis IESV fundator. 252.
Ignatij Limij nauem legati conſcendunt, & maris moleſtias incipiunt experiri. 10.
Imago quædam celebratiſsima Beatæ Virginis apud vrbem Florentiam. 227.
Impedimenta Iaponenſis expeditionis numerantur. 9.

Imperator quomodo eligatur. 77.
Imperatoria ſedes primũ Romæ conſtituta eſt, deinde in Thracia, poſtremò in Germania. 77. 80.
Imperatoriã maieſtas paulatim imminuta eſt. 76.
Imperatoria dignitas tam à multis annis è clariſſima Auſtriacorum familia non diceſſit. 77.
Imperatoris filia religioſæ vitæ ſe conſecrat. 65. Eiuſdem coniux ſanctiſsimè vitam inſtituit. 65. Per benignè ſe habet cum legatis. 201.
Indica regio, quibus potiſsimùm mercibus abundet. 29.
Indiæ tempus hyemale quando, & quale ſit. 33.
Indicorum hominum genus, & mores. 36.
Indigenæ in India, qui appellari debeant. 36.
Ingenui viri, qua re potiſsimùm differant à vulgaribus. 2.
Inſula. D. Helenæ amœniſsima eſt. 49. 55.
Ioanna Aragoniã ducis Pullani vxor domum probationis Societatis IESV. apud vrbem Romam ædificat. 249.
Ioannes hoc nomine ſecundus, clariſſimus Luſitaniæ rex, Indicã nauigationem ab Henrico principe antè tentatam aperire conatur. 27.
Ioannes iij. Luſitaniæ rex Franciſcum Xauierium, & Simonem Rodericum aſciſcit. 174. Collegium Societatis Olyſippone inſtituit. 174. Item Conimbricenſe Collegium fundat. 356.
Ioannes Auſtriacus claſſi præficitur contra Saracenos, & ſingularem victoriam reportat. 136. 137.
Ioannes Mendoza Toletanæ Eccleſiæ archidiaconus peramanter tractat legatos. 189. Poſtea cardinalis creatur. 189.
Ioannes Borgia Gandiæ ducis filius perhumaniter ſe gerit cum legatis. 202. Idem reliquias pretioſiſsimas Olyſipponenſi domui patrum profeſſorum è Societate donat. 202.
Ioannes Brigantinus Tentugalenſis comitis filius multa amoris ſigna erga legatos oſtendit. 202. 361.
Ioannetinus Spinola Andreæ Oriæ ſupremi nauarchi nepos honorificẽtiſsimè legatos in Hiſpaniam tranſmiſſuros excipit. 340.
Irene virgo pro tuenda mentis, & corporis integritate mortẽ oppetit. 350.
Italia omnium Europæ prouinciarum celeberrima eſt. 214.
Italiæ quatuor vrbes inter alias celebratiſsimæ. 333.

Itineris faciendi ratio apud Piſcariæ incolas vſurpata. 24.
Iulij .iij. pontificis maximi tempore collegium Germanicum inſtituitur, & poſteà à Gregorio Xiij. fundatur. 250.

L

Lamberti martyris ſacræ reliquiæ Cæſarauguſtæ ſumma cum religione obſeruantur. 344.
Lampas quædam admirabilis in altiſſima turri portus Liguſini collocata. 214.
Lauretanæ Virginis templum celeberrimum eſt. 286.
Lecticarum Europearum multitudo. 102. 247.
Legationis Iaponenſis cauſæ tres potiſſimùm redduntur. 4.
Legati Iaponenſes à quibus regibus miſsi fuerint. 8. Maris molestias experiuntur. 10. 11. 12. &c. In magnum diſcrimen incidunt amittendæ libertatis. 24. Qualibus veſtibus vſi fuerint. 33. Eadem benevolentiæ ſigna apud omnes Societatis patres experiuntur. 47. 57. Periculum grauiſsimum vitant. 214. Ad tripudium inuitantur, non ſine magno ipſorum rubore. 216. Quo animo ſint Romam profecti. 233. Eorum ingreſſus in vrbem Romam deſcribitur. 233. 234. &c. A nobiliſsimis aliis legatis frequenter inuitantur. 262. In variis Italiæ vrbibus honorificè excipiuntur. 284. 286. 289. Grauiſsimo dolore afficiuntur, Gregorio. xiij. Summo pontifice è viuis excedente. 265. E Luſitania in Indiam redeunt. 365. Ingens maris periculu effugiunt. 367. 374. 378. In vada Zofalenſia non ſine maximo periculo incurrunt. 368. Secundò appelluntur in Goënſem portum. 376. Eorum honeſtæ occupationes. 377. Duos ferè annos in portu Macaënſi conſiſtunt. 400.
Legatorum officium quod ſit. 261.
Legatus Henrici Galliæ regis benevolum ſe præbet erga legatos. 202.
Leonora Maſcarenia ex nobiliſsima Luſitanorum familia. 201.
Lodium vrbem celebrem maxima ciuium gratulatione ingrediuntur legati. 331. Ibidem Petauriſtarum ſpectaculum incuncta ſim ũ exhibetur legatis. 331.
Ludouicus Granatenſis per totum orbem notus. 168.
Luſitani apud Indiæ populos magni fiunt. 26. Eorũ fides, & fortitudo. 25. 26. 31. 32. Luſitani imperij in India propagatio. 27. 28.

Luſitani reges æterna memoria digni. 155. Eorum regia magnificentia erga patres Societatis IESV. 68.

M

Macaënſem portum ingrediuntur legati. 13.
Macaënſes incolæ, qui ſint. 13.
Magiſtratus muneribus ſuis perfuncti, ſeuerè examinantur in Europa. 124.
Magnetis vis admirabilis. 51.
Mahomettus Saracenorum dux peſtilentiſſimus. 137.
Malaca vrbs in India vlteriori celebratiſſima. 18.
Malacenſes incolæ ferè omnes Chriſtiani ſunt. 19.
Mancius ſanctiſſimus Chriſti martyr. 181.
Manomotapæ regnum auro magnoperè abundat. 373.
Mantua vrbs feſtiuè legatos excipit. 326. 327. Eſt vna ex pulchertimis, amœniſſimis, & munitiſſimis totius Italiæ. 326.
Mantuanus dux, eiuſq; filius princeps maximo honore legatos proſequuntur. 325. Iidem dona legatis offerunt. 329. Idem dux canendi artem egregiè callet. 327. Eiuſdem ducis vxor maximam affabilitatem erga legatos oſtendit. 327. Eadem mirè ſe exercet in pauperibus, & ægrotis ſubleuandis. 328.
Marchio Roborenſis cum equitatu obuiam procedit legatis. 289.
Marcus Antonius Columna ſummi pontificis triremib⁹ præfectus. 136.
Mare Iaponicum, & Sinicum vadoſum eſt. 11. Maris, vndarumq; commotio. 12. 54. Maris altitudo tentatur. 21. Maris moleſtiæ, & inconſtantia. 366. Eiuſdem pericula. 366.
Maria Emmanuelis regis filia ſexagenaria Virgo. 168.
Martinus Azpilcueta Nauarrus toto orbe celebratus. 355.
Martinus Alfonſus Soſa totius Indiæ gubernator. 171.
Matritum, ſiue Mantua Carpetana Philippi potentiſſimi regis curia. 191. 194.
Mediolanum vrbs totius Italiæ frequentiſſima. 332. Eadem vrbs deſcribitur. 334. Legatos excipit perhonorificè. 332.
Mediolanenſes principes humaniſſimè ſe gerunt cum legatis. 335.
Mediolanenſis gubernator, idemq; illuſtriſſimus dux ad portam ſuburbanam legatis obuius eſt factus. 332. Eiuſdem erga legatos humani-

manitas, & magnificentia. 336. Mediolanensis vrbis opulentia. 332.
Eiusdem arx omnium totius Italiæ munitissima. 334. 336. &c.
Templum maximum est magnificentissimum. 335.
Memoria rerum illustrium non facile deletur. 2.
Michaëli legato narratoris persona imponitur. 3.
Miraculorum edicio Christianâ veritatè certissimè contestatur. 356.
Misericordiæ Sodalitas in vrbe Olysipponensi est celeberrima, & tanquam mater reliquarum omnium. 16.
Monarchiæ sacræ partes, ac dignitas. 58. 59. Monarchiæ profanæ munus, ac necessitas. 59. hæc cum omnibus gentibus communis est, sed multò præstantior inter Christianos viros. 74. Indiget aliquo principe viro, qui rem totam administret. 75.
Mondæ fluuij Conimbricensis pons magnificentissimus. 353.
Monsanum oppidum Aragoniæ. 341.
Mons maior oppidum Lusitaniæ excipit legatos perhonorificè. 1806.
Montes pietatis. 147.
Mons serratus describitur. 342. Montis serrati celebratissimũ templũ B. Virgini dedicatum. 242.
Mozambiquium appelluntur legati. 372. Mozambiquienses incolæ qui sint. 372. Plic sex ferè menses legati in hybernis sunt. 373. Inde soluentes in grauissimum periculum incidunt. 374. Huius insulæ cælum admodùm insalubre. 54.
Muranus locus Venetijs celeberrimus, vbi vitrea opera conficiuntur. 320.
Murciæ magistratus peramanter se gerunt cum legatis. 211.
Murus quidam admirabilis apud Smas. 380.
Musica instrumenta in Europa sunt varia. 109. Musicum instrumentum miro artificio confectum. 258.
Mutius Gonzaga ducis Mãtuani consanguineus legatis occurrit. 325.

N

Nabantia oppidum nobile Lusitaniæ. 350.
Natale Olysipponense. 159. Venetum. 318.
Naues Lusitanæ magnitudine, & robore multũ laponicas superant. 21.
Naues quædam admirabiles. 135. 136. Quamplurimæ Venetijs conficiuntur. 318. E Lusitania in Indiam soluentes qua ratione

rebus

rebus neceſſarijs ad victum inſtruantur. 366. 367. Nauis à Diuo Iacobo nomen habens naufragium facit. 370. Nauium varia genera Oceanum perlustrant. 135.
Naufragium patiuntur Luſitani. 14. 16. 54.
Nauigantes multa patiuntur incommoda. 48. 55. 366.
Nauigatio è Luſitania in Indiam longiſſima eſt. 48.
Nautæ quid faciant tempore, quo cælum eſt nubibus obductũ. 51. 52.
Nautæ Luſitani à barbaris capti, multa ſuſtinere coguntur. 371.
Neapolis vrbs florentiſſima deſcribitur. 283. Neapoli tria habent domicilia patres Societatis IESV. 284.
Nigro colore multæ gentes ſunt præditæ. 36. 37. Nigri coloris cauſa, & origo. 37. 40. &c.
Nobunangæ tabulas à patre Alexandro Valignano miſſas, Gregorius xiij. Summus pontifex magni æſtimat. 260.
Nonius Aluarus Pereira nominis celeberrimi inter Luſitanos. 171.
Nonius Rodericus collegij Goënſis rector legatos Europam adeuntes comitatur. 47.
Noſocomium. D. Lazari. 172.
Noſocomium regium Olyſipponenſe. 166. Cæſarauguſtanum. 344.
Nummiſmata cudendi, expendendiq; varia ratio. 305.

O

Oceanus prædonibus infeſtus. 135.
Oliueti comes illuſtriſſimus legatos perhumaniter tractat. 262.
Olyſippo regni Luſitani caput deſcribitur. 154. Nulli cedit ex vrbibus Europeis. 156. Eius natale. 159. Regium palatium. 159. 174. Varia, & ornatiſſima templa, ædes, & palatia magnifica. 156. Armarium regium. 160. Indica domus. 160. Publici fontes. 163. Icus nouus deſcribitur. 165. Noſocomium regium. 166. Vrbis amplitudo. 169. Equeſtris exercitatio. 172. Mercatus celeberrimus. 168. Stabulum quoddam ampliſſimũ. 172. Arx munitiſſima. 173. Senatus ornatiſſimus. 175. Olyſipponenſem portum ingrediuntur legati. 56. Infinita propè nauium in hoc portu multitudo. 56. Eiuſdem vrbis gratiſſimus aſpectus, & magnificentia. 56. Olyſipponenſis pagus ſummopere excellit, & multis rebus abundat. 161. 177.

161. 177.
Orationi pro legatis habitæ respondetur nomine summi pontificis Gregorij, Xiij. 236.
Orbis terrarum in quinque præcipuas partes diuiditur. 5. Sũmatim describitur. 400. 409. Singulæ partes enucleatiùs proponuntur. 409. 410. 411.
Ordo ab Europeis in iudicijs seruari solitus. 115. 116. 117. &c.
Orientalis cæli natura. 13
Oriuela vrbs magno applausu legatos excipit. 212
Oropesæ comes illustrissimus magnificentissimum hospitium legatis præbet. 346.

P

Padus fluuius Ferrariam munitissimam reddit. 292.
Palatium regium Olyssipponense describitur. 159.
Palatium sacrum, & templum magnificentissimum. D. Petro Apostolorum principi Romæ dicatum. 237.
Paleottus, & Saluiatus illustrissimi cardinales perhumaniter se gerunt cum legatis. 289. Paleotti mira humanitas, cum frugalitate coniũcta. 290.
Papia vrbs celebris Italiæ festiuissimè legatos tractat. 338.
Parœcia. D. Stephani in vrbe Olyssipponensi locupletissima est. 163.
Pardus, & Saltus Segobiensis ad venandum aptissimus. 203.
Parthenon sacrarum virginum, quæ. D. Francisci institutum sectantur in vrbe Conimbricensi. 353.
Patauij Academia celeberrima. 323. Atrium quoddam magnificentissimum. 323. Amplissima ædificia, & hortus celebratissimus. 323.
Patres Societatis IESV Iaponenses amant, & vbiq; cõmendant. 179. Eorum occupatio. 14. Eorum in India domicilia. 44.
Perusia vrbs nobilis perbenuolè tractat legatos. 285.
Petauristarum spectaculum iucundissimum. 331.
Philippus rex potentissimus in Hispania. 192. Multorum regnorum est dominus. 192. 193. Eius reditus amplissimi sunt. 194. Matriti suam sedem habet. 194. Philippum eius filium Hispaniæ magnates principem recognoscunt. 195. 196. &c. Lusitanum regnum

iure occupat. 193. Legatos perhonorificè tractat. 198. Multa de Iaponicis rebus interrogat. 199. Perhumaniter templum Societatis inuisit. 208. Dona legatis impertit, & commendatitias epistolas. 209. 343. Philippus rex, & Respub. Veneta cum summo pontifice Societatem ineunt contra Saracenos. 136.

Philosophia moralis quæ sit. 150.

Piscaria multis priuatis patrum Societatis domicilijs abundat. 45.

Piscariæ patres peramanter legatos excipiunt. 221. 231. Cur illi sit hoc nomen inditum. 22.

Pisæ Hetruriæ vrbs secunda post metropolim perhonorificè legatos tractant. 215.

Pius quintus summus Pontifex domũ Pœnitentiariam patribus Societatis committit. 249.

Plebeij homines in Europa, nobiles, & ingenuos viros reuerentur. 116.

Prælium quomodo committatur apud Europeos. 133.

Præmia varia, & multiplicia proponũtur in ludis publicis. 106. 107.

Præpositi generales Societatis IESV vsque ad hoc tempus, scilicet annum 1590. pag. 252. Maximè exploratam habent suorum cognitionem. 253.

Principes Christiani cur patribus Societatis in Iaponia degentibus magnificè prouideant. 68.

Principes regum filij perhonorificè, & peramanter tractantur à patribus Europeis. 142.

Procuratoriæ D. Marci Venetijs. 302.

Procuratores Veneti, magistratus omnium grauissimi. 302.

Proregis Indiæ dignitas, & autoritas. 31.

Prorex Neapolitanus maximam amplitudinẽ præ se fert. 284.

Pupuli scenici qua ratione exhibeantur. 225.

Q

Quambaquundonus totius Tenquæ Iaponicæ dominus. 179. Idẽ insignes victorias reportat. 377. Iaponensium venditiones lege prohibet. 140.

R

Reges Lusitaniæ quo consilio Indicam nauigationem aperuerint. 29.

Reges an legibus teneantur. 119. 123. Reges Europei an occupent alienas possessiones. 123. Quid propositum ante oculos habere debeant. 114. Eorum opulentia. 130. 140. &c. Quo præmio remunerent milites fideliter pugnantes. 141. An muliere regio se interdum abdicent, vt fit in Iaponia. 141. 142. Morbo oppressi qua ratione curentur. 143. Regia dignitas qualis sit. 76.
Religiosi viri externis bonis nuntium remittunt. 61. Tria solennia vota profitentur. 61. Quibus in rebus Episcopis subsint. 61 Quãtum differant à Bonzis Iaponensibus. 62. 63. &c. Religiosorum hominum idem finis, sed varia media. 62.
Religiosam vitam amplectuntur principes viri. 63. Quamplurimi tã viri, quàm fœminæ religiosæ vitæ se mancipant. 64. 65. 146. Religiosis viris, ac fœminis quis prouideat in rebus ad vitam agendã necessarijs. 67. Paupertatem profitentes diuina promissione nituntur. 67. Religiosæ familiæ viris abundant, qui ad altissimos dignitatis gradus euehuntur. 69.
Reliquiæ sacræ diuorum. 164. 204. 207. 254. 255. Earum prodigium admirabile. 308.
Remedia enumerantur, quibus naturæ autor caloré mediæ plagæ moderatus est. 42. 43.
Respublica Veneta libera, atq; immunis est, & mirum ordinem seruat in rebus administrandis. 81. 296. Eadem iam ante ducentos supra mille annos summoperè viget. 297. Respublicæ Europeæ qua ratione gubernentur. 115.
Respublica Genuensis florentissima est. 339.
Roma vrbs cæterarum omnium caput. 232. Præcipuas orbis terræ prouincias sub suum iugũm mittit. 75. Eius status immutatus. 76. Ipsius profana potestas ad quẽ pertineat. 80. Romanæ vrbis magnificentissima palatia, & templa. 247. Huc confluit ex omnibus Europæ partibus innumerabilis hominum multitudo. 247. Sacris diuorum reliquijs abundat. 254. Romanorum pietas erga eadẽ reliquias. 255. 256. Septẽ habet inter alia celebratissima templa. 257. Romanæ vrbis opera profana, atq; antiqua. 257. Prætiosæ villæ amœnissimæ sunt. 258.
Roma vetus qualis fuerit, ipsæ ædificiorum ruinæ significant. 240.
Rosæ cuiusdam duæ venerabile cadauer multis annis integrum perseuerat. 229.

S

Sabæorum regina miratur ſapientiam, ac potentiam Salomonis. 84.
Sacerdotum dignitas, & varia munera. 60. 61.
Saltandi, ac tripudiandi ratio cum honeſtate, & grauitate coniuncta eſt apud Europeos. 111.
Saluiatus illuſtriſsimus cardinalis magnificè tractat legatos. 290.
Sanctius nobiliſsimus vir arcis Mediolanenſis præfectus ſplendidiſsimè legatos inuitat. 336.
Sanctarenum oppidum celebre Luſitaniæ, quatuor eſt inſignium miraculis, quæ ſingulatim recenſentur. 348.
Saraceni Chriſtianæ religionis hoſtes infeſtiſsimi. 27. In India prodi-tionem Luſitanis machinantur. 28. Luſitanorum iugum ſubire coguntur. 30. Quali natura ſint. 137.
Scipio Gonzaga à Xiſto V. cardinalis creatur. 316.
Scurialenſe opus admirabile, ac planè regium. 203.
Sebaſtianus Moralis è Societate IESV Iaponenſis præſul creatus in itinere moritur. 70. 180.
Seminarium Romanum ex decreto concilij Tridentini, ſummiq; pontificis autoritate inſtitutum. 250.
Senæ vrbs nobiliſsima. 228. Templum maximum huius vrbis cum magnificentiſsimis conferri debet. 228.
Senatus, populuſq; Romanus perhonorificè legatos excipit. 262. Idē ciuitate Romana legatos donat. 263. Eiuſdem ordo, & magnificentia deſcribitur. 262.
Sfondradus cardinalis, idemq; Cremonenſis præſul, legatos perhonorificè tractat. 330.
Sinæ olim vſq; in Indiam nauigarunt. 21. Sinicum regnum quomodo adminiſtretur, & quàm amplū ſit. 379. Quindecim habet prouincias. 380. Murus quidam admirabilis apud Sinas. 380. Regnū frequentiſsimū eſt, & innumeris incolis abundans. 381. Pacatiſsimū ſaluberrimum, & abundantiſsimum eſt. 382. 383. &c. Quas potiſsimùm ferat opes. 383. Rex, & Regina quotannis ſolenni ritu in publicum prodeunt. 383. Sinica regio odorum pretioſiſsimorum ferax. 384. Eadem fictili, ſiue figlina materia optima, & candidiſsima abundat. 384. Variis plantis, atq; arboribus plena eſt. 385. In ſumma tranquillitate viuit. 385. Sinarum mores deſcribuntur.

tur. 385. Artifices peritiſsimi ſunt. 386. Sinæ inprimis literariam artem profitentur. 387. item quem ordinem ſeruent in gradibus diſtribuendis. 388. Qua ratione ſuas prouincias adminiſtret. 389. Magiſtratus diſtinguuntur, & eorũ apponuntur nomina. 389. Hi maximè obſeruantur, & coluntur à popularibus. 390. Qua ratione in ſubditos animaduertant. 390. Quem ſeruent ordinẽ in obtinendis magiſtratib⁹. 391. Rex admirabili quadam veneratione in toto regno colitur. 392. Suarum legum eſt, morumq; obſeruantiſsimus. 393. Palatium habet miræ amplitudinis, ex quo rariſsimè egreditur. 393. Sinæ vrbaniſsimi ſunt. 393. Quinq; potiſsimũ virtutes magni faciunt. 393. Eorum pietas in parentes. 394. Sinarum ſectæ multiplices. 395. Inter eos ſunt nonulli Saraceni. 396. Sinarum regnum ingrediuntur patres Societatis IESV. 396. Eoſdẽ patres in aliam vrbem cõmigrare magiſtratus iubent. 397. Difficillimè admittunt hominẽs externos. 397. Sinica regio cum Europea comparatur. 398. 399. 400. &c.

Sincapurenſe fretum anguſtũ, & periculoſum eſt. 16. Huius freti incolæ quales ſint. 16.

Societatem IESV in Europa ingrediuntur illuſtriſsimi viri. 63. Ipſamet ſibi Societas ad honorificos dignitatũ gradus aditũ obſtruxit, ad eos nunquã aſpirãdi voto ſe obligãs. 69. Quo integra domicilia Romæ obtinet, quæ ſigillatim explicantur. 248. Eius apud ſummos pontifices, & principes viros autoritas. 71. 251.

Societatis IESV patres cur in Iaponiam venerint. 6. Qua re potiſsimũ allecti Iaponiam petant, quatoq; deſiderio huiuſmodi profectionis teneantur. 472. 73. 378. Bene merentur de Iaponenſibus. 68.

Sodalitas quædam Annunciatæ apud vrbem Romã celeberrima. 245.

Sodalitatum varia genera, & munera. 146. 147.

Solis iter quodnã ſit, & quid ſuo acceſſu, vel receſſu efficiat. 38. 42.

Sphæra proponitur Iaponẽſibus, qui eius aſpectu, ac declaratione, mirificè recreãtur. 39.

Spiridion illuſtriſsim⁹ cardinalis mirificã humanitatẽ legatis oſtẽdit. 285.

Statua quædã admirabilis Chriſtũ dominũ infantẽ repræſentãs. 181.

Summus pontifex qua ratione deligatur. 269. Quo equitatu templum D. Ioannis Lateranenſis ſoleat inire, vt debitam pontificio muneri poſſeſsionem occupet. 276. Summi pontifices amplitudo, ac ſedes. 70. Eum Chriſtiani omnes recognoſcunt, tanquam ſu-

premum caput. 59. 60. 61. 79. 80. Potest principem aliquē, vel dynastam ad regiam dignitatem extollere, imò reges ipsos, ac imperatorem sua dignitate abdicare. 78. Omnibus membris tanquam supremū caput Christiana Reipub. prouidet. 68. Insignia imperatoria impertit. 77. 78. Sūmus Pontifex, imperator, ac reges qualiter se habeant inter sese, cùm grauissima aliqua de causa conueniunt. 79. Eius sacra supellex. 245. Eius ornatus iuxta tēporis varietatē diuersus est. 237. Diem celebrem quotannis agit in templo Mineruæ. 242. Quo proceßit comitatu. 243. Quid agat iā iam moriturus. 267. Quo modo eidem iusta soluantur. 268.

T

Tagus clari nominis fluuius. 155. 157. 188.
Templa in Europa quàm plurima, & amplissima sunt. 145. 146. Quo sumptu, publico ne, an priuato templa, ac religiosæ domus exerūtur. 52. Eorundē ornatus splendidissimus, & sacra supellex locupletissima. 153. Multorū ex illis structura quanti steterit. 146.
Templa cum cœnobijs coniuncta, vide in verbo cœnobia.
Templa item peculiaria vrbium, & oppidorū, vide in suis locis: exō pli gratia, Toletanum, Lauretanum. &c.
Terra incognita, quæ, & cur ita dicatur. 5.
Terræ ambitum Mathematici in quatuor membra secant. 50.
Terræ nouæ ducis, ac Mediolanensis gubernatoris filius Societatem IESV ingreditur. 63.
Theologia res super naturam positas inuestigat. 150.
Theotonius Illustrissimus archiepiscopus Eborensis peramanter legatos tractat. 180. 183. Eiusdem erga pauperes humanitas. 183. Liberalitas in legatos. 184. 346.
Timantis clarissimi pictoris exemplum dolorem maximum repræsentans. 144.
Toletum Castellæ nouæ metropolis. 186. Toletanum templum opū lenti si num est, & admirabilis structuræ. 186. 187. Opus quorūdam mirabilium aquæductuum. 188. Opus insigne cuiusdam horologij. 88. 226.
Tor[illegible]lica, qualia sint apud Europeos. 128.
Tor[illegible]ca vulgò nominata quomodo fiant. 104.

Tragœdiæ, comœdiæ, dialogi, cæteraq; id genus qualia exhibeantur apud Europeos. 112. 358. 359. 360. &c.
Trauancoris tractus. 23.
Trinitatis sanctissimæ mysteriū repræsentatū est in corde. D. Claræ. 285
Tropicorum fit mentio. 38.

V

Vallisroseti villa amœnissimè legatos exhilarat. 347.
Varietas grata. 35.
Vasæus Gama patricius vir ab Emmanuele Lusitaniæ rege mittitur ad Indiam explorandam. 27.
Venatio, & aucupium quàm sit in vsu in Europa. 108.
Venetiarum vrbs illustrissima, & potentissima est. 81. Publico applausu, & gratulatione legatos excipit. 294. Venetus Senatus magnificentissimè legatos tractat. 294. 311. Vrbis fundamēta in ipsomet mari iuxta posita. 295. Munitissima, & inexpugnabilis est. 295. Rebus omnibus, & ornamentis abundat. 295. Miro ordine administratur. 298. Enucleatius describitur. 297. &c. Magnifica templa, & multæ Diuorum reliquiæ. 298. Ædificia amplissima sunt. 298. Area quædam celeberrima. 300. Turris operosissima. 301. Horologium miro artificio confectum. 302. Solarium egregiè fabricatū. 303. Atrium amplissimum, vbi iuuentus edocetur. 304. Bibliophylacium insignis est operis. 304. Domus cudendis numismatis designata. 305. Templum D. Marco dicatum. 306. Veneti ducis palatium sumptuosissimum est. 309. Veneti ciues mira beneuolentia legatos excipiunt. 311. Princeps honorificentissimè legatos habet. 311. Venetus vicus, qui à mercibus nomen habet, ornatissimus est. 312. Pontis cuiusdam magnificentia. 312. Palatium Germanis, eorumq; mercibus designatum. 313. Templum temporis antiquitate celebratissimum. 313. Ærarium, vbi maxima fide multorū pecuniæ asseruantur. 314. Opes incredibiles, & earum causæ. 314. 316. Venetijs habita est supplicatio celeberrima præsentibus legatis. 315. Nauale Venetum, quod Arsenale nomen habet. 318. Senatores historiam Iaponensis legationis, cum legatorum imaginibus ad viuum exprimi iubent. 321. Iidem munera magnificentissima legatis donant. 321. Venetus fluuius amœnissimus, & miris operibus exornatus, qui Medoacus dicitur. 322.

Verona vrbs valde celebris excipit legatos perhonorificè. 324. Veronensis Episcopus mira beneuolentiæ signa legatis ostēdit. 324. Maximum templum sumptuosè fabricatū est. 324.
Vicetiæ maximam ciuiū gratulationem experiuntur legati. 324.
Villauizosa oppidum Lusitanum, ac sedes Brigātini ducis. 184. 346.
Villa describitur amœnissima Alexandri Farnesij illustrissimi cardinalis. 231.
Vincentij Martyris sacratissimum corpus. 175.
Viterbium magno cum applausu legatos excipit. 229. Eius maximū templum sacris reliquijs abundat. 229.
Vitrea opera qua ratione conficiantur. 320.
Vrbinensis dux humanissimè legatos habet. 389.
Vrbiū Europearū magnificentia. 145. Earū variæ officinæ. 151. 152.

X

Xenodochia varia sunt in Europa instituta. 147.
Xistus V. ex Franciscana familia ad summum pontificatum eligitur. 69. 272. Eius renunciationem magnopere celebrat Romana ciuitas. 272. Ad templum D. Petri solenni pompa sacrificaturus pergit. 274. Quatuor aureorū millia à Gregorio XIII. Summo pontifice patribus è Societate IESV, in Iaponia degentibus attributa confirmat, & addit alia duo millia. 68. Legatos paterno amore complectitur. 273. Frequenter legatos per nuncios inuisit. 279. Legatos donat equitum insignibus. 280. Dona mittit regibus Iaponensibus. 281. Tria aureorum millia legatis tradi iubet, loco viatici. 281. Epistolas legatis dat commendatitias. 282. Proprijs manibus legatis iam profecturis sacrosanctam Eucharistiam porrigit, & amplissima concedit priuilegia. 282. Acum Cæsaris transferri iubet. 258.

Y

Yacattarum Iaponensium dignitas qualis sit. 82. Cui respondeat eximagnitatibus Europeis. 82. Eorumdem reditus quanti sint, & quo modo iubeatur ipsorum ratio. 85. 86.

Zampo-

Z

Zamorinus rex fidem frangit præstitam Lusitanis. 28.
Zeilanæ insulæ amœnitas. 21.
Zodiacus, siue signifer orbis. 39.
Zofalæ vada periculosissima legatorum nauis incurrit. 368.
Zona temperata potius, quàm torrida dici debet. 43. Quæ gentes eidem subsint. 39.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAGINA.	LINEA.	ERROR.	LEGE.
1.	19.	vigesimo.	decimo.
10.	18.	vigesimo.	decimo.
11.	20.	perturbationm.	perturbationem.
28.	23.	interfiendos.	interficiendos.
43.	24.	pellibus.	velleribus.
48.	4.	sexto.	quarto.
51.	8.	suppuratione.	suppuratione.
55.	25.	accomodata.	accommodata.
56.	3.	sexto.	quarto.
66.	8.	peculariа.	peculiaria.
67.	22.	vnusquique.	vnusquisque.
68.	8.	inter vtriusque.	vtriusque.
70.	33.	sapientiæ.	sapiem.
80.	22.	maiestantem.	maiesta
82.	28.	Dainnioxuos.	Damnox

PAGINA.	LINEA.	ERROR.	LEGE.
86.	27.	ipſi.	ipſis.
89.	1.	ædificant.	ædificent.
118.	1.	adminiſtrationis.	adminiſtratione.
119.	26.	incutrentes.	incurrentes.
123.	9.	aliqud.	aliquod.
134.	12.	ſelectiſsmi.	ſelectiſsimi.
141.	39.	ſiljs.	filjs.
143.	4.	exerceant.	exarceant.
165.	33.	commomorandis	commemorandis.
166.	25.	vr.	vt.
173.	21.	triginta.	tredecim.
180.	14.	eadam.	eadem.
180.	34.	vetutiſsimis.	vetuſtiſsimis.
190.	12.	Talauerij.	Talabriæ.
229.	32	quadrigenti.	quadringenti.
242.	33.	ipſius.	non ſine ipſius.
249.	13.	trecentiſimum.	trecenteſimum.
249.	26.	fundatrix fuit. adde.	Ioanna Aragonia.
249.	27.	Aragoniorum.	Neapolitanorum.
251.	6.	ſemanarium.	ſeminarium.
252.	30.	procurtores.	procuratores.
256.	35.	auhoritate.	autheritate.
257.	9.	vixi.	vix.
302.	12.	magiſtiatus greui.	magiſtratus grani.
313.	23.	accipites.	accipientes.
334.	39.	acceptiſq;	acceptis.
391.	31.	ſeuetas.	ſeueritas.

In prima præfatione linea. 12. poſt illud ſacroſanctum nomen IESV, de ſunt hæc duo verba: compoſito, &c.

Item pagina. 361. vltima linea poſt illa verba ad memoriam, adde, quæ ſequuntur: ſempiternam. Conimbricæ profecti Olyſipponem repetiui mus, vidimuſq; in eo itinere duo magnificentiſsima cœnobia: alterum quidem Bataliæ, quod Luſitanè ſignificat prælium: alterum ab Alcobacia nomen habens. Illud eſt familiæ Dominicanæ, ædificatum [illegible]e primo, huius nominis inuictiſsimo rege Luſitaniæ, ob memoria[illegible] &c.

FINIS.